O


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
43
E
30

# HIERONYMI OSORII IVNIORIS, OSORII EPISCOPI EX FRATRE NEPOTIS LVSITANI CANONICI EBORENSIS PARAPHRASIS ET COMMENTARIA IN ECCLESIASTEN,

*NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITA.*

## EIVSDEM PARAPHRASIS IN CANTICVM CANTICORVM,

& in ipſam recèns auctæ Notationes.





Ex Legato Illustriss.i Foscari.




*LVGDVNI,*

Sumptibus Horatij Cardon.

---

*M. DCXI.*

CVM PRIVILEGIO REGIS.



# HIERONYMI OSORII FONSECÆ IVNIORIS LVSITANI, HIERONYMI OSORII EPISCOPI SYLVENSIS, EX FRATRE nepotis, de rerum humanarum contemptione, siue in Ecclesiastem Paraphrasis & Commentaria.

## *BERNARDO FONSECÆ FRATRI CANONICO EBORENSI, HIERONYMVS OSORIVS FONSECA* S. P. D.



T grauissimum animi dolorem, quem rerum nostrarum interitus attulerat, minuerem, si possem, aut, si non possem, saltem consequerer, ne aliquo nos ille errore mentis afficeret, Salomonis libellum, quem Græco nomine *Ecclesiastem* vocant, perlegi, & accuratiùs euolui. Vir enim ille, vt scis, maximis fuit à Deo Sapientiæ muneribus affectus, & diuitiis affluens, voluptates omnes singulari studio sectatus, quidquid illæ boni habent, exploratè cognouit: mores hominum, rerúmque humanarum mutationes, diuturno Reip. moderandæ vsu percepit: Regni Hierosolymitani decus, & amplitudinem, in Roboamo filio, ad vnam vel alteram tribum fore redigendam, eo tempore sciebat, quo suos, ad nostri generis conditionem, æquo animo sustinendam, ad mentis aciem, à sensuum consuetudine abducendam, ad rerum omnium

Salomonis Sapientia & experiētia.

3. Reg. c. 11.

despicientiam,ad diuinæ virtutis decus,hac oratione instituit. Si in eo Sapientiæ splendorem consideres , iure optimo erat sperandum, vt lumen menti nostræ præferret,quo siquid tenebrarum offudit dolor , dispellerem:si opes,& voluptates,à nullo quidem,de his rebus iudicium sapientiùs fieri vnquam potuit:si Regni interitum,filiiq; acerbitates:optimum profectò Regem nō potuisset Regni calamitas, quam futuram præuidebat,non cruciare: nec filij res aduersas,sine acerbissimo animi sensu, & dolore,mente conspiceret. His mista & temperata numeris, vita Salomonis extitit, vt in se, ipse, etsi sapientiæ laude tantopere non excelluisset, quo pacto in rebus prosperis & aduersis nos gerere debeamus, didicisset. Quamobrem illi me instituendum tradidi:quo in studio , animus ex iis,in quibus erat acerbitatibus emersus, non Stoicorum more,naturam exuit, sed eam , quam Salomon dicendo luculenter expressit,officij rationem, sibi sequendam proposuit : vt prospera & aduersa ponderibus examinaret,& quid cuiq; eorum deberetur, persolueret:ita vt Deo,qui omnia ad electorum gloriam moderatur, in aduersis gratias agerem:(est enim hoc in malis solatium, Deo moderante hęc in nos incurrisse:)lacrymas quoque afflictis, & vita functis; ne dicam fratribus crudeliter ab hostibus trucidatis, & sororis filiis cum matre igne consumptis,tribuerem : &, vt vno verbo dicam , nihil nimis in his agerem:vt naturæ debitum officium exequerer, & quæ hominem Christianum decet , moderationem adhiberem.

Huius autem in nostris rebus solatij, vt participem te efficerem,& vt ea quæ Salomon de rebus humanis,& de earum moderatrice Dei Sapientia disserit, animo infixa hærerent,libellum hunc breui, & perpetua oratione explicandum suscepi : Cuius breuitas, & si ob ea, quæ aliquando

quando disseruimus,tibi grata erit, ne tamen aliquid in ea desiderares, cōmentarium etiam paulò pleniùs composuimus.

Quid verò Salomon in hoc opere sibi proposuerit, quod vt genus dicēdi fuerit secutus, ex iis,quæ dicemus, facilè perspicies. Multiplices rerum naturas persequitur, quarum nos cognitio, ad ea contemnenda deduceret, quæ à nobis secus quàm ipsa recta ratio fert, appetuntur. Mores hominum corruptos quidem,& deprauatos oratione exprimit, & in iis puniendis Dei clementiam,cum prouidentia coniunctam,indicat:omnibus esse animantibus moriendum, hominum tamen esse animos immortales asserit: diuini iudicij timorem, vt illius legi pareamus,iniicit. Nam ipsa natura fluens, & rerum humanarum lapsus,ad ipsarum nos contemptionem abducit:Idem,mores,& iniuriæ potentium impunitę,& infinita Dei benignitas,omnibus prouidens,& ipsa animorum immortalitas,& futuri iudicij expectatio,persuadēt.

At quanta sit opus dicendi facultate, ad hoc munus præstandum vides: Si enim in eo, qui, quod honestum est,sequendum,& turpe fugiendum esse docet, non mediocrem desideras, quam in eo requires, qui hominum animos à sensuum consuetudine seuocādi,munus, quod susceperat,conatur explere? Non enim præceptis ad virtutem instruit,sed institutos, vt virtutis studio excellant, erudit: & quæ sensus expetunt, ipsis quodammodo oppressis,reiiciant,vt soluto ac libero animo viuant. Ætatem in voluptatibus egerat, quarum illecebris delinitus religionem violauerat. Quàm verò ab ipsa, voluptate, quam sibi proposuerat,aberrarit,re didicit:& quanto esset religio studio colenda animaduertit. Id autem vir sapientissimus,vt demonstret, qua eum dicendi vi vsum fuisse putas? Profectò si quando ipse sui ipsius dicendo

admirationem mouit,vt hoc in opere,ſe ipſe longè ſuperaret,res ipſa poſtulabat. De ſui nominis fama,de ipſius ſapientia,& de religione agebatur:non leuitate,ab eo, in quo fuerat ſtudio,in aliud te fuiſſe conuerſum,opus erat argumentis firmiſſimis probare:ad illud quoque amplectendum, quod ſenſibus tantopere repugnat, ſuos impellere, quibus poterat viribus, nitebatur. Cùm verò iam eſſet grandis natu, fuit quoque hæc illius oratio lenis,æquabiliter profluens, grauiſſimis verbis, & ſententiis plena, quæ illius tunc ætatem & perſonam decebat. Verùm rerum obſcuritas facit, vt ea non ſatis intelligatur: ſunt enim illæ inuolutæ, nec facilè à nobis percipi poſſunt. Accedit:quòd ſenſus, verbis obſcuritatem, & tenebras afferunt:huic enim orationi obſiſtunt;nam appetenda eſſe iudicant,quæ illa deſpicienda eſſe docet, & iucunda referunt,quæ ipſa damnat.

Opus eſt igitur, & oportet, nos à ſenſibus, mentem, quantùm fieri poſſit,ad ſe ipſam reuocare,vt Diuini Spiritus,qui in Salomonis pectore inſidebat, vim & ſententiam percipere poſſimus. Animum, ſi hac corporis mole, à diuinis rebus diſiunctus torpet, his Salomonis vocibus excita, excitatum impelle, vt hæc infima deſerat, ſupera & ſtabilia, & æterna ſuſpiciat. Vale.

FACVLTAS

## FACVLTAS ADMODVM Reuerendi Vicarij Generalis.

H*Ieronymi Osorij Iunioris, Canonici Eborensis in Ecclesiasten Paraphrasin & Commentaria: nec non eiusdem in Canticum Canticorum item Paraphrasin, & ad eam notationes*, omnia pia & erudita digna censuimus, quæ prælo commissa publicæ vtilitatis caussa in lucem ederentur. Datum Lugduni die 21. Februarij, Anno 1611.

CHALOM V. G. Lugd.

*Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege obtenti.*


HENRICI IIII. Galliæ, & Nauarræ Regis Diplomate cautum est, ne quis in suo Regno, aliísve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis prima inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, ac ratione conetur librum, qui inscribitur, *Hieronymi Osorij iunioris, Canonici Eborensis, in Ecclesiasten Paraphrasis & Commentaria: nec non eiusdem in Canticum Canticorum item Paraphrasis, & in eandem Notationes*, præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunensem: aut illos, quibus ipse concesserit: sub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis, 15. die mensis Aprilis 1610.

*De mandato Regis,*

*Signatum*

BRVLART.

# HIERONYMI
# OSORII IVNIORIS,
## OSORII EPISCOPI
## EX FRATRE NEPOTIS
### LVSITANI
# CANONICI EBORENSIS
## PARAPHRASIS IN CANTICVM
### CANTICORVM, ET IN IPSAM
recèns auctæ Notationes.



ILL.^MO AC SAPIENTISS.^MO D.

# PETRO DECIO S. R. E. CARD.

## HIERONYMVS OSORIVS IVNIOR, OSORII EX FRATRE NEPOS, LVSITANVS, CANONICVS EBORENSIS,


S. P. D.



*Eptimvs est hic annus, à quo libellum Salomonis, Canticum Canticorum inscriptum, cœpi diligentiùs euoluere; &, quæ viri docti, Græci, & Latini, atque Hebræi, in Commentariis suis scripta reliquerunt, vt Salomonis mentem perciperem, attentius contemplari. Cùm verò illi, quid Salomon in eo opere habuerit propositi, non idem sentiant, & loca plurima, variis ac inter se multùm discrepantibus explicationibus adhibitis, obscurè tractent, non alienum studiis meis fore existimaui, si, vt in aliis sacræ Scripturæ libris faciebã, in hoc quoque ea litteris mandarem, quæ mihi magis rationi consentanea videbantur. Paraphrasim tandem edidi: quo breui dicendi genere libellum illum, multis obscuritatibus inuolutum, explicaui: cui etiam Commentariolum adiunxi, in quo quædam notaui, quæ non ita luculenter in Paraphrasi explicari poterant. Postquam verò Romam veni, ex eo studio, in quo versabar, vt Osorij, patrui mei, scripta in lucem emitterem, quidquid temporis potui surripere, in hoc opere poliendo consumpsi. Quamuis autem non valde ipse mihi placeam, voluntas tamen mea nominis tui studio flagrans est mihi gratissima: vt eo nomine mihi ipsi gratuler: quam vt exploratè cognosceres, nescio quo impe-*

*tu ipsa foras erupit, quam pudor retardare debuisset. Hanc igitur lucubrationem nostram tibi, Vir amplissime, dicare constitui; tum, quia paterni generis veteris cognomine, quod à Portugaliæ Regibus originem duxit: quare meum erat, vt homo Lusitanus, quàm maximè possem, Principem Lusitanum colerem: tum etiam, quia plurima ardentissimo studio mihi officia præstitisti: quorum memoriam in animo meo penitus insidere, & summas quas possum tibi à me gratias haberi, vt scires, hanc suscepi cogitationē, quā multi, qui ingenij mei tenuitatem nouerint, fortasse reprehendent; verùm, si animi grati ardens studium animaduertant, non omnino damnabunt. quod vt boni & æqui consulas, enixè precor. Si autem tuum iudicium fuero consecutus, omnia fuisse me adeptum arbitrabor; si verò Diuina, qua polles, prudentia, quæ in hoc opere corrigenda sunt, notaueris (sunt enim multa à communi hominum intelligentia apud Salomonem distantia) spero fore, vt per te Christi Ecclesiæ, quam tantopere diligis, & tam mirificè exornas, mysteria cognoscam. Vale. Romæ.*


HIERO



# HIERONYMI OSORII FONSECÆ IVNIORIS, EX FRATRE HIERONYMI OSORII EPISCOPI SYLVENSIS NEPOTIS, Paraphraſis in Eccleſiaſtem.

# ECCLESIASTES, Qui ab Hebræis COHELETH appellatur.

## CAPVT PRIMVM.



ERBA Eccleſiaſtæ,filij Dauid,regis Ieru- 1.
ſalem. * Vanitas vanitatum, dixit Eccle- 2.
ſiaſtes: vanitas vanitatum,& omnia vani-
tas. * Quid habet amplius homo de vni- 3.
uerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole?
* Generatio præterit & generatio aduenit: terra autem 4.
in æternum ſtat. * Oritur ſol, & occidit, & ad locum 5.
ſuũ reuertitur:ibíque renaſcens, * Gyrat per Meridiem, 6.
& flectitur ad Aquilonem; luſtrans vniuerſa in circuitu
pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur. * Omnia 7.
flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad lo-
cum,vnde exeunt flumina,reuertuntur vt iterum fluant.
* Cunctæ res difficiles: non poteſt eas homo explicare 8.
ſermone.Non ſaturatur oculus viſu,nec auris auditu im-

9. pletur. * Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est.
quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.
10. * Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere:Ec-
ce hoc recens est:iam enim præcessit in sæculis, quæ fue-
11. runt ante nos. * Non est priorum memoria:sed nec eo-
rum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio
12. apud eos, qui futuri sunt in nouissimo. * Ego Ecclesia-
13. stes fui rex Israel in Ierusalem, * & proposui in animo
meo quærere & inuestigare sapienter de omnibus, quæ
fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit
14. Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea. * Vidi cun-
cta, quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & affli-
15. ctio spiritus. * Peruersi difficilè corriguntur, & stulto-
16. rũ infinitus est numerus. * Locutus sum in corde meo,
dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sa-
pientia, qui fuerunt ante me in Ierusalem: & mens mea
17. contemplata est multa sapienter, & didici. * Dedíq; cor
meum vt scirem prudentiam, atq; doctrinam, erroréſ-
que & stultitiam: & agnoui quòd in his quoque esset la-
18. bor, & afflictio spiritus, * eo quòd in multa sapientia
multa sit indignatio: & qui addit scientiam, addit & la-
borem.

---

I. *Verba Ecclesiastæ, filij Dauid, regis Ierusalem.*


ENTENTIÆ siue oratio Salomonis, qui à Sanctissimo parente Dauide rege ortus, regnum Hierosolymitanum summa cum laude tenuit.

II. *Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

Ille, in cuius animum Deus. O. M. plurima & eximia Sapientiæ ornamenta condidit, quibus hominum animos, cùm de rebus grauissimis disſereret, ad se trahebat: & ideo illustre *Choelet*, hoc est, *cœtum hominum congregantis* cognomen accepit; hac oratione populum, quem moderandum susceperat, ad virtutis studium hortabatur. Omnia, quæ sensu percipimus,

pimus, siue ad voluptatem, siue ad dignitatem & gloriam, plurimum illa momenti habere videantur, sunt minimi facienda: cur enim spernenda non erunt, in quibus vanitas inest?

*Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub Sole?* III.

Huiusce eorum vanitatis documentum, ex iis hominibus, qui in terrenis opibus comparandis omne studium ponunt, capiamus: quis enim eorum, ex eo labore, quem ad opes terrenas insumpsit, fructum aliquando cepit? Laborant illi quidem, sed eædem curæ, quæ antea eos exedunt, molestiæ affictant, & mœrores sæpe numero abiiciunt.

*Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat.* IV.

Ipsa quoque rerum vicissitudo, numquam in eodem statu permanens, eos angit, & solicitos habet: omnis namque natura perpetuo quodam motu cietur. Quare expectatio, & metus, eos vehementer solicitat morsque semper impendens excruciat: quodam enim quasi lapsu ipsi diffluunt: obeunt ex illis non pauci, & intereunt, eorúmque loco alij oriuntur: quorundam obitum, ortus aliorum subsequitur, vt nihil sit in rebus humanis firmum & stabile, nihil quod non sit vanum & inane. Nec mediocrem facit accessionem vanitatis, terra ponderibus librata, in medio mundi subsistens, in eodem loco semper immobilis manens, vt homines, qui in ea degunt, omnium, quæ in ea sunt, & extra dispares & varias motiones sentiant, quarum ne omnes enumerem, nonnullas referam.

*Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem lustrans vniuersa in circuitu pergit Spiritus, & in circulos suos reuertitur.* V.

Oritur Sol, lucémque suam impartitur: occidit, & tenebras offendit: Ex eodem loco iterum oriens, cuncta sua luce complet. Neque his quotidianis vicissitudinibus contentus, ita circunfertur, vt accedat ad Meridiem, & inde sensim cursum ad Aquilonem inflectat, vt sic omnia lustret, & calorem omnibus vi talem afferat, vt suo discessu tellus horreat, & accessu tepescat & floreat.

*Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* VI.

Flumina labuntur, omnique impetu in mare feruntur, & inde per venas quasdam deducta in tellurem influunt, ac iterum in mare fluunt: nec tan-

ta aquarum copia, in sinus suos recepta, illud augetur. Si igitur homines mors ponè sequitur, si ea, quæ appetunt, ex Solis cursus varietate, ex aquarum diuersa influxione fiunt; quæ tanta erit amentia, vt plurimi ea faciamus, quorum initia & causæ ex tam multis ac diuersis mutationibus ducantur? Est quidem summa opinionis vanitas, qua imbuimur, vt in iis rebus vitæ præsidia collocemus, quæ nec temporis momento, in eodem statu permanent. Sunt enim in cursu, neque in eo cunctantur. Quamobrem vanum erit, & temerarium, quas è suscepto cursu nequeas reuocare, earum te rerum studio, tam vehementer duci: si quibus expleri non possis, eas currentes incredibili labore subsequi.

VII. *Cuncta res difficiles: non potest eas homo explicare sermone: non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.*

Hæc tantùm, quæ sunt omnibus ante oculos proposita, commemoraui: plura enim sunt, è quorum cognitione potest rerum terrenarum vanitas percipi. Verùm ea longè à communi hominum intelligentia distant. Sunt enim naturæ hominibus abditæ, & quamuis in illis quærendis ætatem conterant terras omnes lustrent, & eorum, qui in sapientibus magnum nomen habuerunt, doctrina sint instructi, earum cognitionem minimè consequentur. Cùm etiam plures sint, qui naturam in nobis sciendi cupiditate flagrantem, nec minimo velint studio excolere, & cùm ipsa nullo queat studio expleri, hi nec oculos aperiunt, vt aliquid amplum & sempiternum mente cōcipiant, neque eis aures patefaciunt, qui eas possint vero & optimo sermone complere.

VIII. *Quid est quod fuit? ipsum, quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum, quod faciendum est.*

His ignorantiæ tenebris oppleti inania sectantur: non enim vident, ex iisdem causis, omnia quæ fuerunt, & sunt, in terra gigni: & à natura certam & stabilem quandam in sui varietate rationem seruari: & ideo id, quod ipsa aliquot ante annos attulit, idem eam esse allaturam. Humanæ quoque vitæ conditionem eandem fore, quæ antea priscorum hominum animos conficiebat angoribus: illi enim eidem studio vacabant, in quo horum posteri versantur, neque eo potuerunt id, quod tantopere cupiebant adipisci, quod his quoque continget, qui eorum in vita moderanda, vestigiis insistunt. Quid ergo vnquam natura extitit, quod eadem causarum varietatis constantia, non sit futurum? Aut quid hominibus poterit euenire, quod eis non euenerit aliquando? aut quid ipsi molientur animo, & perficient, quod ætate superiores non egerint? Ex iisdem studiis eadem oriuntur mala.

IX. *Nihil sub sole nouum: nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.*

Quare nihil est nouitate sua admirandum: Eadem sunt hominum studia, neque

neque illis aliquid posteritas addidit, Etsi aliquando ad intermissa redeat eadem cura, & solicitudo, in qua maiores nostri fuerunt, ex rerum terrenarum cupiditate nos afficit: iidem quoque erunt studiorum exitus.

*Non est priorum memoria; sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in nouissimo.* X.

Si eorum, quæ priscis temporibus contigerant, apud nos memoria vigeret, non ita blanda hæc rerum vanitas homines deciperet: priscos enim illa lusit, quorum malis edocti possemus nobis cauere. Verùm eorum memoriam obliuio deleuit, & res quoque nostræ eandem conditionem subibunt. Nam vt rerum terrenarum studium, quos maiores nostri flagrabant, eos à sempiternæ obliuionis tenebris non eripuit, nec eorum posteritatem vindicabit. Certissimus ergo rerum omnium interitus, & dum vigent, inconstantia summa, & varietas, nec non & obliuio, quæ eas obruet, & tam nostræ, quàm maiorum nostrorum spes fallaces, & inanes rerum terrenarum studij, si illud ad diuinæ mentis normam non dirigatur, vanitatem esse maximam persuadent.

*Ego Ecclesiastes fui Rex Israel, in Hierusalem.* XI.

His autem omissis, auctoritate pugnabo, vt vos in hanc de rerum terrenarum contemptione, sententiam adducam. Non alicuius externi hominis, & alieni sententiam commemoro: Sed ea, quæ ipse expertus sum, & quid de rebus his sentiendum esse iudicaui, refero: Ego, inquam, quem in omni negotio differentem admiramini, qui non solùm regia sum dignitate suspiciendus, sed eo maximè admirandus, quòd Israelis tribus institutis diuinis imbutas, imperio teneo: illudque in vrbe Hierosolyma, in totius Orientis conspectu, singulari cum laude sustineo. Quare fidem orationi meæ maximam esse tribuendam nemo dubitabit.

*Et proposui in animo meo quærere, & inuestigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole.* XII.

Ego igitur non temerè ita de rebus terrenis, vt dixi, iudicaui. Nam dum adhuc adolescens essem, sapientiæ studium sum vehementer amplexus, & quantum postea conniti animo potui, tantum feci, vt omnia, quæ sub sensus cadunt, cognoscerem.

*Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea.* XIII.

In animis enim hominum, naturæ auctor ingenerauit, maxima-

rum quaſdam rerum notiones, quibus ad Sapientiæ ſtudium, excitarentur: quam, dum rerum rationes inueſtigando aſſequi nituntur, ob naturæ humanæ imbecillitatem, ab eo conatu depulſi, affliĉtantur: & cùm ſæpius idem ſtudium repetant in eaſdem tenebras recidunt, vt quàm ſit anguſta & humilis mens humana, videant.

XIV. *Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas & afflictio ſpiritus.*

In eo ſtudio tantùm diuino munere profeci, vt rerum omnium naturas, & rationes cognitas haberem, & hominum mores, quíque in illorum vitam caſus, ſiue proſperi ſiue graues, & miſerabiles incurrunt, comprehenderem. Hac autem rerum cognitione, & perceptione, in illis omnibus vanitatem ineſſe comperi.

XV. *Peruerſi difficilè corriguntur: & ſtultorum infinitus eſt numerus.*

Si ad fidem faciendam authoritas valeret, ſi eximium ſapientiæ decus ad prauas opiniones ex hominum animis euellendas, aliquid ponderis haberet, hanc meam hominibus ſententiam perſuaſiſſem. Verùm quod diſtortum eſt, & inueteratum, vix dirigi poteſt: malum enim temporis diuturnitate fit robuſtius, & ægrè quidem poteſt humano ingenio, & ratione depelli. Quamobrem ij, qui omnia ſenſu metiuntur, in ſuſcepta ſemel vitæ ratione perſiſtunt, nec facilè curſum inflectent, quem in vita moderanda tenuerunt. Horum autem tantus eſt numerus, vt eos nemo numerare poſſit,

Malum temporis diuturnitate fit robuſtius.

XVI. *Locutus ſum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientia qui fuerunt ante me in Hieruſalem, & mens mea contemplata eſt multa ſapienter, & didici.*

Iam verò hoc commune & vulgare dicendi argumentum omittamus, ad id, quod maius eſt, diligenter inquirendum progrediamur. Num illi, qui ad opes & diuitias, ſapientiæ ornamenta adiunxerunt, ſint vanitati coniuncti? De re hac cùm attentiùs cogitarem, ſic mecum diſſerebam; maximis ego opibus abundo, quarum magnitudinem, operibus magnificentiſſimis declaraui: & omnes, qui Hieroſolymæ ſapientia floruerunt, in eo laudis genere ſuperaui, multa enim quæ illis erant occulta, inueſtigaui, didici, & planè cognoui.

XVII. *Dedique cor meum vt ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroreſque & ſtultitiam: & agnoui quòd in his quoque eſſet labor, & afflictio ſpiritus.*

Nec ſolùm in rerum altiſſimarum cognitione operam poſui, ſed ad ea

etiam


etiam cognoſcenda neruos intendi, quæ tum ad vitam rectè moderandam, plurimùm valerent, tum eam variis erroribus imbuerent. Si ad opes oculos coniicias, nihil profectò magnificentius, ſi ad ſapientiæ ornamenta, nihil præclarius, hoc rerum mearum ſtatu, inueniri poteſt: rarum eſt enim, & ferè inauditum, horum vtrumque in aliquo reperiri. Hanc autem vitæ conditionem, quæ beata videri poterat, comperi animi infractione, & dolore minimè vacare.

*Eo quòd in multa ſapientia, multa ſit indignatio, & qui addit ſcientiam addit & laborem.* XVIII.

Morbos intelligere quibus mederi non poſſis, eſt moleſtiſſimum.

Nam vt de opibus nihil dicam, de quibus iam quid ſentiam indicaui: illud ſapientis animum acerbè pungit, quòd in ſapientiæ ſtudio, quo magis progreditur, tanto plura videat, ſibi perdiſcenda remanere, morumque deprauatam conſuetudinem, & opinionum vanitatem indignè patitur, & quo maiores ſapientiæ opes in animum congerit, grauiori ſenſu doloris afficitur, eſt enim moleſtiſſimum, morbos intelligere, quibus mederi non poſſis.

# CAPVT II.



DIXI ego in corde meo: Vadam, & affluam 1
deliciis, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quo-
que eſſet vanitas. * Riſum reputaui errorem: 2
& gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis? * Co- 3
gitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt
animum meum transferrem ad ſapientiam, deuitarémque
ſtultitiam, donec viderem quid eſſet vtile filiis hominũ:
& quo facto opus eſt ſub ſole numero dierum vitæ
ſuæ. * Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, 4
& plantaui vineas, * feci hortos, & pomaria, & conſeui 5
ea cuncti generis arboribus, * & extruxi mihi piſcinas 6
aquarum, vt irrigarem ſiluam lignorum germinantium,
* poſſedi ſeruos & ancillas, multámque familiam habui: 7
armenta quoque, & magnos ouium greges vltra omnes
qui fuerunt ante me in Ieruſalem: * coaceruaui mihi ar- 8
gentum, & aurum, & ſubſtantias regum, ac prouinciarum:
feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filio-
rum

rum hominum, scyphos, & vrceos in ministerio ad vina
9. fundenda: * & supergressus sum opibus omnes, qui ante
me fuerunt in Ierusalem: sapientia quoque perseuerauit
10. mecum. * Et omnia, quæ desiderauerunt oculi mei, non
negaui eis: nec prohibui cor meum quin omni volupta-
te frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaueram:
& hanc ratus sum partem meam, si vterer labore meo.
11. * Cúmque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fe-
cerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra suda-
ueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem ani-
12. mi, & nihil permanere sub sole. * Transiui ad contem-
plandam sapientiam, erroréſque & stultitiam (quid est,
inquam, homo, vt sequi possit regem factorem suum?)
13. * & vidi quòd tantum præcederet sapientia stultitiam,
14. quantum differt lux à tenebris. * Sapientis oculi in capi-
te eius: stultus in tenebris ambulat: & didici quòd vnus
15. vtriusque esset interitus. * Et dixi in corde meo: Si vnus
& stulti & meus occasus erit, quid mihi prodest quòd
maiorem sapientiæ dedi operam? Locutúsque cum men-
te mea, animaduerti quòd hoc quoque esset vanitas.
16. * Non enim erit memoria sapientis similiter, vt stulti, in
perpetuum, & futura tempora obliuione cuncta pariter
17. operient: moritur doctus similiter, vt indoctus. * Et id-
circo tæduit me vitæ meæ videntem mala vniuersa esse
sub sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus.
18. * Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua
sub sole studiosissimè laboraui, habiturus heredem post
19. me, * quem ignoro, vtrum sapiens an stultus futurus sit,
& dominabitur in laboribus meis, quibus desudaui & so-
20. licitus fui, & est quidquam tam vanum? * Vnde cessaui,
21. renunciauítq; cor meum vltra laborare sub sole. * Nam
cùm alius laboret in sapientia, & doctrina, & solicitudi-
ne, homini otioso quæsita dimittit: & hoc ergo, vanitas,
&

& magnum malum. * Quid enim proderit homini de 22.
vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole
cruciatus est? * Cuncti dies eius doloribus, & ærumnis 23.
pleni sunt, nec per noctem mente requiescit:& hoc nón-
ne vanitas est? * Nónne melius est comedere & bibe- 24.
re,& ostendere animæ suæ bona de laboribus suis?& hoc
de manu Dei est. * Quis ita deuorabit, & deliciis affluet 25.
vt ego? * Homini bono in conspectu suo dedit Deus sa- 26.
pientiam,& scientiam, & lætitiam: peccatori autem de-
dit afflictionem, & curam superfluam, vt addat, & con-
greget,& tradat ei qui placuit Deo:sed & hoc vanitas est,
& cassa solicitudo mentis.

---

*Dixi ego in corde meo: Vadam,& affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas.*



T verò omnia perstringamus,quæ homines valde appetenda esse existimant, de voluptate dicam; nihil enim ea vehementiùs hominum animos mouet,quia insitus est in natura illius sensus, & ipse cum homine viget, & cum eo simul extinguitur. Vt autem mihi de ea dicenti, ad fidem faciendam nihil desit,in quibus fuerim deliciis, & voluptatibus,scitis:me enim illis dedere constitui,& quidquid boni in illis inest,expertus sum. Id autem quod potueram ratione antè prospicere, sensu percepi,nempe vanam,& inanem esse voluptatem,quæ ad sensus illabitur.Si igitur,cùm de voluptate agitur, rationem à iudicio exterminandam esse existimatis, vt omnis de hac re assensio à solo sensu pendeat: quid senserim,testor,& luculentiùs explicabo.

Insitus in natura voluptatis sensus cum homine viget, cum eo simul extinguitur

*Risum reputaui errorẽ: & gaudio dixi: Quid frustra deciperis?*

Risum ab errore oriri iudicaui, & ei insaniam suam obieci:& lætitiæ dixi, quorsum falleris? quid hoc est, quòd tam intemperanter agis? insanientis enim est in miseriis ridere, & gaudio gestire. Fucata enim boni species sensibus humanis blanditur,cùm interim in animum maximam vim malorum impendat,& ipsa momento temporis euanescat.

Insanientis est in miseriis ridere.

*Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitarémque stultitiam, donec viderem quid esset vtile filiis hominum: quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ.*

Hoc autem studio, quo omnes voluptates assumpsi, maximas didici ab illis hominum mentibus, tenebras offendi. Quamobrem vt sapientiæ munus, quod à Deo acceperam, tuerer, me à corporis voluptatibus seuocaui, ne multis mihi inuolucris tecta stultitia lateret, vt eam diligenter cauerem, & quid vtile, & maximè sit homini conueniens, viderem.

IIII. *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domus, & plantaui vineas, feci hortos & pomaria, & conseui ea cunctis generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorum germinantium.*

Sed ne quis existimet, ideo me hanc sententiam tenuisse, quia multa mihi deerant, quæ vitam voluptatibus affluentem efficiunt: curam, & opes, quibus voluptates sectabar, ostendam. Magnifica sum opera aggressus, eaque maximis sumptibus perfeci: ædes, vt magnificentissimè habitarem, ædificaui: vineas institui: hortos & pomaria, arboribus pulcherrimè distincta, paraui: aquam in piscinas duxi, indeque in nemus, & syluam deriuari feci, vt arborum viriditas, à Solis ardoribus seruaretur.

V. *Possedi seruos, & ancillas, multámque familiam habui, armenta, & magnos ouium greges, vltra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem.*

Seruos habui, & ancillas, quæ ad nutum meum, omnia quæ ad voluptatis illecebras pertinerent, diligenter curarent, maximam quoque vernarum multitudinem, armentorum, & ouium greges tam multos, vt nemo vmquam Hierosolymæ eorum qui in ea vrbe fuerunt opulentissimi, tam multos habuerit.

VI. *Coaceruaui mihi argentum & aurum, & substantias regum & prouinciarum.*

Plurimum auri, & argenti, in thesauros congessi: reges, qui mihi tributa pendebant, & ij, quibus erat mecum consuetudo, & familiaritas, aut aliqua societatis coniunctio, quidquid maioris pretij apud se habebant, vt suum erga me studium significarent, mihi per nuntios mittebant, & prouinciarum, quæ sub meo sunt imperio, quod erat præcipuum, & æstimatione dignum, ad me deferebatur, vnde maximas opes paraui, quas nulli sumptus, quos, in omnia voluptatis genera sectanda, maximos feci, exhaurire potuerunt.

VII. *Feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum scyphos, & vrceolos in ministerio ad vina fundenda.*

Viros & mulieres, quæ vocem peritè ad aurium voluptatem moderabantur, ad me ex omni Iudæa aduocabam, quæ vocum suauitate aures meas permulce

mulcerent: vasa ad suauiùs bibendum, arte eximia fieri curaui: fœminæ quoque eleganti forma, ex variis hominum nationibus, bello captæ, quæ ducibus, & imperatoribus, ob pulchritudinis eximiæ formam, selectæ dabantur, nec non & pulcherrimæ Hebræarum, ministræ erant voluptatum.

*Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in* VIII.
*Hierusalem: sapientia quoque perseuerauit mecum, omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaueram, & hanc ratus sum partem meam, si vterer labore meo.*

Vt denique nihil ad voluptatem mihi deesset, tam multis sum auctus diuitiis, vt omnes, qui vmquam Hierosolymæ, diuites fuerunt, longè superauerim, & quod maximi erat ad voluptatem ponderis, & momenti, in hoc florentissimo rerum mearum statu, numquam me sapientia deseruit: eorum nempe, quæ tellus gignit, cognitionem, & in moderanda Repub. prudentiam à Deo mihi traditam, retinebam. Quare si mihi ad voluptatem opes viam muniebant, ingenij quidem acumen singulare, plurima inuestigabat, quæ illam magnis accessionibus augerent. Vt igitur omnibus, qui ante me fuerunt, ingenij magnitudine, sapientia, & opibus præstiti, sic etiam maiores, & plures, quàm omnes, qui Hierosolymæ regnarunt, voluptates assumpsi: quidquid enim sensus appetebant, illis diligenter suppeditabam: ex eo enim studio, & labore, quo in sectanda voluptate distinebar, hoc solum bonum mihi pollicebar, vt iis, quæ tanto labore, & cura paraueram ad voluptatem, fruerer.

*Cùmque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant ma-* IX.
*nus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.*

Cùm autem totus in hoc studio essem, ad ea consideranda me contuli, quæ tam magnis sumptibus perfeceram: omnia quidem fallacia, & inania esse reperi: nihil enim in illis inest boni fixi, & permanētis, sed vanitas, & animi nulla in re quiescentis motus, & vehemens quædam ad voluptatem incitatio, quę cum tristitia cietur, & agitatur: vt enim innatæ sibi appetitioni satisfaciat, omnia cum solicitudine tentat, & eam, cùm iis rebus pascit, quæ venti instar habent, satiare nequit: quare aucta indies, & crescente fame sitique cōficitur.

*Transiui ad contemplandam sapientiam, erroresque & stul-* X.
*titiam. Quid est, inquam, homo vt sequi possit regem Factorem suum? & vidi, quòd tantùm præcederet sapientia stultitiam,*

*quantum differt lux à tenebris : ſapientis oculi in capite eius ſtultus in tenebris ambulat.*

Cùm igitur de voluptate,& de rebus aliis,in quibus ſtudium poſueram,ita conſtituiſſem, me ad ſapientiæ decus conſpiciendum reuocaui; & ſi illius amplitudinem nemo poſſit ratione conſequi: eſt enim diuina res quædam ſapientia. Nam quemadmodum Deum homo, quem ille è luto finxit, adire nequit, nec mente comprehendere; ita nec ſapientiam, cuius eſt ſolus Deus effector,& parens,propriis poterit viribus adipiſci. Sed quoad mihi fas erat, & per homines naturam licebat,me à voluptate,ad Sapientiæ contemplationem abduxi,erroresque & ſtultitiam,quæ in communi vita dominatur, diligenter animaduerti: Sapientiam cum ſtultitia contuli, tantumque inter eas vidi,quantum inter lucem & tenebras, intereſſe. ſapientis enim mens & ratio imperium tenet, animi motus coërcet, eoſque dirigit: ſtultus autem à recta ratione, variis agitatus commotionibus abſtrahitur,& ea ardenter appetit, per quæ plurima ſibi mala inuehi non videt.

Diuina res quædam, Sapientia.

XI. *Et didici quòd vnus vtriúsque eſſet interitus. Et dixi in corde meo: Si vnus & ſtulti, & meus occaſus erit, quid mihi prodeſt quòd maiorem ſapientiæ dedi operam?*

Verùm tanta eſt rerum noſtrarum vanitas, & adeo eſt miſera generis noſtri conditio, vt in homine ſtudium ſapientiæ ſit etiam vanitati coniunctum: quamuis enim illius lumen ſit,& ſplendor excellens,ſtultitiæ verò dedecus & turpitudo maxima,ſapiens tamen & ſtultus,eandem moriendi conditionem ſubeunt. Hoc autem cogitans mecum ita diſſerebam, ſi eadem me, & inſipientem moriendi neceſſitas aſtringit,ſapientia profectò, quam rebus omnibus prætuli, nihil mihi afferet boni, quod ſenſus moueat, atque delectet: & cur non eſſe vana iudicem hominum ſtudia,cùm mihi ſapientia præſtare nequeat,vt quemadmodum ab ſtulto,verbis & ſententia, ita interitu & occaſu diſcrepem?

XII. *Locutúsque cum mente mea, animaduerti quòd hoc quoque eſſet vanitas. Non erit memoria ſapientis ſimiliter vt ſtulti, in perpetuum, & futura tempora obliuione cuncta pariter operient: moritur doctus ſimiliter vt indoctus. Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuerſa eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem & afflictionem ſpiritus.*

Hoc igitur præclarum ſtudium ſapientiæ, eſſe cenſui vanitati coniunctum, ſapiens enim & ſtultus, in obliuionem venient,& omnium memoriam, temporum diuturnitas delebit. Idem verò ſemel,& iterum cum admiratione dicam,nempe,quòd tam is,qui diſciplinis eſt inſtructus, quàm is, qui omnino eſt literarum ignarus,occumbit: & ideo,vita erat mihi amariſſima: ita ſunt omnia

omnia omnium miseriarum plenissima, nihil enim firmum, nihil stabile, in quo animus conquiescat, reperire poteram, & horum quæ sensibus blandiuntur, inconstantia, crebraque, tanquam tempestatum, appetitionum commutatio, animum exagitat, torquet, & excruciat.

*Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboraui, habiturus hæredem post me, quem ignoro, vtrùm sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudaui, & solicitus fui: & est quidquam tam vanum?* XIII

Cùm ergo voluptatem pro nihilo duxerim, & sapientiam vanitati coniunctam esse existimauerim, méque vitæ tæderet, spes vna restabat posteritatis, quæ hunc animi sensum leniret. Verùm illa cùm sensum non minuat, sed potiùs augeat, omnem, quam potui in opibus coaceruandis, & in iis, quæ sensum suauiter afficiunt conquirendis industriam reprehensione dignam esse iudicaui. Quia iis omnibus, quæ singulari cura, & solicitudine comparaui, auctus hæres, & locupletatus, qui mihi succedet, vtrùm futurus sit sapiens, an stultus, ignorem. Hoc autem etsi nihil aliud accedat, rerum terrenarum studium, vanitatis conuincit.

*Vnde cessaui, renunciauitque cor meum vltra laborare sub sole. Nam cùm alius laboret in sapientia, & doctrina, & solicitudine, homini otioso quæsita dimittit: & hoc ergo, vanitas, & magnum malum.* XIV.

Quamobrem hoc, in quo eram, studium, deposui, nec ad illud me vnquam reuersurum esse constitui; industrij enim hominis bona, ad eos sæpenumero veniunt, qui otio languent. Vanum igitur esse quis non videt, tam multos à nobis labores suscipi, & tantam curam adhiberi, vt iis rebus abundemus, quæ nobis nec ad immortalitatem nominis, nec ad expressam aliquam, & stabilem voluptatem, prodesse poterunt? Et vt nihil aliud dicam, in non mediocris mali loco, referri debet, hanc operam laborémque nos, in incertum casum impendisse: an scilicet in ea, quæ singulari industria parauimus, piger, & dissolutus hæres succedat, cum quo nobis nulla sit sanguinis coniunctio.

*Quid enim proderit homini de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti dies eius doloribus, & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: & hoc nonne vanitas est?* XV.

Iam verò industrij hominis vitam considera, & diligẽter animaduerte; num

ex industria sua, & labore fructum capiat, hoc est, num tristitia aliquando vascet? num voluptate perfussus, animo conquiescat? At vitam illius mala vndique sæpiunt; nam dolores eum innumeri torquent, labores premunt, aduersi casus affligant, mentis solicitudo vexat, nec noctu quidem, quod ad quiescendum natura, tempus animantibus tradidit ipse animo vacat. Nonne eum pes fefellit, & industria lusit, quæ rerum omnium copiam, & voluptatum abundantiam, ei suppedituram se pollicebatur?

XVI. *Nonne melius est comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bono de laboribus suis? Et hoc de manu Dei est.*

Verùm is in tantis malis, quid fuerit boni consecutus, non video, nisi ad vitæ conseruationem victum sibi suppetere, & rebus suis vti moderatè. Hoc autem nostri generis conditio nemini vmquam præstitit: diuino tamen munere aliquando fit, vt cùm singulari in acquirendis opibus, industria excellens sit animi magnitudo coniuncta, qua homo illarum vsum habeat, ad quem ipsæ sunt expetendæ: Nam diuitiæ hoc minimè secum afferunt, cùm in homine industrio, illarum sitim, ipsæ auctæ vehementius excitent.

XVII. *Quis ita deuorabit, & deliciis affluet vt ego.*

Si enim diuitiæ voluptatésque aliquid aliud homini tribuerent, illud profecto ego consecutus fuissem; nam quidquid boni illæ afferunt, obtinuissem, cùm maximis ego deliciis abundauerim, nec tamen quidquam in illis præstantius vmquam inuenerim.

XVIII. *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, scientiam & lætitiam.*

At Deus Optimus, Maximus, eum, qui virtutem colit, sapientiæ muneribus ornat, vt ad omnium bonorum autoris similitudinem possit seipsum fingere: & scientia instruit, ad honestas scilicet actiones eum instituit, vt infima hæc despiciat, secundis rebus non immoderatè gestiat, nec aduersis afflictus iaceat: nam cùm à solo Deo pendeat, nulla poterit rerum commutatione de animi statu deduci. Vnde in illius animum, singularis lætitia permanat, stabilem enim verámque in animis voluptatem, sapientia gignit. Ex iis quoque rebus infimis & terrenis, si secundæ sint, eam lætitiam capit, quam non imminuit animi ægritudo, qua caret, sed eam potiùs virtutis splendor auget mirificè, & amplificat: in aduersis verò nullam rerum mutationem ægrè fert, cùm illam multò ante prouiderit, & ad vitam beatam sit virtute contentus.

Stabilē verámque in animis voluptatē gignit Sapiētia.

XIX. *Peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, vt addat & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo. Sed & hoc vanitas est, & cassa solicitudo mentis.*

Iusto

Iusto autem eiusdem rerum omnium principis iudicio fit, vt eum, qui nolit, virtutis decus contueri, & sese auaritiæ dedit, ipsa rerum copia vehementer angat. Nam cùm satis numquam sibi fiat, ipse sibi animum exulcerat; nullus enim est tantus labor, quem non suscipiat, vt diuitias sibi paret: partas autem augere nititur: at sitim, qua tam vehementer cruciatur, minimè restinguit. Hæc autem illius cupiditas insatiabilis, sæpenumerò hominis, qui est Deo gratus, commodis in vita seruit: Ea enim quæ tanta solicitudine parauit ex illius manibus erepta, ei, qui Deum ex animo colit, vt ea, ordine, & iudicio, ad diuinæ legis normam dispenset, cùm opportunum fuerit, tradentur. Hoc autem egregiè quidem rerum nostrarum vanitatem demonstrat: nempe quòd illæ natura fluant, de loco in locum commigrent, & instar aëris, huc & illuc effluentis, animum pascant, & illudant.


# CAPVT III.

OMnia tempus habent, & suis spatiis transeunt 1
vniuersa sub cælo. * Tempus nascendi, & tem- 2
pus moriendi. * Tempus plantandi, & tempus
euellendi quod plantatum est. * Tempus occidendi, & 3
tempus sanandi. Tempus destruendi, & tempus ædi-
ficandi. * Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus 4
plangendi, & tempus saltandi. * Tempus spargendi la- 5
pides, & tempus colligendi. Tempus amplexandi, &
tempus longè fieri ab amplexibus. * Tempus acquiren- 6
di, & tempus perdendi. Tempus custodiendi, & tempus
abiiciendi. * Tempus scindendi, & tempus consuen- 7
di. Tempus tacendi, & tempus loquendi. * Tem- 8
pus dilectionis, & tempus odij. Tempus belli, & tempus
pacis. * Quid habet amplius homo de labore suo? * Vi- 9. 10
di afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, vt
distendátur in ea. * Cuncta fecit bona in tempore suo, 11
& mundum tradidit disputátioni eorum, vt non inue-
niat homo opus, quod operatus est Deus ab initio
vsque ad finem. * Et cognoui quòd non esset melius 12
nisi lætari, & facere bene in vita sua. * Omnis enim 13
homo, qui comedit & bibit, & videt bonum de
labore suo, hoc donum Dei est. * Didici quòd
omnia 14

omnia opera, quę fecit Deus, perseuerent in perpetuum:
non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ
15 fecit Deus vt timeatur. * Quod factum est, ipsum per-
manet: quæ futura sunt, iam fuerunt: & Deus instaurat
16 quod abiit. * Vidi sub sole in loco iudicij impietatem,
17 & in loco iustitiæ iniquitatem. * Et dixi in corde meo:
Iustum, & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei
18 tunc erit. * Dixi in corde filijs hominum, vt probaret
19 eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis. * Idcirco
vnus interitus est hominis, & iumentorum, & æqua
vtriusq; cōditio: sicut homo moritur, sic & illa moriūtur:
similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento
20 amplius: cuncta subiacent vanitati, * & omnia pergunt
ad vnū locū: de terra facta sunt, & in terrā pariter reuer-
21 tuntur. * Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascen-
dat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deor-
22 sum? * Et deprehendi nihil esse melius quàm lætari ho-
minem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim
eum adducet, vt post se futura cognoscat?

---

VERS. 1 *Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cælo.*



On reprehendo in agendo industriam, nec in naturæ auctorem miseriarum nostrarum causam reijcio, sed à nobis in vita moderanda prudentiam requiro. Inde enim maxima malorum vis in hominum genus permanauit: quia natura crebræ rerum mutationes, cùm fiant, & temporum sint opportunitates, quibus oportet nos accommodari: eas pro nihilo ducimus: aliud enim in his, atq; in illis à nobis ratio postulat, vt cū rei alicuius faciēdę tēpus sit opportunum, in eo, aliquid aliud fieri sit nefas: vt dum sumus in cursu ad interitū, in hisce rebus infimis velimus consistere & dū peregrinamur, quia huiusce mundi veluti vrbis vsu non prohibemur, in ea velimus ciues permanere, non enim hoc peregrinationis tempus patitur: & ipse rerum omnium cursus adeo certis temporis spatiis circumscribitur, vt nulla possit alicubi diutius permanere, temporis enim ratio, ea huc & illud reijcit, ne in eodem loco diu versari possint?

Tempus

*Tempus naſcendi, tempus moriendi, & tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum eſt.* II.

Eſt igitur tempus, quo in locis maternis homo effingitur, indéque in lucem editur, cùm verò tempus ita efflagitat, è vita diſcedit. Hanc quidem cõditionem cæteræ res omnes ſubeunt; priùs enim oriuntur, deinde augentur, maturitatem conſecutæ ſeneſcunt, & pereunt. Res quidem cùm proſperè fluere incipiunt, iuuenili quaſi quadam ſpecie, ad ſe animos alliciunt; ipſæ verò intento curſu, in interitum ruunt. Arbores vt conſeramus, tempus aliquando admonet, temporis quoque viciſſitudo facit, vt eas poſtea euellamus; ſic omnia breui mutantur, vt quæ erant vtilia, nullam afferant vtilitatem, & quæ ſingulari nobis curæ erant, ſit maximè conueniens, vt ea negligamus.

*Tempus occidendi, & tempus ſanandi.* III.

His autem temporum varietatibus adeo ſubiicimur, vt ſæpenumerò cogamur humanam quodammodò naturam exuere, vt iis interitum inferamus, quibus ad ſalutem præſtandam, natura trahimur: incidunt enim nonnumquam eiuſmodi tempora, vt ſit neceſſe, Reipublicæ ſtatum, ciuium cæde firmari, & quos ſeruari alio Reipublicæ tempore oportebat, eos ad necem tradi: quod enim Reipublicæ, aut priuatis rebus aliquando proficit, non eſt putandum id ſemper conducere.

*Tempus deſtruendi, & tempus ædificandi, tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi, & tempus ſaltandi, tempus ſpargendi lapides, & tempus colligendi.* IV.

Vt habitemus magnificè, non mediocribus ſumptibus ædificamus, quæ poſtea demolimur, vel quia ad noſtras, vt antea fuerant, vtilitates apta non ſunt, vel quia vtinam, temporis diuturnitate, minantur: ita fit, vt ædificatio, & demolitio, ſe, vt tempora poſtulant, conſequantur; quæ namque ad vitæ commoditatem, & ſuauitatem mente deſignauimus, & ſtudio ſingulari parauimus, ea vt pernicioſa ducimus euertenda: diuerſis enim temporibus eſt vita noſtra diuerſis temperanda rationibus, inſanientis eſt enim, dum res in eo ſunt ſtatu, cui lacrymas præbeas, riſum captare, & dum riſum illæ commouent, lacrymis ſe dedere, dum verò oportet de ſuorum obitu, vel conditione flere, in conuiuio ſaltare. Lapides è terra excindimus, & aceruos eorum facimus, vt ædificemus, eoſdem diſpergimus, diſperſos verò, atque diſiectos, iterum colligimus, vt quotidianæ vitæ noſtræ conſulamus: neceſſe eſt enim temporis varietatem nos ſequi, & vitæ inſtitutæ curſum, aliò, quo minimè putabamus, inflectere.

Inſanientis eſt cùm ſtatus noſter lacrymas poſcit, riſum captare.

*Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Tempus acquirendi, & tempus perdendi. Tempus cuſtodiendi, & tempus abiiciendi.*

C

Quin etiam viri, & vxoris coniugium, quod est natura coniunctum, & Dei auctoritate stabilitum, temporis ratio moderatur. Humani generis initio, coniuges ad illius propagationem, liberis operam dabant, miserosque eos ducebant, qui liberos non suscepissent: eo verò iam in totum orbem terrarum propagato, non parui pretij esse cœpit in viduis corporis castimonia ac tandem erit aliquando tempus, in quo illi summis laudibus efferentur, qui ad Dei similitudinem assequendam, vt sint paratiores, vxores non ducent, & castos se purósque seruabunt: nec quidem post generis nostri principes, fuit vnquam in more positum, vt viri vxores ducerent, vbi primum ad ætatem virilem peruenissent: sine vxoribus priùs degebant, postea cùm id tempus postulabat, vt è natura viuerent, eas adiungebant: earum quoque consuetudine nonnumquam se abstinebant, vt nunc facimus, ne religionem quam ex more maiorum, & institutis diuinis, seruabant, in Deo colendo, polluerent, & vt de studio Deum precandi, sensuum iudicium amouerent. Si igitur in coniugio, quo sunt ita coniuges copulati, vt sit idem vtriusque animus, & voluntas quodammodo tempus dominatur quid de rebus aliis erit iudicandum? Num qui diuitias expetunt, emendi quæ & vendendi quæstio, & lucro ducuntur, semper lucrantur alienum? Minimè quidem. Nonnumquam enim, & suum perdunt. Diuitias custodiui aliquando oportet, esset enim hominis dissoluti, eas frustra dissipare: & cùm id tempus effluxit, & alia sit temporis conditio, nihil erit honestius, quam eas contemnere, & ad beneficentiam, liberalitatémque conferre.

VI. *Tempus scindendi, & tempus consuendi. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tempus dilectionis, & tempus odij. Tempus belli, & tempus pacis.*

Decet suo quidem tempore, vt animi sensum, & dolorem, quo afficimur, significemus, vestem rescindere: eandem vt tempori seruiamus, cùm vel mærorem deposuimus, vel dolorem fuerit voluptas consecuta, resarcire. Imò & quæ erant in vnum redacta, oportet in plura diuidi, vt prouinciæ, quæ vnius imperio erant subiectæ, in multorum ditionem, ab vnius imperio distractæ cadant: Deinde vt rerum vicissitudo, Dei iudicio, fert, in alterius gentis potestatem, cùm opportunum fuerit, omnes redigantur. Tantum verò ad vitam rectè moderandam momentum, ratio temporis habet vt & si hoc vno cæteris animantibus maximè præstemus, quòd colloquamur inter nos, & mentis sensa verbis explicamus, sit tamen aliquando nobis ad salutem opus taciturnitate, neque animo cogitamus, dum aliis ea exprimimus, detrimenti aliquid, ex illorum perfidia excipiamus, aut rempublicam loquacitate lædamus: item contra, sæpenumerò priuata, & Reipublicæ salus à nobis exigit, vt quæ sentimus, liberè proferamus. Hominum quoque societas ad quam nati sumus, nec firmari sine amoris vinculo potest, nec seruari: virtus autem amorem conciliat; sunt verò animi humani, ita varij & commutabiles, vt virtutis dignitatem, quam fuerunt consecuti sæpenumerò amittant, vt non iam amorem, sed omnium in se odium, ob scelerum magnitudinem, excitent: quare amicitias virtutis splendore ducti, con

Hominū societas nec firmari sine amoris vinculo potest, nec seruari.

contrahimus; easdem, vitiorum deformitate offensi, vsus remissione, leuamus. Et cùm ex eodem parente, nostrum genus sit ortum, & sit inter omnes homines sanguinis communio,& ius societatis, naturæ vi, stabilitum, illud tamen aliquando, non colere, ius est: sic omnia tempore mutantur: vt nostra tueamur, cum aliis nationibus bellum suscipimus, cum iisdem pacem facimus, vt Rempublicam, ab omni incommodo, integram seruemus.

*Quid habet amplius homo de labore suo? Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, vt distendantur in ea.* VII.

Imprudenter igitur, illi agunt qui nulla temporis habita ratione, toto pectore, aut diuitias, aut voluptates sectantur, cùm in illis tempus dominari non videant. Quid enim eo poterunt labore consequi? num vt res humanæ, stabiles & fixæ sint, ne moueri possint?& quolibet temporis momento commutari? aut eam poterunt opulentiam adipisci, qua animi queat appetitus compleri? Haud equidem. Rerum enim constans varietas facit, vt animus, eo, quo potiri ardenter cupit, sæpe, sæpius careat: dum autem eget, necesse est, indigentia & fame cruciari, quam vt propulset, semper aliquid exquirit, & à se ipso diffidens ad diuersa rapitur. Hoc autem animi humani studium esse in causa, vt hominis vita molestiis,& angoribus implicetur, idque sanctissimi numinis iudicio fieri cognoui.

*Cuncta fecit bona in tempore suo & mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.* VIII.

Deus enim in suo quæque genere optima creauit, infima mediis, media superis, mirabili sunt ratione connexa, prima vltimis, media extremis, omnia omnibus concinnè respondent, vt in ipsa rerum & temporum varietate, consensus quidam inter se diuersatum rerum,& sese loco quodammodo expellentium concentus insit, nam vnumquodque eorum, quomodo, & quando oportebat, sapienter edidit. Huius autem præclarissimi operis fabricam, molitionem, artificium, ordinem, stabilitatem, quæ tot seculis in tanta varietate permanet, vt homo inquireret, illius menti Deus miram sciendi cupiditatem inseuit, vt inde in sui cognitionem veniret, & rerum vicissitudine, ad eam consequendam vteretur: in mundi quoque partibus, propriæ mentis angustias cerneret, dum rerum conditarum à Deo rationes, non potest exactè percipere: hinc enim sperandum erat, fore, vt ipse diffidens, ex Dei voluntate penderet. Verùm sensuum iudicio ductus, hoc Dei consilium, quo mundum hunc condidit,& prouidentiam, qua administrat, aut cognitã, & exploratam non habet, aut impiè contemnit: ex quo sunt ea, quæ hominum vitam miserrimam efficiunt.

IX. *Et cognoui, quòd non esset melius nisi lætari: & facere bene in vita sua: omnis enim homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.*

Quamobrem illum iudicaui, commodissimè, quod datum est vitæ, traducere, qui vt tempora ferunt, hæc infima, ad vsum vitæ confert, vt in egestate non sit, sed quæ ad victum cultumque sunt necessaria, sibi suppetant, & in his voluptates ita sensu percipiat, vt mentem non amittat, vitámque ita moderetur, vt præclaris operibus, viam sibi in cælum muniat. Hoc autem ingenij humani tenuitas præstare non potest, sed munere diuino illud adipiscimur; neque enim aliunde, hoc in vita bonum assumimus, vt in tanta rerum varietate homo constitutus, de re aliqua lætari possit, & iis, quæ sunt ad vitam necessaria, abundet, & impensi laboris sui fructum colligat, nisi ex eo, vnde bona cuncta, in rerum omnium naturas, emanant. Hæc de naturali rerum vicissitudine, & mentis humanæ, in corpus hoc crassum, & caliginosum inclusæ, imbecillitate disseruisse sufficit.

X. *Didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus perseuerent in perpetuum, non possumus eis quidquam addere, neque auferre, quæ fecit Deus, vt timeatur. Quod factum est, ipsum permanet. Quæ futura sunt, iam fuerunt, & Deus instaurat quod abiit.*

Nunc iam ea videamus, quæ homines sibi ipsi in communẽ vitam mala inuexerunt. Hinc autem exordiar. Dei Sapientiam, in mundi huius, quem cernimus, fabrica, hominibus enituisse cognoui, & vsu percepi, ab eo fuisse omnia, tam admirabili ratione constituta, vt non solùm tam multis sæculis permaneant, sed vt nihil eis, ad totius vniuersitatis pulchritudinem addi, néve oculos offendat, sit necesse detrahi. Ea quidem ideo Deus tam eleganter condidit, vt homines ad religionem excitaret, qua illum piè colerent, & illius offensam perhorrescerent. Id autem vt in eorum animis vehementiùs infigat, hæc omnia variis successionibus sic temperat, vt mundus integer perseueret: insita namque in natura vi, de eo minutatim demitur. Dei tamen prouidentia, & virtute, sui quasi consumptione mundus alitur: illius enim partes paulatim labuntur, neque propterea omnino pereunt, procreator namque illarum Deus, abundè suppeditat, vt refici, & renouari possint: quod quidem iam ab initio rerum infinita virtute præstitit, & futuris quoque temporibus præstabit.

XI. *Vidi sub sole in loco iudicij impietatem: & in loco iustitiæ iniquitatem.*

Etsi

Etsi verò in mundi partibus, Dei numen tantopere emineat, vt sanctissimi illius iudicij metus homines debuisset à scelere cohibere, nullus tamen eis ferè illius timor obijcitur, quare ipsi sibi innumera mala addiderunt, inde enim illud, quod plurimorum est malorum causa, proficiscitur, nempe, vt in iudicijs dominetur impietas: eum enim in republica, locum, in quo iusti, & integri homines; ad eam moderandam, esse debuerant, omnium sceleratissimi occupant, vnde probis, & integerrimis viris, iniqua iura describunt, & qui nulli sunt sceleri affines, vel bonis euertuntur, vel pœnis acerbissimis, & mortis supplicio puniuntur: qui verò sunt omni flagitio cooperti, iudicium illudunt dignamque suis sceleribus pœnam minimè suscipiunt.

*Et dixi in corde meo, iustum & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.* XII.

At licèt nunc improbitas armata sæuiat, scio, probum & improbum fore à Deo iustis ponderibus examinandos: tunc autem non populari gratia, aut potentium auctoritate res ponderabitur, sed sanctissimi iudicis trutina nostrorum studiorum, & actionum pondera examinabuntur. Est enim omnibus à Deo tempus prædefinitum, vt qui nocens est, non ampliùs iniuriam inferat, sed sui sceleris pœnas luat, & manifestum fiat, quid cuique tempori, in anteacta vita fuisset consentaneum, in quo officium deseruimus, & ij, qui virtutis studio flagrarunt, amplissimis præmijs afficiantur.

*Dixi in corde dè filijs hominum, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis.* XIII.

Cùm autem res ita sese habeat, in tam perditis hominum moribus, existimaui, Deum non conniuere quidem, sed vt infinita illius benignitas postulat, ideò non statim, vt scelus cõmittunt, eos supplicio punire, vt aliquando resipiscant, & sese ab iis, in quibus sunt sceleribus, ad virtutis studia reuocent: sic enim eos tolerat, vt diligenter curet, eos sæpius monendo, vt si fieri possit, eorum purgati probatique sint mores. Hi tamen instar animantium, quæ ratione carent, obstinatione quadam sententiæ, illius legem repudiant, & in vita moderanda sensuum consuetudinem & iudicium sequi, potius sibi esse ducunt.

*Idcirco vnus interitus est hominis, & iumentorum, & æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius: cuncta subiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur.* XIV.

Cùm verò ita illi insaniunt, cæci libidine, non vident, ob id, in quo ipsi





ſunt,ſtudium, eam genus noſtrum conditionem perferre, vt quemadmodum,quodcumque aliud animal, mortem obire compellatur, & ſicut iumentorum vita ſpiritu continetur;ita & illud vt viuat,neceſſe ſit,ex aëre ſpiritum ducere;Quid eſt ergo,in quo homo cæteris animantibus excellat,& præſtet,ſi ad legis diuinæ præſcriptum, imperium ſibi à Deo traditum, non adminiſtret? cuncta intereunt,& eò, vnde ſunt orta, reuertuntur,& quemadmodum è luto fuerunt efficta,ita in puluerem redigentur: quæ omnia in nos mala peccatum innexit.

XV. *Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?*

Quod eas hominum mentibus tenebras offundit,vt cæterarum animantium ſenſus,à ſe arripi,vt iucundè viuant, æquum & honeſtum eſſe ducant: nec eorum quiſquam vel nouit, vel animaduertit, vtrùm hominis ſpiritus, corporis vinculis ſolutus, in ſuperam regionem hinc abeat, & cæterarum animantium,in hæc,ex quibus conſtat, infima elementa conuertatur:& ita viuunt,ac ſi animus hominis,ſimul cum corpore,mortuus concidat.

XVI. *Et deprehendi nihil eſſe melius quàm lætari hominem in opere ſuo,& hanc eſſe partem illius. Quis enim eum adducet, vt poſt ſe futura cognoſcat?*

Quamobrem eos comperi, voluptatem arbitrari eſſe ſummopere expetendam, & ſummum in ea eſſe hominis bonum collocandum: quam ſi oratione ſententiam negent, vehementiſſimè tamen vita, factis, & moribus eum probant: nec id quidem mirum: quia vix vlla tanta erit dicendi facultas, quæ hominem ſenſuum iudicio aſtrictum, poſſit ab ea,in qua verſatur,ad futuro vitæ cogitationem traducere.



# CAPVT IV.

1 VErti me ad alia,& vidi calumnias, quæ ſub ſole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem conſolatorem: nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos. * Et laudaui
2 magis mortuos, quàm viuentes: * & feliciorem vtro-
3 que iudicaui, qui necdum natus eſt,nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt. * Rurſum contemplatus ſum omnes la-
4 bores hominum, & induſtrias animaduerti patere inuidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas, & cura ſuperflua
5 eſt. * Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas,

ſuas, dicens: * Melior eſt pugillus cum requie, quàm 6.
plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi.
* Conſiderans reperi & aliam vanitatem ſub ſole: 7.
* vnus eſt,& ſecundum non habet,non filium, non fra- 8.
trem,& tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi
eius diuitiis:nec recogitat, dicens:Cui laboro, & fraudo
animam meam bonis? in hoc quoque vanitas eſt,& af-
flictio peſſima. * Melius eſt ergo duos eſſe ſimul, quàm 9.
vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: * ſi 10.
vnus ceciderit, ab altero fulcietur. væ ſoli: quia cùm
ceciderit non habet ſubleuantem ſe. * Et ſi dormierint 11.
duo, fouebuntur mutuò: vnus quomodo calefiet? * Et 12
ſi quiſpiam præualuerit contra vnum duo reſiſtunt ei:
funiculus triplex difficilè rumpitur. * Melior eſt puer 13
pauper & ſapiens, rege ſene & ſtulto, qui neſcit præui-
dere in poſterum. * Quòd de carcere, catenı́ſque inter- 14
dum quis egrediatur ad regnum: & alius natus in regno,
inopia conſumatur. * Vidi cunctos viuentes, qui am- 15.
bulant ſub ſole cum adoleſcente ſecundo, qui conſurget
pro eo. * Infinitus numerus eſt populi omnium,qui fue- 16
runt ante eum: & qui poſtea futuri ſunt, non lætabun-
tur in eo. ſed & hoc,vanitas & afflictio ſpiritus. * Cuſto- 17.
di pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropin-
qua,vt audias.Multò enim melior eſt obedientia, quàm
ſtultorum victimæ, qui neſciunt quid faciunt mali.

---

*Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ ſub ſole geruntur,* I.
*& lacrymas innocentium, & neminem conſolatorem: nec poſſe*
*reſiſtere eorum violentiæ,cunctorum auxilio deſtitutos.*



VM ad alia conſideranda me verterem ex eodem impietatis fonte, vidi iniurias exiſtere, quibus innocentes omnium ope & auxilio nudati, potentium vi atque libidine & malitioſa iuris interpretatione, vexantur. Lacrymas illi quidem offendunt hominum fidem implorant, quærimoniam cum eiulatu deferunt,nec quidem aliquis in tanta hominum multitudine reperitur,qui hanc improbis,viuendi licentiam præcidat,innocentéſque tuęatur.

II. *Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes: & feliciorem vtroque iudicaui, qui nec dum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.*

Quamobrē cum illis, qui sunt vita functi, multò meliùs quàm cum ijs, qui viuunt, actum fuisse iudicaui: eum verò, qui non est in lucem editus, si hominis statum, nullam post obitum meliorem vitæ conditionem sperantis, contemplere, vtrisque prætuli. Ea enim, quæ scelerum impunitatem, subsecuta est licentia, tantam vim malorum, in hominum vitam inuexit, vt eam miserrimam reddiderint, nec ij, qui in vita sunt, ab illis possunt, nisi morte, vindicari, at qui nondum nati sunt, ea sentire minimè potuerunt.

III. *Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas & cura superflua est.*

Inde quoque sui illud initium duxit, quod hominum genus adeo vehementer excruciat, vt ijs, qui re aliqua præstant, cæteri inuideant. Potentium namque animos inuidia exedit, si alios sui ordinis viros excellere, vel inferioris ordinis aliquos secum æquari vident. Et eum, qui est opibus inferior, stimulis pungit, vt ad ea aspiret, in quibus alium videt cum laude populari versari: & eum, qui gratia plurimùm valet, in diuersa exagitat, vt nequeat aliqua in re ab inferiori vinci. Hoc autem non solùm vanum iudicari debet, sic nempe cuiusque studium, ad alterius libidinem, & inconstantiam fingi, verùm etiam plurimum acerbitatis affert, dum vento animum pascit, & famem, qua conficitur, minimè depellit.

IV. *Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens: Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi.*

Ii verò, quos æmulatio non incendit, in duo sunt genera dispertiti; eorum enim quidam stultitia obcæcati, futura non prouident, nec vt sibi curent, salutíque suæ consulant, manum mouent, cessatione torpent, & quæ sibi sunt à parentibus relicta, consumunt, bonísque nudati, miserè postea cruciantur: hanc suam singularem stultitiam, vt omni vitio carere cæteris hominibus ostendant, illud in ore habent, tenuem rem familiarem, pluris esse cum requiete, quàm magnam & amplam cum labore, & animi solicitudine: ac si nihil intersit, vtrùm eo, quod habes, contentus sis, & quæ possunt incidere, antè prospicias, & caueas, ne vnquam quotidiani victus indigeas, an otio langueas, & patrimonium dissipari, stupore sinas.

V. *Considerans reperiet aliam vanitatem sub sole: vnus est, &*

*secundum*

*secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat nec satiantur oculi eius diuitiis, nec recogitat, dicens: Cui laboro & fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est & afflictio pessima.*

Alij verò, vt ex rerum vsu exploratè cognoui, pecuniam tantopere concupiscunt, vt cùm sint orbati progenie, fratre & filio careant, ad quem post illorum obitum hæreditas possit iure peruenire, labori non supersedeant, quem semel exceperunt, vt pecunias congerant, quibus eorum nequit cupiditas expleri. Nec vmquam accuratiùs animaduertunt, in cuius vtilitatem laborem impendant, & cuius gratia, de iis, quæ sibi sunt ad victum, cultumque necessaria, substrahant. Vanum profectò est hoc illorum studium, & non mediocri molestia implicatum: frustra namque sunt de pecuniis augendis laborantes, quæ suis minimè proderunt, & vitam sibi molestiis plenissimam efficiunt.

*Melius est ergo duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ. si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.* VI.

Nullum est autem tam sanctum, & solemne fœdus, quod auaritia non violet; dum enim aliorum bonis inhiat, eaque deuorare ardenter cupit, nullum ius societatis humanæ sanctum esse ducit. At nullam homini auaro argentum in arca positum vtilitatem affert. Non mediocris autem vtilitatis fructum præberet, si ad reipublicæ, & ad aliorum commodum cõferretur: sic enim diues homo, & opulentus societatem inter homines à natura constitutam coleret, amicitiásque coiret, quarum præsidio, vitam munire, multò quidem sibi commodius fuisset. Varij enim sunt miseriarum humanarum casus, qui in communem vitam frequenter incurrunt, eámque acerbissimam sæpenumerò reddunt. Sed casus acerbitatem non pecunia, sed sanctæ societatis fides & amicitia, tum ope, tum consilio, & oratione eleuat, quin & in malis prolabentem retinet, ne concidat, prolapsum excitat ne examinatus iaceat. Is verò qui amicitiam pecunia metiri consueuit, nulláque amicorum studia sibi comparauit, in lubrico positus, à variis, tum animi motibus impulsus, tum fortunæ, vt ita dicam, flatibus agitatus num fulciri poterit, ne labatur? Num in medio cursu labentem se sustinebit, ne concidat? Aut insistendi locum omnium ope destitutus reperiet? Quid si diuinum numen debito cultu venerere, & ictum cum eo fœdus non violes, & in fide maneas, quæ illum tibi conciliet & coniungat? Num eo poterit esse quidquam tibi ad vitam magis salutare? ad voluptatem iucundius? ad præsidium firmius? ad solatiũ valẽtius? Si verò sacrosanctũ illud fœdus Christi sanguine sancitum impiè frangas, & à Deo animo & voluntate dissideas, quis orbatum te illius præsidio ad exitium præcipitem reuocabit? tu quidem præcipitantem, te ipsum impelles, & ea, quæ Dei amicitiæ, & societati prætulisti, vrgebunt perditúmque te prosternent.

Auaritiæ mala.

D

VII. *Si dormierint duo, fouebuntur mutuò; vnus quomodo calefiet? & si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficilè rumpitur.*

In rebus etiam prosperis dum sumus animo quieti, & nullæ nos perturbationes vexant, societatis sanctè cultæ quantum sit emolumentum, apparet: ea enim quæ est inter consanguineos & amicitia coniunctos, communione, fit vita iucundior. Nam dum nostra cum illis communicamus, illorum quoque bonorum participes efficimur. Vt enim si duo simul in hybernis frigoribus cubent, multò quidem faciliùs, & plus eo, qui solus cubet, calefiunt, quia sic est à natura comparatum, vt alius ab alio calorem participet; ita quoque bonorum illa, inter consiliorum socios, & amicos, communicatio, permagnam affert ad res prosperas accessionem. Hunc autem tranquillum rerum nostrarum statum si multò nobis viribus valentior inimicus oppugnet, ei quidem resistere minimè poterimus, si propriis velimus cum eo viribus congredi: fideli tamen amicorum opera & sociorum auxiliis stabiliti illum retundimus, nam si tres sint inter sese funiculi connexi, & artificio omnes in vnum sint ducti, & si singuli facilè rumpi possint, difficillimum tamen erit homini, licèt viribus valentissimo, illum rumpere, qui ex triplici funiculorum connexione constat: Simili profectò ratione, qui nulla sibi amicorum studia comparauit, facili negotio opprimitur: qui verò plures sibi consiliorum & periculorum socios asciuit eorum opibus vallatus, inimicorum impetum non modò sustinet, verùmetiam sæpenumerò frangit.

VIII. *Melior est puer pauper, & sapiens, rege sene & stulto, qui nescit præuidere in posterum.*

Hoc autem nemo poterit admirari, si ad Regum diuitias, & opes mentem referat: nam nihil eas omnino prodesse, sine sapientia, cognoscet: adeo sunt paruæ diuitiarum vires, si non sint cum sapientiæ laude coniunctæ, vt multò sit reipublicæ vtilior adolescens sapientiæ muneribus ornatus, licèt opibus careat, quàm Rex ætate prouectus, & stultus: hic enim quo pacto sint opes illæ maximæ, ad reipublicæ salutem moderandæ, penitus ignorat. Quare aut eas dissipat, aut imprudens eas in reipublicæ perniciem confert, non enim ex rerum presenti statu præuidet, quæ reipublicæ mala emineant, vt ea possit ab illius ceruicibus auertere.

IX. *Quod de carcere, catenisque interdum quis egrediatur ad regnum; & alius natus in regno, inopia consumatur.*

Vnde fit, cùm eodem ortu sit hominum genus procreatum, vt Reges ob spem in illis futuræ sapientiæ, ex vtero tanquam è carcere vinculísque, ab

ab omnibus rebus inopes,ad imperium educantur;qui in vulgus hominum, nisi sint sapientia exculti, iure optimo coniiciuntur, & rebus suis perditis in summisq miseriis constituti, fame vexantur. Quin etiam ad inopem sæpenumerò adolescentem, sed sapientem, quem Rex insipiens in carcerem condidit, imperium deferri contigit; huic enim splendor sapientiæ omnium animos conciliauerat, ab illo autem stultitiæ dedecus alienos esse erat.

*Vidi cunctos viuentes, qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo. Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum; & qui postea futuri sunt; non lætabuntur in eo. sed & hoc vanitas & afflictio spiritus.* X.

Mirum profectò est,in quàm singulari ambitione, & labore homines viuant; pueri enim terreni Regis futuri gratiam quærunt: eam stulti senis Regis,dum puer esset, plurimi quoque aucuparunt, qui ab spe propositi honoris, & emolumenti, sunt dejecti. Est enim Regum multiplex & inconstans cupiditas, animus impotens, nullis legum vinculis adstricta libido. Horum tamen casus alios minimè deterruit, quin ad pueri voluntatem, qui in Regis patris locum succedet, sese affingant, vt ab eo gratiam ineant. Quemadmodum ergo priores illi, frustra neruos omnes industriæ contenderunt, vt Regis, qui nunc senex est, dum adolescentiæ studiis ducebatur, gratiam consequerentur, ita & his idem studium erga puerum, quem propediem patre mortuo regnaturum sperant, minimè proficiet. Quamuis enim hunc regni hæredẽ tantopere colant,cùm eum optimis moribus non imbuant, & ad omne officij genus non instruant, patris ille vestigiis insistens, eos iniuriis vexabit: adeo sine sapientia pecuniæ nihil reipublicæ prosunt. Quare est hoc illorum hominum studium inane, & acerbitatis plenissimum.

Sine Sapiẽtia pecuniæ nihil reip. prosunt.

*Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei, & appropinqua, vt audias: Multò enim melior est obedientia, quàm stultorum victima, qui nesciunt, quid faciunt mali.* XI.

Summi verò Regis, cuius voluntas rerum vicissitudine mutari non potest,nec opes labefactari,aut imminui,aditus gratiæ,omnibus hominibus, licèt apud illum, ob sceleratam viuendi rationem sint in offensa, patet; si enim resipiscant, & sese ad virtutis studium traducant, omnem ille obliterabit offensionem, & eos in gratiam suam benignè recipiet. Cùm igitur ad locum ieris, vbi ille sedem sibi inter homines collocauit, vt inde preces eorum, vota singulari quadam ratione exaudiat, animi tui studia priùs, & mores probè examina, vt si quid

in illis sit deforme, quod aliquid offensionis habeat id antequam illius numen offensum, muneribus venerere, aut vllis precibus placare, ad diuinæ legis normam reuoca, & omnem turpificati animi offensionem dele. Hoc autem consequeris, si ea, quæ ille sanxit, & ab iis, quos hominum moribus instituendis præfecit sunt tradita, audieris diligenter, & in animo tuo inserueris, adest enim ille animo tuo præsens, neque vmquam abest, vt præclarum hoc tuum illius præceptis obediendi studium, donis amplissimis muneret, & tibi in precibus, & votis occurrat. Multò quidem secus illis eueniet qui flagitiorum sordibus inquinati cùm sint, & ad scelus omne perficiendum parati, Deum sibi cæsis victimis placari putant, in quo quidem turpiter errant, nec animo cogitant ad ea, quæ in vita commiserunt peccata, huius errati maximi fieri accessionem.

# CAPVT V.

NE temerè quid loquaris, neque cor tuum sit
1 velox ad proferendum sermonem coram Deo.
Deus enim in cælo, & tu super terram: idcirco
2 sint pauci sermones tui. * Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur stultitia.
3 * Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio. sed quodcumque voueris,
4 redde: * multóque melius est non vouere, quàm post vo-
5 tum promissa non reddere. * Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam: neque dicas coram angelo: Non est prouidentia: ne fortè iratus Deus contra sermo-
6 nes tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum. * Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermo-
7 nes innumeri: tu verò Deum time. * Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminen-
8 tiores sunt alij, * & insuper vniuersæ terræ rex imperat
9. seruienti. * Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas

nitas

nitas. * Vbi multæ ſunt opes, multi & qui comedunt eas. 10.
Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quòd cernit diuitias
oculis ſuis? * Dulcis eſt ſomnus operanti, ſiue parum, 11.
ſiue multum comedat: ſaturitas autem diuitis non ſinit
eum dormire. * Eſt & alia infirmitas peſſima, quam vi- 12.
di ſub ſole: diuitiæ conſeruatæ in malum domini
ſui. * Pereunt enim in afflictione peſſima: generauit fi- 13.
lium, qui in ſumma egeſtate erit. * Sicut egreſſus eſt nu- 14.
dus de vtero matris ſuæ, ſic reuertetur, & nihil auferet
ſecum de labore ſuo. * Miſerabilis prorſus infirmitas: 15.
quo modo venit, ſic reuertetur. Quid ergo prodeſt ei
quod laborauit in ventum? * Cunctis diebus vitæ ſuæ 16.
comedit in tenebris & in curis multis, & in ærumna at-
que triſtitia. * Hoc itaque viſum eſt mihi bonum, vt co- 17.
medat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo, quo
laborauit ipſe ſub ſole numero dierum vitæ ſuæ, quos de-
dit ei Deus, & hæc eſt pars illius. * Et omni homini, cui 18.
dedit Deus diuitias, atque ſubſtantiam, poteſtatem-
que ei tribuit vt comedat ex eis, & fruatur parte ſua, &
lætetur de labore ſuo: hoc eſt donum Dei. * Non enim 19.
ſatis recordabitur dierum vitæ ſuæ, eo quòd Deus occu-
pet deliciis cor eius.

---

*Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad pro-* 1.
*ferendum ſermonem coram Deo: Deus enim in cælo & tu ſuper terram: Idcirco ſint pauci ſermones tui: Multas curas ſequuntur ſomnia & in multis ſermonibus inuenietur ſtultitia.*

HI autem in ſingulari hac hæſerunt ſtultitia, quòd non àliter de Deo, atque de hominibus opinantur. Caue igitur, ne quidquam de illo temerè iudices, illius mentem priùs conſule, quàm de eo, aliquid affirmes; cùm enim è tellure effictus ſis, à ſēſibus percipis, quodcumque animo concipis: id autem neceſſariò erit ex terrena, & mortali natura concretum: at ille, cùm ſit ab omni concretione ſegregatus, rerum omnium naturas infinitè ſuperat, cælúmque imperij ſui, & gloriæ domicilium cōdidit. Ea ergo, quæ tibi ſenſus referunt, Deo minimè affingas, nec pluribus eum verbis precare, quàm ipſe conſtituit, quid enim tibi ſit optimū

cùm ipſe minimè noueris, ille exploratè cognoſcit. Si autem plura diſſeras, & ingenij acumine velis naturam illius inueſtigare, ea animum tuum peruadent, quemadmodum dormientibus qui multis ſunt curis implicati, ſæpe contingit, ex quibus varia & obſcura quædam tibi ſomnia exiſtent, quibus vehementer agitabere, vt nuſquam poſſis animo conſiſtere. Accedit præterea quòd de rebus humanis, qui diſſerunt, ſi multi ſint in dicendo, multa temere effutiunt: quid igitur exiſtimandum erit, ſi de Deo, quocumque nos ſenſus ducant, liceat in dicendo vagari? quare breuiſſimè de Deo diſſeras, & ea quæ vel ille, & ij, in quorum animis ille inſedit, tradiderunt, vel ipſe in naturis rerum expreſſit, tantummodo profitere.

II. *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio, ſed quodcumque voueris, redde, multóque melius eſt, non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere.*

Vt autem orationem, quam apud Deum adhibes, diligentiùs examines, illud ſit tibi ſemper ante oculos propoſitum, vt illius gratiam conſequaris, opus tibi eſſe in omni negotio officium tueri. Quæ igitur vota nuncupaſti, ei ſingulari cura perſolue, ne debiti officii prætermiſſio, animo tuo, licèt bene informato, labem aſpergat, quæ Deum oſtendat, & eum iratum tibi reddat. Nam ſibi non ſatisfieri promiſſo, indignè patitur: equidem ſi ſoluturus non eras, ſatiùs quidem fuiſſet, te non vouiſſe.

III. *Ne dederis os tuum vt peccare facias carnẽ tuam; neque dicas coram Angelo: Non eſt prouidentia: ne fortè iratus Deus contra ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum.*

Dum ergo illum veneraris, caue ne quid temere promittas & in pollicendo temeritas faciat, vt fides tua, quam illi obligaſti, concidat, & ita non mediocre in te perfidiæ ſcelus committas. Non autem ideo te religione ſolutum arbitrere, quia teſte nemine vouiſti: Angelus namque præſens tibi aderat cui te cùm primùm es in lucem editus, Deus O.M. cuſtodiendum tradidit: quare ne tibi perſuadeas, poſſe à te impunè promiſſi fidem violari, & dicas audiente Angelo, qui te cuſtodiendũ ſuſcepit, nemo aderat, qui factum ſciat, nemo qui poſſit à me promiſſum exigere: neque ad voti ſolutionem, nulla te religione aſtringi, eo argumento probatum eſſe putes, quia te imprudenter vouiſſe dicas. In huiuſce namque perfidiæ pœnam, Deus ea, quæ ſingulari cura & ſtudio perfeciſti, labefactabit, vt quia in fide non ſteteris, ea quoque, quæ ſtabilire nitebare, concidant.

IV. *Vbi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates, & ſermones innumeri: Tu verò Deum time.*

Quem

Quemadmodum ex eorum, quæ agimus, & loquimur, inhærentibus in animo ſpeciebus, earúmque perturbatione, plurima fiunt ſomnia; ita ex noſtrarum cogitationum varietate, & ex iis ſermonibus, quos plurimos de rebus grauiſſimis, imprudenter habemus, hæc ſomnia exiſtunt, quæ te, in deteſtandæ perfidiæ ſcelus abducunt: dum enim omni lege ſolutus animus, errore vagatur, ad ſenſuum iudicium ſe ipſum effingit, & illis ſe opinionibus adſtringit, quæ lucem mentis eripiunt, & tenebras offundunt, in quibus ſomniantium more, in pertubata quædam iudicia incidit, quæ ad omnia eum, licèt ſint omni perfidia imbuta, flagitia deducunt. Quamobrem, ne in re grauiſſima, imprudentia labaris, & in Dei offenſionem incurras, ſanctiſſimi illius numinis timore, in iudicando licentiam reprime, linguam coërce, & animi motus, ne vltra quàm decet, progrediantur, refræna.

*Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & ſubuerti iuſtitiam in prouincia, non mireris ſuper hoc negotio: quia excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij.* V.

Etſi verò homines ſceleratiſſimos videas in omni ſcelere impunè verſari, hunc, quem ego maximè hominibus ſalutarem prædico timorem, ne omittas: ſi inopes calumnia vexari, iudicia potentium gratia peruerti, & iuſtitiam conuelli, animaduertas, non cum admiratione inquiras, cur ea mala Deus ſuſtineat, non enim negligitur à Deo ius, ſed in tempus reſeruatur: ſunt autem honoris gradus, & eſt ab inferioribus magiſtratibus ad maiores prouocatio, atque tandem conſilium publicum, quod eſt cætus Angelorum.

*Et inſuper vniuerſæ terræ rex imperat ſeruienti.* VI.

Summa autem imperij atque poteſtatis excellentia, penes ſummum regem eſt, qui ad agri ſui culturam omnia dirigit, vt ex agro laboribus culto, pietatis fructus excipiat, & tandem omnium iniuriarum pænas ſontibus irrogabit: interim verò alios aliis proponit, vt ſcelera in communi etiam vita ſæpe vlciſcatur.

*Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas.* VII.

Quàm verò ille in eos, qui ius & fas omne delent dum in vita ſunt, ſapiēter animaduertat, ex eorum poteris conditione vitæ cognoſcere. Hi autem etſi auaritia ducti, iura frangant, iniurias inferant, & omnia tenuiorum bona compilent, numquam ex mendicitate emergent, quæ eſt cum auiditate coniuncta: quia nullæ vmquam rapinæ, eos cupiditate hiantes explere poterunt. Dum autem ſatiari nequeunt; aliena expetunt, & ex iis quæ congerunt, nullum fructum capiunt: illis enim vti non audent ne quid de illis diminuant: vt ſit multusquidem labor, ſed fruſtra in opes, per ſcelus & latrocinium coaceruandas, in ſumptus.

Vbi

VIII. *Vbi multæ sunt opes, & multi qui comedunt eas. quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis? Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multùm comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.*

Accedit etiam, quòd ingentes opes, cùm aliis hominibus plurimum vtilitatis afferant, ex iis enim, tenues homines, dum in variis negotiis, operam diuitibus nauant, mercede accepta, quæ sibi sunt ad vitam necessaria, parant; auaro, cuius illæ sunt, plus nihil ad vitam proficiunt; nisi id in bonis esse sentias, quòd eas possit, cùm lubet, aspicere. Iam nunc ad agricolæ, & cuiuslibet mercenarij vitam, animum confer, & quanto sit magis illorum, quàm diuitis & auari, conditio expetenda, considera. Is qui manu & opera victum quærit, quolibet cibo famem depellit fessumque iucundus somnus complectitur: at diuiti & auaro, opulentia somnum adimit, nam is vel vt diuitiis parcat, fame se necandum potiùs esse ducit, quàm partem aliquam illarum consumi: vel cibo, & potione onustus, & tristissimis curis distentus, nequit somnum capere, nec aliquam mentis tranquillitatem consequi.

XI. *Est alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima: generauit filium, qui in summa egestate erit. Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas; quomodo venit, sic reuertetur.*

Grauis est hic animorum morbus, qui in communem hominum vitam inuasit, & humanæ mentis iudicium, ita à recta ratione abducit, vt diuitiarum præsidio, satis se, homines tutos esse putent, cùm illæ sæpenumerò, vt vidi, perniciem & interitum iis afferant, qui eas compararunt: per scelus enim & iniuriam comparatæ, Dei iram excitant, vt de opulentis supplicium sumat: aut in arcam inclusæ, cùm in reipublicæ vtilitatem minimè conferantur, insita naturæ infirmitate dilapsæ, hominem ob illarum studium, molestiis afflictum, curisque distractum, ita deserunt, vt post illius è vita discessum, hæres filius maxima viuat egestate: ipse verò quemadmodum ex rebus omnibus nudus, in lucem è matris vtero editus fuerat, sic etiam, cùm à diuitiis, quas incredibili labore parauerat, tum ab omni, in Deum & in genus humanum meritò vacuus, in sepulchrum illatus, telluris quasi matris visceribus reddetur. Miserabilis quidem casus, & omnium commiseratione dignus; poterat enim ille, tantis opibus affluens, Deum, & homines, præclaris ad se operibus allicere, & hinc maximis virtutum ornamentis excultus abire: at vt rerum omnium expers, in hanc vitam fuerat ingressus, ita quoque ex ea nullis vel corporis, vel animi bonis ornatus discedet.

Quid

*Quid ergo prodeſt ei, quòd laborauit inuentum? Cunctis diebus vitæ ſuæ, comedit in tenebris & in curis multis & in ærumna atque triſtitia.* X.

Quid igitur ei commodi fruſtra ſuſcepti labores attulerunt? pecunias vt coaceruaret, nempe, vt ventum quæreret, laborauit, at is retineri non potuit, & effluxit. Vitam in tenebris egit, pecunias in lucem non protulit, nullum ex illis fructum, ad vitæ ſplendorem, & cultum, vel ad tranquillum animi ſtatum aſſequendum, tulit: imò quòd pecuniæ cupiditatem non expleuerit, in ſingulari erat ſenſus acerbitate, & huiuſce libidinis æſtu, curiſque, de augenda pecunia, agitabatur: labori autem ob inſitam in natura infirmitatem ſuccumbens, furénſque, triſtitia contabeſcebat.

*Hoc itaque viſum eſt mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo, quo laborauit ipſe ſub ſole numero dierum vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus, & hæc eſt pars illius.* XI.

Hoc igitur eſt, vt mihi videtur ſanum conſilium, vt homo non ſit in coaceruandis opibus occupatus, ſed quæcunque illæ fuerint, ex his vtilitatis, & iucunditatis fructum ſibi colligat: quandiu ſcilicet beneficio diuino, inuita fuerit, comedat, & bibat: non, inquam, diuitias, ſed diuitiarum vſum, & vtilitatem, ſpectet: vt eas in ſuam, & aliorum vtilitatem conferat, hoc enim eſt optima, & certa diuitiarum, quas quilibet habuerit, poſſeſſio.

*Et omni homini, cui dedit Deus diuitias, atque ſubſtantiam, poteſtatémque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo: hoc eſt donum Dei. Non enim ſatis recordabitur dierum vitæ ſuæ, eo quòd Deus occupet deliciis cor eius.* XII.

Nam multis quidem Deus. O. M. opes tribuit, qui ſitim cupiditatis explere nequeunt: hi diuitiis minimè lætantur, ſed miſerè potiùs anguntur: eſt igitur in ſingulari Dei beneficio ponendum, vt quis opibus abundet, è quibus voluptatem honeſtè & pro dignitate capiat: is enim etſi in vita labores aliquando ſuſtinuerit, nulla ei ſuperioris temporis recordatio moleſtiam efficiet, quia diuino munere id fuerit conſecutus, vt ex labore ſuo fructum ſe tuliſſe ſentiat, vnde vt hominis fert cõditio exortæ voluptates illius animum perfundant.

17. litia ſua. * Noli eſſe iuſtus multùm : neque plus ſapias
quàm neceſſe eſt,ne obſtupeſcas.
18. * Ne impiè agas multùm : & noli eſſe ſtultus, ne mo-
riaris in tempore non tuo.
19. * Bonum eſt te ſuſtentare iuſtum ſed & ab illo ne
ſubtrahas manum tuam:quia qui timet Deum,nihil ne-
20. gligit. * Sapientia confortauit ſapientem ſuper decem
21. principes ciuitatis. * Non eſt enim homo iuſtus in ter-
22. ra, qui faciat bonum, & nō peccet. * Sed & cunctis ſer-
monibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum : ne
23. fortè audias ſeruum tuū maledicentem tibi. * ſcit enim
24. cōſcientia tua,quia & tu crebrò maledixiſti aliis. * Cū-
cta tentaui in ſapientia.Dixi: Sapiens efficiar : & ipſa lō-
25. giùs receſſit à me * multò magis quàm erat:& alta pro-
26. funditas, quis inueniet eam? * Luſtraui vniuerſa animo
meo, vt ſcirem, & conſiderarem, & quærerem ſapien-
tiam,& rationem : & vt cognoſcerem impietatem ſtulti,
27. & errorem imprudentium: * & inueni amariorem mor-
te mulierem, quæ laqueus venatorum eſt,& ſagena cor
eius, vincula ſunt manus illius.qui placet Deo, effugiet
28. illam : qui autem peccator eſt, capietur ab illa. * Ecce
hoc inueni, dixit Eccleſiaſtes,vnum & alterum,vt inue-
29. nirem rationem, * quam adhuc quærit anima mea, &
non inueni. Virum de mille vnum reperi, mulierem
30. ex omnibus non inueni. * Solùmodò hoc inueni,quòd
fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſ-
cuerit quæſtionibus.Quis talis vt ſapiens eſt? & quis co-
gnouit ſolutionem verbi?

---

1. *Quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, cùm ignoret, quid conducat ſibi in vita ſua numero dierum peregrinationis ſuæ, & [illegible] quod velut vmbra præterit.*

Hoc



HOc autem ſtudium quàm ſit inane, ex eo apparet, quòd homo, quid ſibi expediat, ignorat: cur igitur eam ſibi prouidentiam tribuit, quæ mortalium naturam ſuperat in hoc inſtar vmbræ breuiſſimo vitæ curſu, in quo eſt, quid ſibi maximè conducat, non videt: quî fieri poterit, vt ipſe ea quæ futura ſunt, prouideat.

*Aut quis ei poterit indicare, quid poſt eum futurũ ſub ſole ſit?* II.

Nemo enim niſi fuerit diuino ſpiritu afflatus, ea quæ illius interitum conſequentur, poterit, vt annunciet, præſentire. Sunt igitur prouidentiæ & cogitationes noſtræ inanes, niſi ad Dei ſapientiam dirigantur.

*Melius eſt nomen bonum, quàm vnguenta pretioſa; & dies mortis die natiuitatis.* III.

Non enim ſenſus, ſed diuinæ ſapientiæ numen, hominem ad honeſtatis, & ſolidæ commoditatis cognitionem deducit. Nam ſenſus, præter corporis voluptates, quibus quodammodo liquefiunt, nihil in bonis eſſe iudicant: cùm tamen virtutis ſplendor, quæ veram nominis gloriam parit, ſit omnibus deliciis longè anteponendus: voluptates namque illæ ſenſum afficiunt, dum mouent, quòd ſi afficere perſeuerent, ſatietatem afferunt: ſin verò, vt illarum fert conditio, momento temporis euaneſcant, triſtitia ſenſum contrahunt. At virtutis decus cùm in eodem ſemper ſtatu permaneat, neque temporis vllam ſubeat iniuriam, animum numquam deſerit, eumque ſtabili voluptate perfundit. Mortẽ quoque ſenſus perhorreſcunt, etiam ſi dies, quo morimur, ſit eo quo naſcimur, præferendus. Ad labores enim naſcimur, & ab ortus noſtri initio quaſi viam ad interitum inimus, periculis & erroribus plenam. Mors autem improbo ampliùs peccare non ſinit, probis labores finit, virtutis curſum terminat, ad ea, quæ ſunt illis præmia à Deo conſtituta, aditum patefacit, ad quæ, dum erant in vita, adire nõ poterant.

*Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quod futurum ſit.* IV.

Luctum quoque, & mœrorem fugiendum eſſe, ſenſus admonent, & cibi potuſque ſuauitate maximè capiuntur, cùm tamen in conuiuiis, dum ſymphonia canit, dũ magnis poculis miniſtratur, mens in tenebris iaceat, & nihil homine dignum eluceat, quo nihil poteſt fieri miſerius. Quamobrem, ſi diuinæ ſapientiæ lumini oculos non occludas, multò eſſe ſatius iudicabis, ad funeris exequias quàm ad conuiuiũ celebrandum, conuenire. In illis enim lacrymæ, & lamentabiles eiulatus, nos de hominis fine præclarè admonẽt, errantem quoque, & vagam hominis mentem, ad ſtabilem certamque rationem deducunt, vt ſe ipſam circunſpiciat, ſui conditionem diligenter, & attentè cogitet, & quid in conſequenti tempore futurum ſit, conſideret.

*Melior eſt ira riſu, quia per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* V.

Quin

17. litia sua. * Noli esse iustus multùm: neque plus sapias
quàm necesse est, ne obstupescas.
18. * Ne impiè agas multùm: & noli esse stultus, ne mo-
riaris in tempore non tuo.
19. * Bonum est te sustentare iustum sed & ab illo ne
subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil ne-
20. gligit. * Sapientia confortauit sapientem super decem
21. principes ciuitatis. * Non est enim homo iustus in ter-
22. ra, qui faciat bonum, & nõ peccet. * Sed & cunctis ser-
monibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: ne
23. fortè audias seruum tuũ maledicentem tibi. * scit enim
24. cõscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis. * Cũ-
cta tentaui in sapientia. Dixi: Sapiens efficiar: & ipsa lõ-
25. giùs recessit à me * multò magis quàm erat: & alta pro-
26. funditas, quis inueniet eam? * Lustraui vniuersa animo
meo, vt scirem, & considerarem, & quærerem sapien-
tiam, & rationem: & vt cognoscerem impietatem stulti,
27. & errorem imprudentium: * & inueni amariorem mor-
te mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor
eius, vincula sunt manus illius. qui placet Deo, effugiet
28. illam: qui autem peccator est, capietur ab illa. * Ecce
hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum & alterum, vt inue-
29. nirem rationem, * quam adhuc quærit anima mea, &
non inueni. Virum de mille vnum reperi, mulierem
30. ex omnibus non inueni. * Solùmodò hoc inueni, quòd
fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis mis-
cuerit quæstionibus. Quis talis vt sapiens est? & quis co-
gnouit solutionem verbi?

1. *Quid necesse est homini maiora se quærere, cùm ignoret, quid
conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinationis suæ, &
[illegible] quod velut umbra præterit.*

Hoc

Oc autem ſtudium quàm ſit inane, ex eo apparet, quòd homo, quid ſibi expediat, ignorat: cur igitur eam ſibi prouidentiam tribuit, quæ mortalium naturam ſuperat in hoc inſtar vmbræ breuiſſimo vitæ curſu, in quo eſt, quid ſibi maximè conducat, non videt: qui fieri poterit, vt ipſe ea quæ futura ſunt, prouideat.

*Aut quis ei poterit indicare, quid poſt eum futurũ ſub ſole ſit?* II.

Nemo enim niſi fuerit diuino ſpiritu afflatus, ea quæ illius interitum conſequentur, poterit, vt annunciet, præſentire. Sunt igitur prouidentiæ & cogitationes noſtræ inanes, niſi ad Dei ſapientiam dirigantur.

*Melius eſt nomen bonum, quàm vnguenta pretioſa; & dies* III.
*mortis die natiuitatis.*

Non enim ſenſus, ſed diuinæ ſapientiæ numen, hominem ad honeſtatis, & ſolidæ commoditatis cognitionem deducit. Nam ſenſus, præter corporis voluptates, quibus quodammodo liquefiunt, nihil in bonis eſſe iudicant: cùm tamen virtutis ſplendor, quæ veram nominis gloriam parit, ſit omnibus deliciis longè anteponendus: voluptates namque illæ ſenſum afficiunt, dum mouent, quòd ſi afficere perſeuerent, ſatietatem afferunt: ſin verò, vt illarum fert conditio, momento temporis euaneſcant, triſtitia ſenſum contrahunt. At virtutis decus cùm in eodem ſemper ſtatu permaneat, neque temporis vllam ſubeat iniuriam, animum numquam deſerit, eumque ſtabili voluptate perfundit. Mortẽ quoque ſenſus perhorreſcunt, etiam ſi dies, quo morimur, ſit eo quo naſcimur, præferendus. Ad labores enim naſcimur, & ab ortus noſtri initio quaſi viam ad interitum inimus, periculis & erroribus plenam. Mors autem improbo ampliùs peccare non ſinit, probis labores finit, virtutis curſum terminat, ad ea, quæ ſunt illis præmia à Deo conſtituta, aditum patefacit, ad quæ, dum erant in vita, adire nõ poterant.

*Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij:* IV.
*in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quod futurum ſit.*

Luctum quoque, & mœrorem fugiendum eſſe, ſenſus admonent, & cibi potuſque ſuauitate maximè capiuntur, cùm tamen in conuiuiis, dum ſymphonia canit, dũ magnis poculis miniſtratur, mens in tenebris iaceat, & nihil homine dignum eluceat, quo nihil poteſt fieri miſerius. Quamobrem, ſi diuinæ ſapientiæ lumini oculos non occludas, multò eſſe ſatius iudicabis, ad funeris exequias quàm ad conuiuiũ celebrandum, conuenire. In illis enim lacrymæ, & lamentabiles eiulatus, nos de hominis fine præclarè admonẽt, errantem quoque, & vagam hominis mentem, ad ſtabilem certamque rationem deducunt, vt ſe ipſam circunſpiciat, ſui conditionem diligenter, & attentè cogitet, & quid in conſequenti tempore futurum ſit, conſideret.

*Melior eſt ira riſu, quia per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* V.

Quin

17. litia sua. * Noli esse iustus multùm: neque plus sapias
quàm necesse est, ne obstupescas.
18. * Ne impiè agas multùm: & noli esse stultus, ne mo-
riaris in tempore non tuo.
19. * Bonum est te sustentare iustum sed & ab illo ne
subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil ne-
20. gligit. * Sapientia confortauit sapientem super decem
21. principes ciuitatis. * Non est enim homo iustus in ter-
22. ra, qui faciat bonum, & nõ peccet. * Sed & cunctis ser-
monibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: ne
23. fortè audias seruum tuũ maledicentem tibi. * scit enim
24. cõscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis. * Cũ-
cta tentaui in sapientia. Dixi: Sapiens efficiar: & ipsa lõ-
25. giùs recessit à me * multò magis quàm erat: & alta pro-
26. funditas, quis inueniet eam? * Lustraui vniuersa animo
meo, vt scirem, & considerarem, & quærerem sapien-
tiam, & rationem: & vt cognoscerem impietatem stulti,
27. & errorem imprudentium: * & inueni amariorem mor-
te mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor
eius, vincula sunt manus illius. qui placet Deo, effugiet
28. illam: qui autem peccator est, capietur ab illa. * Ecce
hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum & alterum, vt inue-
29. nirem rationem, * quam adhuc quærit anima mea, &
non inueni. Virum de mille vnum reperi, mulierem
30. ex omnibus non inueni. * Solùmodò hoc inueni, quòd
fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis mis-
cuerit quæstionibus. Quis talis vt sapiens est? & quis co-
gnouit solutionem verbi?

---

1. *Quid necesse est homini maiora se quærere, cùm ignoret, quid conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinationis suæ, & [illegible] quod velut vmbra præterit.*

Hoc

HOc autem ſtudium quàm ſit inane, ex eo apparet, quòd homo, quid ſibi expediat, ignorat: cur igitur eam ſibi prouidentiam tribuit, quæ mortalium naturam ſuperat in hoc inſtar vmbræ breuiſſimo vitæ curſu, in quo eſt, quid ſibi maximè conducat, non videt: quî fieri poterit, vt ipſe ea quæ futura ſunt, prouideat.

*Aut quis ei poterit indicare, quid poſt eum futurũ ſub ſole ſit?* II.

Nemo enim niſi fuerit diuino ſpiritu afflatus, ea quæ illius interitum conſequentur, poterit, vt annuntiet, præſentire. Sunt igitur prouidentiæ & cogitationes noſtræ inanes, niſi ad Dei ſapientiam dirigantur.

*Melius eſt nomen bonum, quàm vnguenta pretioſa; & dies mortis die natiuitatis.* III.

Non enim ſenſus, ſed diuinæ ſapientiæ numen, hominem ad honeſtatis, & ſolidæ commoditatis cognitionem deducit. Nam ſenſus, præter corporis voluptates, quibus quodammodo liquefiunt, nihil in bonis eſſe iudicant: cùm tamen virtutis ſplendor, quæ veram nominis gloriam parit, ſit omnibus deliciis longè anteponendus: voluptates namque illæ ſenſum afficiunt, dum mouent, quòd ſi afficere perſeuerent, ſatietatem afferunt: ſin verò, vt illarum fert conditio, momento temporis euaneſcant, triſtitia ſenſum contrahunt. At virtutis decus cùm in eodem ſemper ſtatu permaneat, neque temporis vllam ſubeat iniuriam, animum numquam deſerit, eumque ſtabili voluptate perfundit. Mortẽ quoque ſenſus perhorreſcunt, etiam ſi dies, quo morimur, ſit eo quo naſcimur, præferendus. Ad labores enim naſcimur, & ab ortus noſtri initio quaſi viam ad interitum inimus, periculis & erroribus plenam. Mors autem improbo ampliùs peccare non ſinit, probis labores finit, virtutis curſum terminat, ad ea, quæ ſunt illis pręmia à Deo conſtituta, aditum patefacit, ad quæ, dum erant in vita, adire nõ poterant.

*Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quod futurum ſit.* IV.

Luctum quoque, & mœrorem fugiendum eſſe, ſenſus admonent, & cibi potuſque ſuauitate maximè capiuntur, cùm tamen in conuiuiis, dum ſymphonia canit, dũ magnis poculis miniſtratur, mens in tenebris iaceat, & nihil homine dignum eluceat; quo nihil poteſt fieri miſerius. Quamobrem, ſi diuinæ ſapientiæ lumini oculos non occludas, multò eſſe ſatius iudicabis, ad funeris exequias quàm ad conuiuiũ celebrandum, conuenire. In illis enim lacrymæ, & lamentabiles eiulatus, nos de hominis fine præclarè admonẽt, errantem quoque, & vagam hominis mentem, ad ſtabilem certamque rationem deducunt, vt ſe ipſam circunſpiciat, ſui conditionem diligenter, & attentè cogitet, & quid in conſequenti tempore futurum ſit, conſideret.

*Melior eſt ira riſu, quia per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* V.

Quin

17. litia sua. * Noli esse iustus multùm: neque plus sapias
quàm necesse est, ne obstupescas.
18. * Ne impiè agas multùm: & noli esse stultus, ne mo-
riaris in tempore non tuo.
19. * Bonum est te sustentare iustum sed & ab illo ne
subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil ne-
20. gligit. * Sapientia confortauit sapientem super decem
21. principes ciuitatis. * Non est enim homo iustus in ter-
22. ra, qui faciat bonum, & nõ peccet. * Sed & cunctis ser-
monibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: ne
23. fortè audias seruum tuũ maledicentem tibi. * scit enim
24. cõscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis. * Cũ-
cta tentaui in sapientia. Dixi: Sapiens efficiar: & ipsa lõ-
25. giùs recessit à me * multò magis quàm erat: & alta pro-
26. funditas, quis inueniet eam? * Lustraui vniuersa animo
meo, vt scirem, & considerarem, & quærerem sapien-
tiam, & rationem: & vt cognoscerem impietatem stulti,
27. & errorem imprudentium: * & inueni amariorem mor-
te mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor
eius, vincula sunt manus illius. qui placet Deo, effugiet
28. illam: qui autem peccator est, capietur ab illa. * Ecce
hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum & alterum, vt inue-
29. nirem rationem, * quam adhuc quærit anima mea, &
non inueni. Virum de mille vnum reperi, mulierem
30. ex omnibus non inueni. * Solũmodò hoc inueni, quòd
fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis mis-
cuerit quæstionibus. Quis talis vt sapiens est? & quis co-
gnouit solutionem verbi?

---

1. *Quid necesse est homini maiora se quærere, cùm ignoret, quid conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinationis suæ, & [illegible] quod velut vmbra præterit.*

Hoc

Oc autem ſtudium quàm ſit inane, ex eo apparet, quòd homo, quid ſibi expediat, ignorat: cur igitur eam ſibi prouidentiam tribuit, quæ mortalium naturam ſuperat in hoc inſtar vmbræ breuiſſimo vitæ curſu, in quo eſt, quid ſibi maximè conducat, non videt: quî fieri poterit, vt ipſe ea quæ futura ſunt, prouideat.

*Aut quis ei poterit indicare, quid poſt eum futurũ ſub ſole ſit?* II.

Nemo enim niſi fuerit diuino ſpiritu afflatus, ea quæ illius interitum conſequentur, poterit, vt annunciet, præſentire. Sunt igitur prouidentiæ & cogitationes noſtræ inanes, niſi ad Dei ſapientiam dirigantur.

*Melius eſt nomen bonum, quàm vnguenta pretioſa; & dies* III.
*mortis die natiuitatis.*

Non enim ſenſus, ſed diuinæ ſapientiæ numen, hominem ad honeſtatis, & ſolidæ commoditatis cognitionem deducit. Nam ſenſus, præter corporis voluptates, quibus quodammodo liquefiunt, nihil in bonis eſſe iudicant: cùm tamen virtutis ſplendor, quæ veram nominis gloriam parit, ſit omnibus deliciis longè anteponendus: voluptates namque illæ ſenſum afficiunt, dum mouent, quòd ſi afficere perſeuerent, ſatietatem afferunt: ſin verò, vt illarum fert conditio, momento temporis euaneſcant, triſtitia ſenſum contrahunt. At virtutis decus cùm in eodem ſemper ſtatu permaneat, neque temporis vllam ſubeat iniuriam, animum numquam deſerit, eumque ſtabili voluptate perfundit. Mortẽ quoque ſenſus perhorreſcunt, etiam ſi dies, quo morimur, ſit eo quo naſcimur, præferendus. Ad labores enim naſcimur, & ab ortus noſtri initio quaſi viam ad interitum inimus, periculis & erroribus plenam. Mors autem improbo ampliùs peccare non ſinit, probis labores finit, virtutis curſum terminat, ad ea, quæ ſunt illis præmia à Deo conſtituta, aditum patefacit, ad quæ, dum erant in vita, adire nõ poterant.

*Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij:* IV.
*in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quod futurum ſit.*

Luctum quoque, & mœrorem fugiendum eſſe, ſenſus admonent, & cibi potuſque ſuauitate maximè capiuntur, cùm tamen in conuiuiis, dum ſymphonia canit, dũ magnis poculis miniſtratur, mens in tenebris iaceat, & nihil homine dignum eluceat, quo nihil poteſt fieri miſerius. Quamobrem, ſi diuinæ ſapientiæ lumini oculos non occludas, multò eſſe ſatius iudicabis, ad funeris exequias quàm ad conuiuiũ celebrandum, conuenire. In illis enim lacrymæ, & lamentabiles eiulatus, nos de hominis fine præclarè admonẽt, errantem quoque, & vagam hominis mentem, ad ſtabilem certamque rationem deducunt, vt ſe ipſam circunſpiciat, ſui conditionem diligenter, & attentè cogitet, & quid in conſequenti tempore futurum ſit, conſideret.

*Melior eſt ira riſu, quia per triſtitiam vultus corrigitur ani-* V.
*mus delinquentis.*

Quin

VIII. *Vbi multæ sunt opes, & multi qui comedunt eas. quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis? Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multùm comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.*

Accedit etiam, quòd ingentes opes, cùm aliis hominibus plurimum vtilitatis afferant, ex iis enim, tenues homines, dum in variis negotiis, operam diuitibus nauant, mercede accepta, quæ sibi sunt ad vitam necessaria, parant; auaro, cuius illæ sunt, plus nihil ad vitam proficiunt; nisi id in bonis esse sentias, quòd eas possit, cùm lubet, aspicere. Iam nunc ad agricolæ, & cuiuslibet mercenarij vitam, animum confer, & quanto sit magis illorum, quàm diuitis & auari, conditio expetenda, considera. Is qui manu & opera victum quærit, quolibet cibo famem depellit fessumque iucundus somnus complectitur: at diuiti & auaro, opulentia somnum adimit, nam is vel vt diuitiis parcat, fame se necandum potiùs esse ducit, quàm partem aliquam illarum consumi: vel cibo, & potione onustus, & tristissimis curis distentus, nequit somnum capere, nec aliquam mentis tranquillitatem consequi.

XI. *Est alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima: generauit filium, qui in summa egestate erit. Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas; quomodo venit, sic reuertetur.*

Grauis est hic animorum morbus, qui in communem hominum vitam inuasit, & humanæ mentis iudicium, ita à recta ratione abducit, vt diuitiarum præsidio, satis se, homines tutos esse putent, cùm illæ sæpenumerò, vt vidi, perniciem & interitum iis afferant, qui eas compararunt: per scelus enim & iniuriam comparatæ, Dei iram excitant, vt de opulentis supplicium sumat: aut in arcam inclusæ, cùm in reipublicæ vtilitatem minimè conferantur, insita naturæ infirmitate dilapsæ, hominem ob illarum studium, molestiis afflictum, curisque distractum, ita deserunt, vt post illius è vita discessum, hæres filius maxima viuat egestate: ipse verò quemadmodum ex rebus omnibus nudus, in lucem è matris vtero editus fuerat, sic etiam, cùm à diuitiis, quas incredibili labore parauerat, tum ab omni, in Deum & in genus humanum meritò vacuus, in sepulchrum illatus, telluris quasi matris visceribus reddetur. Miserabilis quidem casus, & omnium commiseratione dignus; poterat enim ille, tantis opibus affluens, Deum, & homines, præclaris ad se operibus allicere, & hinc maximis virtutum ornamentis excultus abire: at vt rerum omnium expers, in hanc vitam fuerat ingressus, ita quoque ex ea nullis vel corporis, vel animi bonis ornatus discedet.

Quid

*Quid ergo prodest ei, quòd laborauit inuentum? Cunctis diebus vitæ suæ, comedit in tenebris & in curis multis & in ærumna atque tristitia.* X.

Quid igitur ei commodi frustra suscepti labores attulerunt? pecunias vt coaceruaret, nempe, vt ventum quæreret, laborauit, at is retineri non potuit, & effluxit. Vitam in tenebris egit, pecunias in lucem non protulit, nullum ex illis fructum, ad vitæ splendorem, & cultum, vel ad tranquillum animi statum assequendum, tulit: imò quòd pecuniæ cupiditatem non expleuerit, in singulari erat sensus acerbitate, & huiusce libidinis æstu, curisque, de augenda pecunia, agitabatur: labori autem ob insitam in natura infirmitatem succumbens, furénsque, tristitia contabescebat.

*Hoc itaque visum est mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laborauit ipse sub sole numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus, & hæc est pars illius.* XI.

Hoc igitur est, vt mihi videtur sanum consilium, vt homo non sit in coaceruandis opibus occupatus, sed quæcunque illæ fuerint, ex his vtilitatis, & iucunditatis fructum sibi colligat: quandiu scilicet beneficio diuino, in vita fuerit, comedat, & bibat: non, inquam, diuitias, sed diuitiarum vsum, & vtilitatem, spectet: vt eas in suam, & aliorum vtilitatem conferat, hoc enim est optima, & certa diuitiarum, quas quilibet habuerit, possessio.

*Et omni homini, cui dedit Deus diuitias, atque substantiam, potestatémque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo: hoc est donum Dei. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quòd Deus occupet deliciis cor eius.* XII.

Nam multis quidem Deus. O. M. opes tribuit, qui sitim cupiditatis explere nequeunt: hi diuitiis minimè lætantur, sed miserè potiùs anguntur: est igitur in singulari Dei beneficio ponendum, vt quis opibus abundet, è quibus voluptatem honestè & pro dignitate capiat: is enim etsi in vita labores aliquando sustinuerit, nulla ei superioris temporis recordatio molestiam efficiet, quia diuino munere id fuerit consecutus, vt ex labore suo fructum se tulisse sentiat, vnde vt hominis fert cõditio exortæ voluptates illius animum perfundant.


Oc autem studium quàm sit inane, ex eo apparet, quòd homo, quid sibi expediat, ignorat: cur igitur eam sibi prouidentiam tribuit, quæ mortalium naturam superat in hoc instar vmbræ breuissimo vitæ cursu, in quo est, quid sibi maximè conducat, non videt: qui fieri poterit, vt ipse ea quæ futura sunt, prouideat.

*Aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurũ sub sole sit?* II.

Nemo enim nisi fuerit diuino spiritu afflatus, ea quæ illius interitum consequentur, poterit, vt annuntiet, præsentire. Sunt igitur prouidentiæ & cogitationes nostræ inanes, nisi ad Dei sapientiam dirigantur.

*Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa; & dies* III.
*mortis die natiuitatis.*

Non enim sensus, sed diuinæ sapientiæ numen, hominem ad honestatis, & solidæ commoditatis cognitionem deducit. Nam sensus, præter corporis voluptates, quibus quodammodo liquefiunt, nihil in bonis esse iudicant: cùm tamen virtutis splendor, quæ veram nominis gloriam parit, sit omnibus deliciis longè anteponendus: voluptates namque illæ sensum afficiunt, dum mouent, quòd si afficere perseuerent, satietatem afferunt: sin verò, vt illarum fert conditio, momento temporis euanescant, tristitia sensum contrahunt. At virtutis decus cùm in eodem semper statu permaneat, neque temporis vllam subeat iniuriam, animum numquam deserit, eumque stabili voluptate perfundit. Mortẽ quoque sensus perhorrescunt, etiam si dies, quo morimur, sit eo quo nascimur, præferendus. Ad labores enim nascimur, & ab ortus nostri initio quasi viam ad interitum inimus, periculis & erroribus plenam. Mors autem improbo ampliùs peccare non sinit, probis labores finit, virtutis cursum terminat, ad ea, quæ sunt illis præmia à Deo constituta, aditum patefacit, ad quæ, dum erant in vita, adire nõ poterant.

*Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij:* IV.
*in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quod futurum sit.*

Luctum quoque, & mœrorem fugiendum esse, sensus admonent, & cibi potusque suauitate maximè capiuntur, cùm tamen in conuiuiis, dum symphonia canit, dũ magnis poculis ministratur, mens in tenebris iaceat, & nihil homine dignum eluceat; quo nihil potest fieri miserius. Quamobrem, si diuinæ sapientiæ lumini oculos non occludas, multò esse satius iudicabis, ad funeris exequias quàm ad conuiuiũ celebrandum, conuenire. In illis enim lacrymæ, & lamentabiles eiulatus, nos de hominis fine præclarè admonẽt, errantem quoque, & vagam hominis mentem, ad stabilem certamque rationem deducunt, vt se ipsam circunspiciat, sui conditionem diligenter, & attentè cogitet, & quid in consequenti tempore futurum sit, consideret.

*Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* V.

Quin

expleri nequeat, nec vllis vnquam diuitiis cupiditas satietur, nihil profectò erit, si ad communem humanæ vitæ conditionem spectes, quo sapiens ab stulto, & pauper, qui cibum quærendi nouit rationem, ab illis separari possit, is enim ad eos se confert, quos cibum ad vitam necessarium, sibi benignè præbituros existimat, quemadmodum & illi, etsi aliis quidem atque diuersis victum quærendi rationibus, corpus cibo complere, & vitam seruare, singulari cura & studio nituntur.

VI. *Meliùs est videre quòd cupias, quàm desiderare quòd nescias, sed & hoc vanitas est, & præsumptio spiritus.*

In his tamen præstantia est hominis virtus, ea, quæ vel insita in natura vi, vel libidine concupiscit, quid eorum quodlibet ponderis habeat diligenter animaduertere, est enim turpe, omni lege solutam cupiditatem sequi, cùm non videas, quem in exitum illa præcipitet. Adeo est misera hominis conditio, vt id, quod in eo tantopere excellit, vanum sic etiam & inane, & non mediocri dolore excruciet. Nam ipsa hæc humanæ mentis prouidentia, vt iam non de stulto loquar, opinionum vanitate animum torquet.

VII. *Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius: & scitur quòd homo sit, & non possit contra fortiorem se in iudicio contendere.*

Quamuis enim ei Deus certum officij munus, quod in vita exequeretur, assignauit, & vt sibi caueret admonuit, est tamen imbecillus, & in sapiētiæ studio inconstans, vt ipsum Adami nomen, quo iam ab initio rerum, fuerat nuncupatus, se hominem, & è tellure effictum fuisse, & vanitati coniunctum esse demonstrat. Hanc autem conditionem naturæ suæ à Deo constitutam effugere nulla ratione poterit: est enim à Deo, benignè, & sapienter è diuersis & sibi contrariis rebus ita hominis natura effícta, vt ipse in tanta sui imbecillitate, humilis & abiectus, hanc conditionem beneficij loco sustineat nec illam Deo possit iure, meritóve repudiare.

Adami nomen quid demōstret.

VIII. *Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.*

Quamobrem cùm proprio se ingenio moderatur, & sibi prouidens cauere nititur, multa quidem disserit, plura cogitat, & omnia tentat, ac suæ opinionis vanitatem vbique adhibet.

CAPVT

# CAPVT VII.


Vid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, cùm 1.
ignoret quid conducat ſibi in vita ſua numero
dierum peregrinationis ſuæ, & tempore, quod
velut vmbra præterit? Aut quis ei poterit indicare quid
poſt eum futurum ſub ſole ſit? * Melius eſt nomen bo- 2.
num, quàm vnguenta pretioſa: & dies mortis die nati-
uitatis. * Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad do- 3.
mum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admone-
tur hominum, & viuens cogitat, quid futurum ſit. * Me- 4.
lior eſt ira riſu: quia per triſtitiam vultus, corrigitur ani-
mus delinquentis. * Cor ſapientium vbi triſtitia eſt, & 5.
cor ſtultorum vbi lætitia. * Melius eſt à ſapiente corri- 6.
pi, quàm ſtultorum adulatione decipi. * quia ſicut ſo- 7.
nitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti: ſed &
hoc vanitas. * Calumnia conturbat ſapientem, & per- 8.
det robur cordis illius. * Melior eſt finis orationis, quàm 9.
principium. Melior eſt patiens arrogante. * Ne ſis ve- 10.
lox ad iraſcendũ: quia ira in ſinu ſtulti requieſcit. * Ne 11.
dicas: Quid putas cauſæ eſt quòd priora tempora me-
liora fuere quàm nũc ſunt? ſtulta enim eſt huiuſcemodi
interrogatio. * Vtilior eſt ſapientia cum diuitiis, & ma- 12.
gis prodeſt videntibus ſolem. * Sicut enim protegit ſa- 13.
pientia, ſic protegit pecunia. hoc autem plus habet eru-
ditio & ſapientia, quòd vitam tribuunt poſſeſſori ſuo.
* Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere quẽ 14.
ille deſpexerit. * In die bona fruere bonis, & malam 15.
diem præcaue. ſicut enim hanc, ſic & illam fecit Deus, vt
non inueniat homo contra eum iuſtas quœrimonias.
* Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: Iuſtus pe-
rit in iuſtitia ſua, & impius multo viuit tempore in ma- 16.



# CAPVT VI.

1 EST & aliud malum, quod vidi sub sole, & qui-
2 dem frequens apud homines: * Vir, cui dedit
Deus diuitias, & substantiam, & honorem, &
nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec
tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo
extraneus vorabit illud. hoc vanitas, & miseria magna
3 est. * Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit
multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima
illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque ca-
reat: de hoc ego pronuncio quòd melior illo sit abor-
4 tiuus. * Frustra enim venit, & pergit ad tenebras, &
5 obliuione delebitur nomen eius. * Non vidit solem, ne-
6 que cognouit distantiam boni & mali: * Etiamsi duo-
bus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bo-
7 nis: nónne ad vnum locum properant omnia? * Om-
nis labor hominis in ore eius: sed anima eius non im-
8 plebitur. * Quid habet amplius sapiens à stulto? & quid
9. pauper nisi vt pergat illuc, vbi est vita? * Melius est vi-
dere quod cupias, quàm desiderare quod nescias. sed &
10. hoc vanitas est, & præsumptio spiritus. * Qui futurus
est, iam vocatum est nomen eius: & scitur quòd homo
sit, & non possit contra fortiorem se in iudicio cõtende-
11. re. * Verba sunt plurima, multamq; in disputando ha-
bentia vanitatem.

---

1. *Est & aliud malũ quod vidi sub sole, & quidem frequẽs apud homines: Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas & miseria magna est.*

T autem hoc in diuinorũ beneficiorũ numero reponi debet, ita illud quod sæpe euenire cõperi, malũ est nõ mediocre existimandũ: Nẽpe, quòd ei sæpenumerò, in quẽ Deus, opes, diuitias, & summos honores contulit, & terrenis bonis adeò circunfluentẽ effecit, vt nihil ei desit eorum, quæ appetit, ita vitæ suæ moderandæ potestatem permiserit, vt his bonis ipse frui nolit, sed libidine cupiditatis incensus, in iis coaceruandis, quæ alienus postea helluatur, tempus & ætatem conterat. Hoc autem quàm sit inane diuitiarum studium, manifestè declarat, & conditionis in se nostræ, singularem miseriam continet.

*Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ sepulturaque careat, de hoc ego pronuntio, quòd melior illo sit abortiuus. Frustra enim venit, & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius.* II.

Et si verò is centum liberos suscipiat, & vita sit ei data longissima, bona tamen quibus affluit, in arcam includat, nullámque inde sibi vtilitatẽ hauriat, & vitam adeo sine laude agat, vt sepulturæ etiam honore careat, longè ei anteponendum illum esse arbitror, qui abortione periit: frustra enim est in lucem editus, cùm nullam in vita actionem præclarè suscipiat, & sensuum tenebras nactus, in illis versari; dum viuit, sibi optimum esse ducit & vt tandem in maiores incidat, quæ perpetuò sunt duraturæ se ipsum impellit.

*Non vidit solem neque cognouit distantiam boni & mali: etiamsi duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis.* III.

Hac autem crassa sensuum caligine circumfusus, lucem veritatis non aspexit, & quid in quaque re boni vel mali esset, illiúsque rationem ignorauit, quanuis ad duo annorum millia vitam perduxerit: dum enim huius vitæ luce fruebatur, opes, quas ad virtutis decus & ad solidã voluptatem conferre potuisset, in tenebras abdidit, atque retrusit.

*Nónne ad vnum locum properant omnia?* IV.

Quamobrem meritò quidem est ei ille præferendus, vt diximus, cui abortu fuit lux erepta, nam quæ sunt ex terrena mortalique natura concreta tendunt in interitum, nec est hac in re hic, quàm ille inferior iudicandus: ei tamen est ille, qui abortione periit, anteponendus, quòd nullam virtutis occasionem, diuino sibi munere oblatam, contempserit.

*Omnis labor hominis in ore eius: sed anima eius non implebitur. Quid habet amplius sapiens à stulto? & quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita?* V.

Cùm autem vna sit hæc omnibus hominibus, labores suscipiendi causa, vt ea quærant, quæ ad victum suppeditant, & mens humana cibo

& eximium illud Sapientiæ lumen, quod illis præferebat, occulit: vir enim ſapiens, etiam ſi infima hæc, pro nihilo ducat, cùm tamen virtutem rebus omnibus anteponat, & illius vi, omnia bona contineri putet, vitam ſuam improborum calumnia turpiter deformari, indignè patitur.

*Melior eſt finis orationis, quàm principium.* IX.

Verùm licèt homines improbi, exiſtimationem illius obiectis criminibus lædant, ex eorum tamen criminatione, de anteacta illius vita, iudicium fieri non debet; dicendi namque exordium attentos tantummodò auditores reddit, vt totius cauſæ momenta, iuſtis ponderibus examinent, & perorata deinde cauſa iudicium ferant. Sic enim fit, vt veritas, quæ in principio, hominum improbitate latebat, in fine tandem proferatur in lucem: ideoque orationis hæc pars poſterior, maximi momenti eſt ad iudicandum, & exordio longè præferenda. Quamobrem illorum quidem duerſus ſapientem oratio, non mediocrem admirationem excitabit, at ſi eſe auditores ſuſtineant, ne falſis aſſentiant, dies ipſa, improbitatem inuolucris nudabit, eámque ante omnium oculos explicatam proponet: quod ſi tantum opibus valeat improbitas, vt ab ea, oppreſſa veritas, è tenebris non poſſit emergere, extant profectò, cùm huius vitæ, quidam quaſi orationis curſus conficietur, & illi ſupplicia, & præmia virtuti.

*Melior eſt patiens arrogante.* X.

Hoc autem aduerſus ſapientem monitorem ſcelus, ab inſita in Scelerati hominis animo ſuperbia, erumpit: arrogans enim ne alteri in re aliqua cedat, ſe de officio admoneri, indignè patitur, quidum ſibi tantum tribuit, non mediocrem ſtultitiæ, in qua eſt, acceſſionem affert. Qui verò de iis, quæ ad officij rationem pertinent, patitur admoneri, is profectò, etſi non multum ſibi ſumat, plurimùm tamen ſuperbo antecellit: adhuc eſt enim mentis compos, vt monitis alienis obtemperans, à ſcelere ſe auocet, & vitæ curſum ad virtutis laudem aſſequendam dirigat.

*Ne ſis velox ad iraſcendum: quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.* XI.

Quamobrem ne cùm primùm tibi ſapientis nomen de aliquo crimine delatum fuerit, vel ipſe ſcelus tuum tibi aperuerit, illi ſtatim ſuccenſeas, ira enim animum perturbat, & ab ſtultitia diſiungi non poteſt.

*Ne dicas: Quid putas cauſæ eſt, quòd priora tempora meliora fuere quàm nunc ſunt? ſtulta enim eſt huiuſmodi interrogatio.* XII.

Cùm autem hæc & alia in communi vita contra officij rationem, patrari videris, caue ne in eam venias opinionem, vt eorum, qui ante nos vixerunt, conditionem putes, huic in qua ſumus nos, eſſe præferendam, & huius rei cauſam diligenter exquiras; imprudenter enim id, & ſtultè facies: eædem enim ſunt cauſæ externæ, & eodem quo antea modo ad rerum

nostrarum conseruationem feruntur: è nobis ipsis fluit rerum nostrarum perturbatio, quæ priscos illos homines etiam in diuersa contorsit: nam vt rectè temperati mores immutantur, sic & tēpora mutantur, & fiunt acerbiora: ab initio verò nostri generis, peccati tyrannis extitit, quæ illud prauis opinionibus imbuit, & illius mores corrupit.

E nobis ipsis fluit rerū nostrarum perturbatio.

XIII. *Melior est sapientia cum diuitiis, & magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia, hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quòd vitam tribuant possessori suo.*

Sapientia plus generi humano prodest, cum diuitiis coniuncta, quàm inops, & ab illarum nuda præsidio: eos enim in quibus inest sapientia, auctoritate, & consilio tuetur, pecunia verò gratia, & viribus. Quamobrem si potentiæ adiungas sapientiam, nihil poterit illius præsidio in vita prestantius excogitari. At rerum expetendarum, & fugiendarum cognitio, & ea quæ sapienti additur, rerum humanarum, & diuinarum scientia, eò plurimùm diuitiis excellunt, quòd Deum, & hominem inter se conciliant, & coniungunt: qua quidem coniunctione, hominis vita continetur, cùm pecuniæ id præstare non possint, & inde sint sordidæ, quia corpori seruiunt, libidines ex hominum animis non resecant, ægritudines non euellunt, sed eas augent, & cumulant.

XIV. *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit.*

Quod virtute parandū est, vi & pecunia tentare fons malorum omnium.

Si opera Dei consideres, manifestè cognosces eam, quam Deus rebus naturam tribuit, nullius posse virtute commutari: quas enim ille ad ima depressit, nemo poterit ad supera efferre, & quas deformes condidit pulchras reddere. Si igitur ea est veræ sapientiæ à Deo tributa vis, vt homines felicitate donaret, quî conuenit, eam velle è sapientia euulsam pecuniæ tribuere? Hic fons, hæc omnium est origo malorum, quod virtute parandum est, vi & pecuniæ tentare.

XV. *In die bona fruere bonis, & malam diem precare, sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias.*

Vel optima vel misera studiis nostris tempora efficimus.

In prosperis rebus, ita versare, vt eas ad beneficentiam conferas, & earum inconstantiam, & vicissitudinem, ante oculos tibi ipse proponas: & caue ne prosperè flante vento, elatum te ob insolentiam tuam, sanctissimo Dei iudicio, reflans ad terram deprimat. Omnia námque Deus ita cōdidit, vt non casu, sed eo omnia moderante, è prosperis, vt recta ratio, & ius diuinum postulat, in aduersa, & ex aduersis in prospera esset vicissitudo, atque mutatio, ne qua iusta hominum de Deo querela esse possit. Facta námque à Deo tempora, eodem semper quem illis ipse constituit, modo, & ordine fluunt, quæ vel optima, vel misera studiis nostris efficimus.

XVI. *Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: Iustus periit in iustitia sua, & impius multo viuit tempore in malitia sua.*

Quam

Quamquam hoc tempore, quo inanibus curis implicatus, in vita permaneo, vidi hominem iustum, hoc est virum bonum, dum est totus in virtutis studio, è vita, antequam par esse videbatur, discessisse: improbum verò, & sceleratum, scelera sceleribus addentem, ad summam senectutem vixisse. Verùm ita fieri, ius diuinum, quod mens humana cognoscere exploratè non potest, meritò postulabat. Est enim Deus iustitiæ fons & origo, nec ab eo poterit vnquam, iniquum aliquid, & præter rationem proficisci.

*Noli esse iustus multùm, neque plus suscipias, quàm necesse est, ne obstupescas.* XVII.

Tu verò ne adeo iustitiæ tibi laudem arroges, vt iudicia illius in dubium voces: & sapientiam ita tibi sumas, vt quid potius fuisset, velis decernere: hoc enim esset summo Domino velle iustitiam, & sapientiam derogare: quo quidem scelere mentis tibi cæcitatem, & perniciem comparabis.

*Ne impiè agas multùm: & noli esse stultus ne moriaris in tẽpore non tuo.* XVIII.

Etsi autem cùm aliquid in officio peccamus, Dei maiestatem offendimus, & impij sumus ea ratione iudicandi, is tamen, qui illius iudicia vt probet, ea suis propriis ponderibus examinat, nimis in impietatis scelere progreditur. Hoc autem tam impium facinus in te minimè committas, nec tam sis stultus: ne æquissimo Dei iudicio, in medio vitæ cursu, dum id minus cogitas, repentino quasi turbine, euulsus concidas. Sic qui multùm iustus esse vult, multùm impius euadit: & qui sapiens esse nititur, dum operum diuinorum, rationes inquirit, stultissimus fit.

*Bonum est te sustentare iustum: sed & ab illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil negligit.* XIX.

Hoc igitur, quod bonum esse iudico, amplectere, vt omni mente ad veræ iustitiæ studium incumbas, quod in his duabus rebus maximè elucebit: Si nempe neque in Dei operum rationibus exquirendis, & aliorum vita damnanda, sis nimius: neque quia hoc præstiteris, à cæterarum virtutum studio animum seuoces: is enim qui Dei omnia intuentis iudicium subire reformidat, hæc minimè despicit: ille enim in impios, & in iniustos animaduertet.

*Sapientia confortauit sapientem, super decem principes ciuitatis: Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* XX.

Ex hoc autem diuini numinis metu sapientia duxit exordium, & metus ipse auctus est fructus sapientiæ, maximè salutaris, sapientémque tanta virtute munit, & tuetur, vt licèt sit omnium præsidio destitutus, plurimos, qui in ciuitate, opibus, & gratia pollent, vnus longè superet: quod

*Et inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius. qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capiettur ab illa.* XXIV.

Cùm hæc exquirerem, nullam reperi maiorem vitæ perniciem, quàm impuram & impudicam mulierem. Hæc enim, si cum morte conferatur, qua nihil acerbius videtur, posse cogitari, multo erit perniciosior habenda: etenim mors, dum sumus vel in secundo rerum cursu, vel dum aduersis vitæ fluctibus iactamur, vitam eripit; hoc quidem in summo est beneficio ponendum; illud etsi amarum sit, & triste, non mediocris tamen boni rationem continet, facit namque, vt extra ruinam simus, quam struit rerum ipsa natura, & inconstantia. At libidinosa mulier, plagarum est instar, quas tendunt, ij, qui belluas venantur, lenocinijs homines capit, quos miseram cogit seruitutem pati, nihil nisi fraudes, & insidias cogitat, & quæ animo designat, studio incredibili perficit: oculorum motu, molliori ingressu, orationis illecebris, amoris simulatione, quibusdam quasi vinculis homines astringit. Hanc miseram animi seruitutem, omni morte acerbiorem, repellere proprijs viribus, nemo poterit, solùm enim is, qui Dei gratiam obtinuerit, & singulàri illius præsidio munitus, mentem à sensuum consuetudine seuocauerit, ab impudicæ fæminæ insidijs, tutus libertatem seruabit, qui verò sensibus, fidem habuerit, in laqueos illius inuidet.

Nulla maior vitæ pernicies impudica & impura mulier.

*Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum & alterum, vt inuenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inueni.* XXVI.

Non autem inconsideratè, & temerè, hanc de muliere impudica sententiam protuli, sed omnia priùs, quæ hominum vitam perturbant, inter se diligenter contuli, vt quid, de quolibet illorum, esset existimandum, cognoscerem, & hanc de muliere sententiam verissimam esse reperi, quamuis plurimarum rerum rationes ignorem, in quibus inuestigandis, singulari studio versor.

*Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* XXVII.

Nam vnum vel alterum dignum viri nomine, hoc est, virtutis ornamentis exultum, vidi: mulierem verò, quæ plurima impotentis animi signa non dederit, adhuc non inueni. Quid ergo erit de impudica dicendum? Rarum est profectò illorum hominum genus, qui virtutem rebus omnibus præferant, sed mulierum multo varius existit.

*Solummodò hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.* XXVIII.

Id tamen singulari hoc meo in sapientiam studio sum adsecutus, vt huiusce rei causam, non aliò, quàm in nos ipsos, esse reijciendam cognoscerem. Hominem enim Deus ita condidit, vt insita in natura vi, ad honestatem du-

ceretur,& quod esset turpe, & inhonestum fugeret. Deinde ad officium instituit, præsidio suo,& beneuolentia fulciuit, muneribus excoluit, vt cælum suspiceret, & quod tutissimum erat, illud vnum ante oculos haberet, nempe vt præpotentis, rerum omnium principis conditoris sui voluntatem, in vita moderanda, sequeretur. At ille nimiùm suis viribus fidens, quid sibi optimum foret, cœpit exquirere, & animum ad plura dirigere, quibus se ipsum impediuit,& implicuit, ne eo pergeret, quò eum natura impellebat,& conditor illius Deus, cùm beneficiis, tum disciplina,& monitis deducebat.

XXVIII. *Quis talis vt sapiens est? & quis cognouit solutionem verbi?*

Cùm igitur hominum genus varijs sit opinionum erroribus imbutum,& rerum præclarissimarum cognitionem non attingat, quantum vir sapiens inter cæteros homines præstabit? Quis horum studiorum, quibus se genus nostrum deuinxit, vanitatem cognoscet? hinc enim oritur in homine sapientia.

# CAPVT VIII.

1 SApientia hominis lucet in vultu eius, & poten-
2 tissimus faciem illius commutabit. * Ego os
3 Regis obseruo,& præcepta iuramenti Dei.* Ne
festines recedere à facie eius, neque permaneas in opere
4 malo: quia omne quod voluerit, faciet: * & sermo illius
potestate plenus est: nec dicere ei quisquá potest: Quare
5 ita facis? * Qui custodit præceptú, non experietur quid-
quam mali. Tempus & responsioné cor sapientis intelli-
6 git. * Omni negotio tépus est,& opportunitas,& multa
7 hominis afflictio: * quia ignorat præterita, & futu-
8 ra nullo scire potest nuncio. * Non est in hominis po-
testate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die
mortis, nec finitur quiescere ingruente bello, neque sal-
9 uabit impietas impium. * Omnia hæc consideraui, &
dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub sole.
Interdum dominatur homo homini in malum suum.
10 * Vidi impios sepultos: qui etiam cùm adhuc viuerent,
in loco sancto erant,& laudabantur in ciuitate quasi iu-
11 storum operum. sed & hoc vanitas est. * Etenim quia
non

non profertur citò contra malos sententia, absque ti-
more vllo filij hominum perpetrant mala. * Attamen 12
peccator ex eo quòd centies facit malum, & per patien-
tiam sustentatur, ego cognoui quòd erit bonum timen-
tibus Deum, qui verentur faciem eius. * Non sit bonum 13
impio, nec prolongentur dies eius, sed quasi vmbra trã-
seant qui non timent faciem Domini. * Est & alia vani- 14
tas, quæ fit super terram. sunt iusti, quibus mala proue-
niunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij,
qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant, sed &
hoc vanissimum iudico. * Laudaui igitur lætitiam quòd 15
non esset homini bonum sub sole, nisi quòd comede-
ret, & biberet, atque gauderet: & hoc solùm secum au-
ferret de labore suo in diebus vitæ suæ, quos dedit ei
Deus sub sole. * Et apposui cor meum vt scirem sapien- 16
tiam, & intelligerem distentionem, quæ versatur in ter-
ra: est homo, qui diebus & noctibus somnum non capit
oculis. * Et intellexi quòd omnium operum Dei nul- 17
lam possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt
sub sole: & quanto plus laborauerit ad quærendum, tan-
to minus inueniat: etiamsi dixerit sapiens se nosse, non
poterit reperire.

---

*Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius commutabit.* I.



QVæ facit, vt in illius factis, illustris quidam, & eximius honesti & decori splendor eluceat, qui ex se gignit veram dignitatis gloriam, cui nulla queat ignominiæ labes aspergi. Hoc autem Dei erga sapientem beneuolentiæ est tribuendum. Cùm interim is, qui opibus abundat, si sit insipiens, adeò in officijs delinquat, vt eum sæpe suæ stultitiæ pudeat, & faciem eius, rubor pudorem consequens, perfundat.

*Ego os regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei.* II.

Eos autem moneo, qui sapientiam expetunt, vt rerum omnium principem, qui omnia imperio coërcet, intueantur, & in ijs, quæ ipse per quasdam quasi naturæ voces, & per homines diuino spiritu afflatos, enuntiat, & obseruanda sancit, animos defigant, inde namque poterunt ad se sapientiam deducere. Quin etiam cùm imbecilla sit mens humana, & sensibus ducatur,

nec

nec possit Deum ita contemplari, vt illius acies non hebescat, & quidam carnis æstus eam procul à cælestium contemplatione abripiat, necesse est, si aliquem desideras sapientiæ gradum adipisci, Regi, veluti diuino cuidam magistratui obedire: & ea exequi; quæ Deus O.M. solemni ritu, vt seruaremus præcepit, nosque ea facturos, iureiurando recepimus; sunt enim hæc in conspectu omnium posita, & sensum valde vehementer mouent.

III. *Ne festines recedere à facie eius, neque permaneas in opere malo: quia omne quod voluerit faciet: & sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis?*

Regem igitur, tam illum summum, cuius ordine, ad salutarem humanæ societatis temperationem, legitimi in terris imperij maiestas est constituta, quàm eum, qui reipublicæ clauum tenet, ne minima quidem re offendas, neque ab eo habeas animum alienum. Si peccati, ne in scelere perseueres, ad officiũ reuertere, vt eum tibi concilies; quod enim sibi visum fuerit, id perficiet: iussa autem illius, solùm, quia ipse iusserit, firma sunt, & rata; nam in sibi subiectis, vitæ & necis potestatem habet, nec cuiquam cogitur, facti sui rationem reddere.

IV. *Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali: tempus & responsionem cor sapientis intelligit.*

Illius autem iussis obediens nihil mali ab eo sustinebit: legitimum namque imperium bonorum intuetur incolumitatem, & sceleratorum licentiam comprimit. Accedit præterea, cùm iussa summi illius principis, & cuiuslibet alterius, qui legitimo imperio fungitur, rectæ rationis norma sint directa, quòd is, qui se diligenter ad ea confirmarit, à sceleris contagione, & pœna sit liber. Nam Rex, qui verè eo nomine est dignus, necesse est, quòd sapiens sit: quid igitur tempus postulet, nouit, vt secundùm temporis rationem, ea præscribat, quæ hominum mores licentia dissolutos astringant, regulam quoque, & iudicium ad quod omnia consilia, & facta sunt reuocanda, tenet, ne huiusce rei ignoratione labatur: est enim tempus, & sunt certæ & definitæ, cuiusque rei faciendæ, vel non faciendæ opportunitates, quas non cuiuslibet hominis est, sed solius sapientis cognoscere: quòd tu, si obediens fueris Deo, & ijs quos ille moribus hominum præfecit, assequere, quia illum, qui omnia tenet, imperio, & intuetur, ducem sequens, & quantum fas est homini, imitaris.

Rex qui nomine regis dignus est, sapiens sit necesse est.

V. *Multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuncio.*

Quia verò hanc, in qua omnis humanæ sapientiæ vis consistit, obedientiam homines relinquunt, in eas vitæ acerbitates incidunt, in quas necesse est, eos rerum ignoratione induci. Nam si Regis sapientissimi præcepto obtemperassent, nunquam, vel à recta ratione, vel à fine sibi proposito, aberrassent:

taſſent: Rex enim ille ſempiternus præterita & futura ſimul intuetur, & is, qui ad illius voluntatem ſe diligenter accommodat nutumque obſeruat ne minimùm ab illius præſcriptis diſcedat iucundè ſatis proſpicit ſummo cõſilio, futura quemadmodum & præterita, ab eo, in ſuorum gloriam & vtilitatem reuocari: ij verò qui ſe ſenſibus addicunt quia de iis, qui ante è vita exierunt, quid actum fuerit, neſciant, & quid ſibi tempus futurum afferr, ignorant triſtiſſimis curis anguntur.

*Non eſt in hominis poteſtate probibere ſpiritum, nec habet po- teſtatem in die mortis, nec ſinitur quieſcere ingruente bello, neque ſaluabit impietas impium.* VI.

Cùm certò ſciant, mortis neceſſitatem eſſe omnibus ferendam: Vt enim bellum omnia ſine diſcrimine percellit; ſic etiam mors nemini parcit.

***Omnia hæc conſideraui, & dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt ſub ſole. Interdum dominatur homo homini in malum ſuum.*** VII.

Hæc diligenter quidem animaduerti, & ad omnia, quæ ſub ſole fiunt, mentis oculos adieci, in quibus illud reperi conſideratione dignum, quomodo cùm tempus ita poſtulat, in ſcelerum pœnam, ei, qui ſibi ſubiectos malis frangat, imperium deferatur, vnde ipſe ſibi etiam exitium paret.

*Vidi impios ſepultos, qui etiam cùm adhuc viuerent, in loco ſanato erant, & laudabantur in ciuitate, quaſi iuſtorum operum; ſed & hoc vanitas eſt.* VIII.

Nam legitimi imperij in tyrannidem mutatio, ad impietatem vindicandam fit; tunc enim impios vidi, & ſceleratos ſupplicium luere, de his quæ in ſanctiſſimam religionem, dum in loco ſancto verſabantur, commiſerant; ab eo namque dignitatis gradu expulſi, in ſempiterna ſunt obliuione ſepulti: qui quidem dum viuerent, vultu & ſupercilio, ita mores tegebant, vt homines in eis priſcæ integritatis imaginem intueri ſibi viderentur, quam ſummis laudibus celebrarent. At horum vanum fuit, & inane ſtudium, incluſum enim in animo ſcelus, tandem cum imperio, foras erupit, & eos in ſummam miſeriam præcipites egit.

*Etenim, quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, & per patientiam ſuſtentatur ego cognoui, quod bonum erit timentibus Deum, qui verentur faciem eius.* IX.

Tales autem, quia scelera statim, vt illa commissa sunt, vindicari non vident, acsi peccatorum sibi fuisset impunitas data, nullo metu, in scelera ruunt; quos, scelera sceleribus addentes, quia sempiternus ille iudex, vt resipiscant, infinita clementia sustinet; eos qui Deum timent, & ne in offensa sint apud illum, elaborant, & si aliquando in officio delinquant, malisque vexentur, hæc illius benignitas, iacentes excitat, & in spem meliorem inducit, & tandem innumeris bonis eorum vitam complet.

X. *Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius, sed quasi vmbra transeant qui non timent faciem Domini.*

Impij autem in malis erunt, & eorum vita, quæ voluptatibus plena videbantur, breui temporis spatio finietur, & cùm nihil solidæ virtutis, & expressæ teneat, velut vmbra, euanescet.

XI. *Est & alia vanitas, quæ fit super terram. sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant. sed & hoc vanissimum iudico.*

At illud est non mediocre rerum nostrarum vanitatis argumentum, quòd viri optimi, dum in hac vita sunt, in graues sæpe casus, & miserabiles incidant, & in eos, hi, quos maximis illi sibi beneficiis astrinxerant, mala inuehant; ac si pietatem ex hominum memoria funditus sustulissent, Reipublicæ statum perniciosis conatibus conuellissent, & iuris repagula, vt se, in omnium scelerum genera proriperent, perfregissent: improbis verò & nocentibus virtutis præmia persoluantur. Hoc autem quod errore hominum fit, eorum vitam, esse vanitati coniunctam, demonstrat, & id ipsum nempe bonis externis affluere & malis vexari, vanum maximè esse, & inane iudico.

XII. *Laudaui igitur & lætitiam, quòd non esset homini bonum sub sole, nisi quòd comederet, & biberet, atque gauderet: & hoc solùm secum auferret de labore suo in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole.*

In hac tam misera rerum nostrarum conditione, lætitiam, si qua esse possit, cæteris rebus omnibus, quæ externæ sunt, ante posui; cùm enim vndique nos miseriæ, & ærumnæ premunt, id vnum eas alleuat; nec quidquam aliud, in hac vita, hominis bonum, in iis, quæ ad corpus pertinent poterit inueniri, nisi vt is, dum licet, terrenis bonis sapienter vtatur, eaque, ad suam vtilitatem conferat, nihil enim aliud ex illis, secum feret, cùm è vita discesserit. Quid ergo magis miserum, quàm sit nostra conditio, poterit excogitari? est enim in ea optimum, (de iis, quæ externa sunt, & ad corpus pertinent, disserimus,) quod nobis, cum brutis, commune est, voluptas.

Et

*Et apposui cor meum, vt scirem sapientiam, & intelligerem distentionem, quæ versatur in terra: est homo, qui diebus & noctibus somnum non capit oculis.* XIII.

In sapientiæ igitur splendorem, quæ omnia hæc ad ordinem refert, & quæ deiecta hominibus videntur, in ordinem conficit, & in eam hominum solicitudinem, quæ illos ita afficit, vt somnò etiam priuet, animum intendi.

*Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiut sub sole: & quantò plus laborauerit ad quærendum, tantò minus inueniat: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.* XIX.

Quo quidem animi conatu comperi, eorum, quæ summo consilio, Deus in communi hominum vita, fieri permittit, rationem consequi, neminem posse, & si non mediocre ad eam assequendam studium conferat, & quamuis sibi sapientis nomen arroget, & se assecutum eam fuisse prædicet in illius tamen ignoratione esse.

# CAPVT IX.



Mnia hæc tractaui in corde meo, vt curiosè 1.
intelligerem: Sunt iusti atque sapientes, & ope-
ra eorum in manu Dei: & tamen nescit homo
vtrum amore, an odio dignus sit: * sed omnia in futurum 2.
seruantur incerta, eo quòd vniuersa æquè eueniant iustò
& impio, bono & malo, mundo & immundo, immolan-
ti victimas, & sacrificia contemnenti sicut bonus, sic &
peccator: vt periurus, ita & ille qui virum deierat. * Hoc 3.
est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia ea-
dem cunctis eueniunt. vnde & corda filiorum homi-
num implentur malitia, & contemptu in vita sua, &
post hæc ad inferos deducentur. * Nemò est qui sem- 4.
per viuat, & qui huius rei habeat fiduciam melior est
canis viuus leone mortuo. * Viuentes enim sciunt 5.
esse se morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius,

nec habent vltra mercedem: quia obliuioni tradita est
6. memoria eorum.* Amor quoque & odium, & inuidiæ
ſimul perierunt, nec habent partem in hoc ſæculo, &
7 in opere, quod ſub ſole geritur. * Vade ergo & come-
de in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum
8 tuum: quia Deo placent opera tua. * Omni tempore
ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non
9 deficiat. * Perfruere vita cum vxore quam diligis, cun-
ctis diebus vitæ inſtabilitatis tuæ, qui dati ſunt tibi ſub
ſole omni tempore vanitatis tuæ: hæc eſt enim pars in
10 vita, & in labore tuo, quo laboras ſub ſole. * Quod-
cumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare:
quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt
11 apud inferos, quò tu properas. * Verti me ad aliud, &
vidi ſub ſole, nec velocium eſſe curſum, nec fortium
bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum diuitias,
nec artificum gratiam: ſed tempus, caſumque in om-
12 nibus. * Neſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces ca-
piuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur,
ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis exem-
13 plo ſuperuenerit. * Hanc quoque ſub ſole vidi ſapien-
14 tiam, & probaui maximam: * Ciuitas parua, & pauci in
ea viri: venit contra eam rex magnus, & vallauit eam
extruxítque munitiones per gyrum, & perfecta eſt obſi-
15 dio. * Inuentúſque eſt in ea vir pauper & ſapiens, & li-
berauit vrbem per ſapientiam ſuam, & nullus deinceps
16 recordatus eſt hominis illius pauperis. * Et dicebam ego
meliorem eſſe ſapientiam fortitudine: quomodo ergo
ſapientia pauperis contempta eſt, & verba eius non ſunt
17 audita? * Verba ſapientium audiuntur in ſilentio plus
18 quàm clamor principis inter ſtultos. * Melior eſt ſapien-
tia quam arma bellica: & qui in vno peccauerit, multa
bona perdet.

*Omnia*

*Omnia hæc tractari in corde meo, vt curiosiùs intelligerem.* I.

N his omnibus, quæ hominibus, in eadem semper obscuritate latent, mentem fixi, vt ea cognoscerem.

*Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, vtrùm amore, an odio dignus sit.* II.

Verùm in quanta rerum nostrarum ignoratione versemur, ex eo scire poterimus, quòd etiam si grauissima morũ corruptela, omnes humanæ vitæ partes occuparis, cùm singulari Dei beneficio, sint aliqui inter nos, qui dant se Deo excolendos, viri virtutis, & sapiētiæ laude præstantes, quorum animis Deus lumen præfert, & actionũ monitor existit easque simul cum illis opem ferendo, perficit: nemo illorum scit an gratiam Dei obtineat, an in offensionem illius ceciderit, vt odio sit dignus, sempiterno supplicio mactandus.

*Sed omnia in futurum seruantur incerta eò quòd vniuersa æquè eueniunt iusto & impio, bono & malo, mundo, & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti, sicut bonus sic & peccator, vt periurus, ita & ille qui verum deierat.* III.

Hoc enim illos latet, cùm soli Deo sit manifestum: nam humana mens, sensibus quodammodo implicata, nequit ad rerum cognitionem liberiùs vagari, & sensuum veluti concellis circunscripta, externarum rerum casibus & euentibus mouetur ad iudicandum. Rerum autem euentus non ita accidunt, vt merita cuiusque postulant: in humanis enim casibus, quibus est vita communis exposita, nullum est inter pium & impium, probum & improbum, innocentem & nocentem, religiosum, & qui religionem violat, sanctum & sceleribus coopertum, eum qui iusiurandi fidem seruat, & qui eam contemnit, discrimen: verisque enim æquabili rerum cursu, summa cum inconstantia, prospera & aduersa accidunt.

*Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt: vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contempta in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur.* IIII.

Hoc autem cùm nos ad futurum Dei iudicium pertimescendum, debuisset vehementiùs excitare ex eo illius extitit contemptio, maximum in vita malorum omnium: vnde incredibilis peccandi licentia est consecuta, qua homines in omnium scelerum genera feruntur, & Dei numen spernunt: illius enim vim & potestatem eo maximè redargui putant, quòd eandem ferè conditionem in hac vita probitas subeat, & improbitas: quin etiam

moriendi eadem necessitate constringatur.

V. *Nemo est, qui semper viuat, & qui huius rei, habeat fiduciam: melior est canis viuus leone mortuo.*

Etenim in corpore mortali inclusus, nemo perpetuò viuit, neque vanissima spe delusus hoc sibi pollicetur: nam mors, omnia, licèt sint firmissimo præsidio stabilita, demolitur, & opprimit. Leo dum viuit, inter belluas viribus præstat, at cùm primùm, eum vita deserit; quilibet viuus canis est ei longè præferendus.

VI. *Viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem: quia obliuioni tradita est memoria eorum.*

Nam qui adhuc in vita manent, licèt sint genere humiles, opibus tenues, & ab illustri illa, vel populari, vel principum gratia remoti, sciunt se hinc breui esse discessuros; quare si velint, ita se ipsos poterunt comparare, vt è vita hac abeuntes, beatitudinem consequantur: at mortui, qui nobilitatis splendore nitebant, viribus pollebant, summis opibus abundabant, & officij religionem sanctitatémque, pro nihilo ducebant, cùm ad vitam reuocari non possint, vt viuendi rationem, ad Dei legem & voluntatem instituant, nihil vel sensu, vel ratione percipiunt, quod eis ad salutem proficiat. Fuit illis quidem amplissima, in vita, virtutis merces proposita, quam temere contempserunt, eam verò sempiternæ obliuionis tenebris oppressi, nec adipisci, nec sibi polliceri poterunt.

VII. *Amor quoque, & odium, & inuidia simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, & in opere, quod sub sole geritur.*

Tempus enim abiit, in quo Dei gratiam mereri poterant, cùm amor eos sollicitabat, odium incendebat, inuidiam ad perniciem aliorum impellebat. His autem animi ægritudinibus in quibus sanandis, virtutis vis maximè elucet, morte omnino cum corpore extinctis, fuit illos ad merendum, materia subtracta: & si quæ illos inter viuos societas, iúsque attingebat, est omnino sublatum.

XIII. *Vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua.*

Tu igitur dum in vita manes, quam ad diuinæ legis normam instituis; & Dei beneficio, tibi opes abundè suppetunt, illis, vt hominis dignitatem & præstantiam decet, fruere; hoc enim Deo, qui te illis abundare permisit, non erit ingratum.

IX. *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.*

Nulla

Nulla te mentis ægritudo perturbet, omni tempore tristitiam ex animo tuo expelle, & veste, qua fueris, indutus, lætitiam præfer, & caput tuum sit vnguento, tum lætitiæ, tum sapientiæ, delibutum.

*Perfruere vita cum vxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi su b sole omni tempore vanitatis tuæ. Hæc est enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras sub sole.* X.

Omni denique honestæ voluptatis genere, simul cum vxore tua, quam oportet vnicè diligas, totius vitæ tuæ tempore, quod numquam in eodem statu permanet, sed continenter labitur, & vanitatis instar euanescit, fruere: cum aliis verò noli fœminis commisceri, nefas est enim, & homine indignum. Sic etiam cæteras voluptates percipe, vt in iis, quid decus honestúmque postulet animo retineas, ne te illis sinas sine iudicio deliniri. Hoc enim est in vita, quod sibi quisque maximè possit optare, vt nihil aliud ab iis laboribus, in quibus est, ampliùs expetat.

Cùm aliis fœminiscómiscери nefas ex homine indignum.

*Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* XI.

Quidquid autem perfici, fuerit iustum & honestum, si faciendi facultas erit, non negligenter, sed toto animo & omni studio, ad id perficiendum incumbe, ne moriendi necessitate cogaris, illud inchoatum relinquere. Ad inferos enim pergis, ad sepulchrum inquam venire properas, vbi nullus erit actus animi, vel corporis, ad operis alicuius perfectionem pertinens, nulla præclaræ alicuius actionis norma, regula, & præscriptio, nulla altissimarum rerum scientia, nec ex antecedentibus rerum euentibus, cognitio: hoc est, opus, quod fueras aggressus, è vita discedens, imperfectum relinquas; extincto corpore, id perficere non poteris, nec illa mortuorum conditio patitur, vt actioni alicui, scientiæque operam, vt antea, naues. Quamobrem, ignauiam inertiámque fuge, & quod agendum suscipis, strenuè cura, vt absoluas.

*Verti me ad aliud, & vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam: sed tempus, casumque in omnibus.* XII.

Animum ad alia quoque consideranda attentiùs conuerti, & in rebus humanis sæpenumerò tempus casumque dominari comperi: non enim semper ij, qui aptum ad currendum, & leue corpus habent, sunt in cursu, illúmve conficiunt: nec fortes bellum gerunt: nec industriis in re familiari paranda, ea quæ ad victum sunt necessaria suppetunt: nec ij, qui in agendis negotiis, & in mercatura exercenda, pollent prudentia, diuitiis affluunt: nec qui ad tractandam Rempublicam sunt instructissimi, princi

Tempus casusque sæpe numero in rebus humanis dominantur.

principum gratiam aut multitudinis obtinent: ij enim, quos tempus, quia ita euenire contigit, cursu suo, ad reipublicæ gubernacula defert, gratiosi, & in maxima sunt apud homines sapientiæ opinione: & ij, ad quos aliunde diuitias auertit, opulenti: & belli duces ij, quos fortè ingruenti bello, opponit: & actionem diuersarum in vita cursum, ij tenent, quos vi sua inde abripit, vbi degere eos æquum fuisset: Hæc fert in communem vitam, ob deprauatos hominum mores, casus importat; in iis enim, quæ sic cadunt, vt vel non euenire, vel aliter euenire potuerint, vis sapientiæ maximè elucet.

XIII. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplò superuenerit.*

At mens humana, non tantùm viribus valet, vt futurum malum longè antè prospiciat, quod à multarum causarum vi, & continuatione pendet: quarum aliquæ dum se latent, & ipsa sensuum iudicio à recta ratione deducitur, in exitum præcipitantur: quemadmodum enim pisces hamo, & volucres, dum quod appetunt, oblatum sibi, auidè arripiunt, laqueo capiuntur, sic homines, dum res sibi videntur feliciter cadere, sæpenumerò repentinum & inopinatum malum opprimit, & mors denique labefactat.

XIV. *Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, & probaui maximam. Ciuitas parua, & pauci in ea viri. Venit contra eam Rex magnus, & vallauit eã, exstruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inuentusque in ea vir pauper, & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.*

Huiusce rei exemplum ante oculos proponam, in quo etiam summum sapientiæ decus, & lumen elucet. Erat vrbs parua, quæ pro sui etiam magnitudine paucos intra muros ciues continebat. Rex verò multis opibus affluens, & maximis exercitibus stipatus eam obsedit, acerrimè oppugnauit. Iis, qui in illa principem locum obtinebant, metu fractis, & debilitatis, homo tenuis, sed sapiens, qui ob mores perditos ciuitatis, in omnium obliuione libertauit, Principes ciuitatis, cùm florens, & in voluptate essent, obsidio illa valde vehementer afflixit, non enim poterant rationem consequi, quæ tantum malum, à suis ceruicibus pellerent; casu enim cùm insipientes essent, ad eos fuerat imperium delatum. At sapiens libertatem illorum, postquam

quam se illi moderandos tradiderunt, à potentissimo tyranno vindicauit.

*Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine, quomodo ergo sapientia pauperis contempta est. & verba eius non sunt audita?* XV.

Sapientiam igitur fortitudini, longè anteferendam esse duxi, viri enim illi principiò strenuè obsidionem sustinebant, sed hostium multitudine viribusque prostrati, saluti desperarunt, eos vir sapiens, à desperatione ad spē, ab exitio ad salutem reuocauit. Cùm ergo tantus sit sapientiæ splendor, & dignitas, quæ malum in hominum animos improbitas peruasit, vt pauperis sapientiam, & salutarem illius doctrinam contemnant, & insipientes ad reipublicæ moderationem asciscant?

*Verba Sapientium audiuntur in silentio, plúsquam clamor principis inter stultos.* XIV.

Nempe quia sapientis oratio, in eorum animos influit, qui se illi dociles præbent, & silentio, earum rerum, quas docet, momenta ponderant, & se doceri atque informari permittunt, hi quanto studio illius præcepta excipiant, & quàm vehementer ad illa exardescant, nemò poterit dicendo explicare. Nam etsi viri principis oratio, ab iis, qui se ad illius similitudinem effingunt, tum vt illius gratiam aucupentur, tum etiam ne in illius offensionem incidant, audiatur attentè, hoc tamen illorum studium, in eorum animis, honesti boniq́ue ratio, à natura insita, & à turpitudine reuocans, imminuit: verùm, qui sapienti instituendos se tradunt, singulari suauitate ducti, & innato in omnibus veritatis studio, incredibili sapientię siti, toto animo ad eum incumbunt, vt inde tanquam è fonte hauriant, quo possint aliqua ratione satiari. Hoc sapientiæ decus excellens, multò quidem præclarius, ad totius generis humani salutem erit posteritati ante oculos propositum, cùm rerum omnium princeps humanam sibi formam induet: opibus tenuis, & pauper improbis hominibus, despectui erit atque ludibrio: genus tamen humanum à sempiterni hostis faucibus eripiet.

*Melior est Sapientia quàm arma bellica, & qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* XVII.

Cùm igitur vrbem hanc obsidione cinctam ab hostium impetu, bellica non potuerit disciplina, armis instructa tueri, eámque vir sapiens seruauerit, manifestum efficitur, armis esse sapientiam præstantiorem. Quāobrem is, qui sapientem spreuerit, multa quæ sunt in pretio, & quæ potuisset, hominis sapientis consilio adipisci, non obtinebit, vel si fuerit ea consecutus, amittet. Imò & ipse sapiens, si aliquando in officio labatur, & se ipsum deserat, plurima, quæ in eum sapientia bona congesserat, & fructum vitæ superioris perdet.

# CAPVT X.

1. MVscæ morientes perdunt suauitatem vnguen-
ti. Pretiosior est sapientia & gloria, parua &
2. ad tempus stultitia. * Cor sapientis in dextera
3. eius, & cor stulti in sinistra illius. * Sed & in via stultus
ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æsti-
4. mat. * Si spiritus potestatem habentis ascenderit super
te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessa-
5. re peccata maxima. * Est malum quod vidi sub sole,
6. quasi per errorem egrediens à facie principis: * positum
stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.
7. * Vidi seruos in equis: & principes ambulantes super ter-
8. ram quasi seruos. * Qui fodit foueam, incidet in eam: &
9. qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. * Qui trás-
fert lapides, affligetur in eis: & qui scindit ligna, vul-
10. nerabitur ab eis. * Si retusum fuerit ferrum, & hoc non
vt priùs, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur,
11. & post industriam sequetur sapientia. * Si mordeat ser-
pens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detra-
12 hit. * Verba oris sapientis gratia & labia insipientis præ-
13 cipitabunt eum. * Initium verborum eius stultitia, &
14 nouissimum oris illius error pessimus. * Stultus verba
multiplicat. Ignorat homo quid ante se fuerit: & quid
15. post se futurũ sit, quis ei poterit indicare? * Labor stul-
16 torum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere. * Væ
tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes manè co-
17. medũt. * Beata terra, cuius rex nobilis est, & cuius prin-
cipes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non
18 ad luxuriam. * In pigritiis humiliabitur contignatio, &
19 in infirmitate manuum perstillabit domus. * In risum
faciunt panem, & vinum vt epulentur viuentes: & pecu-
niæ

niæ obediunt omnia. * In cogitatione tua regi ne de- 20.
trahas, & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti:
quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet
pennas annunciabit ſententiam.

---

*Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti. Pretioſior eſt ſapientia, & gloria, parua & ad tempus ſtultitia.* I.



Am innata in hominis natura cupiditas, ſi conniuente homine ſapiente, in mentis ſtatum erumpat, in eúmque fractis repagulis peruadat, vt paruum, & ad breue tempus, ſtultitiæ ſignum det, dignitatem illius & gloriam, qua nihil poterat excellentius cogitari, quemadmodum vnguentum, ſumma ſuauitate conditum, muſcæ in eo mortuæ putere faciunt, euertit.

*Cor ſapientis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius: ſed & in via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.* II.

Sapientis enim dignitas in eo maximè elucet, vt à recta agendi ratione non aberret, & præclarè officij ſui munere perfungatur: at inſipiens, ac ſi ſolam ſiniſtram habeat, ineptè, quæcunque operatur, agit: tantúmque ſibi arrogat, vt cùm in ſingulari verſetur ignoratione, reliquos omnes ſtultos eſſe iudicet.

*Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris: quia curatio faciet ceſſare peccata maxima.* III.

Si te potentior, ira exardeſcens, in te impetum fecerit, dignitatem tuam & gradum retine: quod adipiſci poteris, ſi illius furori conſentaneam adhibeas medicinam: patientiam nempe, & animi lenitatem, vt in eo ratio tandem locum habeat, & reſipiſcat, quæ quidem ſceleratiſſimos potentium in aliorum perniciem, conatus prohibet, & maximas malorum tempeſtates ſedat.

*Eſt malum quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie principis: poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum.* IV.

Eſt autem malum ab inſipientia principũ exortum, non mediocre, quod vidi, in communi vita verſari, ab his enim, cùm ipſi ſapientiæ plurimùm tribuere debuiſſent, ſtultum animaduerti, in altiſſimo dignitatis gradu collocari, & diuites, qui opibus ſuis poterant reipublicæ prodeſſe, ita compilari, vt in egeſtate viuant.

*Vidi ſeruos in equis: & principes ambulantes ſuper terram, quaſi ſeruos.* V.

Et eos qui ingenio, & moribus, ad turpitudinem, & dedecus, atque ideo

ad seruitutem sunt informati, & nati quodam modo in eos, qui ob sapientiæ decus, & virtutis ornamenta, quibus sunt mirificè exculti, principem in republica locum obtinere debuissent superbè dominari.

VI. *Qui fodit foueam, incidit in eam, & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.*

Hæc in rempublicam mala principis stultitia inuehit, nec tamen iis minora sibi, ipse insipiens molitur: is enim in eam perniciem, quam aliis veluti foueam, per insidias comparat, incurret: & dum iuris septa euellit, vt aliis noceat, ei non aliter id accidet, quàm si sepem quo serpens tegebatur, deiiceret, qui eum, ea iniuria irritatus, subitò inde erumpens, mordeat: siue quia vis diuina, iniuriarum vindex, nullum impunitum scelus relinquat: siue, quia insipiens, iniuriæ iniuriam addendo, ea velamina, quibus viri prudentes, iram aduersus eum conceptam, animo tegebant, imprudenter tollat, vt latens in omnium animis iracundia, in illius perniciem prodeat.

VII. *Qui transfert lapides affligetur in eis, & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.*

Quemadmodum is, qui lapides de loco in locum mouet, & si non mediocrem laborem subeat, nullum ex eo fructum capit, & meritò dolet, se tantum studij, & temporis frustra insumpsisse, & qui ligna cædit, periculo se, ob paruam vtilitatem, obiicit: sic stultus, iis se negotiis implicat, quę nihil solidi aut stabilis sibi commodi afferre possunt, & in quibus sit necesse eum periculo suo versari.

VIII. *Si retusum fuerit ferrum & hoc non vt priùs, sed hebetatum fuerit multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia.*

Si milites, qui multa priùs præclarè gesserant, aspectu hostium territi, animos demittant, eos per stultitiam dux excitare non poterit: ferrum enim obtusum, si nemo artis sit expers, quamuis in eo multùm laboret, acuet: at si sapientia studio adsit, abiectos animos eriget, eósque ad hostes feriendum robore firmabit, impendénsque malum, quod dux insipiens è ceruicibus reipublicæ pellere non potest, illud sapiens, si velit, propulsabit.

XIV. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eò minus habet, qui occultè detrahit.*

Quemadmodum verò, qui concionibus, & verbis quibusdam, in susurrantis more prolatis, potest inflatæ serpentis impetum reprimere: si arte sua non vtatur, & taceat culpa sua, morderi eum à serpente, & artem, qua maximè pollebat, sibi minimè profuisse, putandum est, sic etiam ei, qui est sapientiæ muneribus cumulatus, quod se, & rempublicam, ob taciturnitatem dilacerari permittat, est crimini tribuendum: quia vtriu s

vtrisque ars, quo tempore prodesse debuerat, conticescat.

*Verba oris sapientis gratia : & labia insipientis præcipitabunt eum : initium verborum eius stultitia, & nouissimum oris illius error pessimus.* X.

Sapientis oratio est omnibus salutaris, & omnium ei gratiam conciliat : at verò stulti hominis verba sibi perniciem inferunt; ab ipsa enim stultitia, & ignoratione rerum exordium sumunt, & maximi ea errores consequuntur.

*Stultus verba multiplicat, ignorat homo, quid ante se fuerit, & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?* XI.

Ipse autem inflatus stultitia dicendo longè progreditur, & temere verba verbis cumulat, vt dum nihil planè, nihil ornatè dicat, singularem indicet in dicendo stultitiam : nam cùm ea, quæ sunt à maioribus præclarè gesta, & ad generis humani salutem à Deo instituta, nesciat, in eadem existimat, omne genus hominum, ignoratione versari. Quamobrem eam esse optimam viuendi rationem quam ipse sectatur, pluribus persuadet, eo præcipuè argumento, quia de maioribus nostris quid actum sit, nesciamus, quod autem futurum sit, nemo cui sit fides adhibenda, prædicet : an scilicet, illi corporibus soluti viuant, an scelerum pœnas luant, an virtuti præmijs donentur, an nobis sit diuersa conditio subeunda, illisque temporis progressu, sit aliò commigrandum, iterumque moriendum, an redacti in nihilum, euanuerint.

*Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere.* XII.

At hoc idem studium, quo stulti, nulla futuræ vitæ habita ratione, ad opes, dignitates, & ad voluptates corporis ducantur, eis inopiam, dedecus, & dolorem importabit : qui etsi tantum sibi tribuant, vt se de rebus maximis differere, & cæteros homines à se posse institui arbitrantur, offusis stultitiæ suæ tenebris, ea, quæ hominum vulgò etiam patent, obcæcati non vident.

*Væ tibi terra, cuius puer est, & cuius principes manè comedunt.* XIII.

Misera tu quidem respublica, & innumeris malis vexabere, in qua puer, nullo rerum vsu, & imperandi arte instructus, dominatur: & principes, qui illius ætatem virili prudentia informare debuissent, se toto pectore, voluptatibus dedunt.

*Beata terra, cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.* XIV.

Verùm multis & maximis bonis respublica florebit, quam Rex moderatur, qui ab optimis regibus, à quibus est ortus, non degenerat, & cuius princi-

pes, quoad per naturam, & rectam rationem fas est, voluptates carpunt, vt gubernandæ reipublicæ onus, aliqua ex parte, alleuent, illudque sustinere possint.

XV. *In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manum perstillabit domus.*

Nam quemadmodum si faber tignarius piger sit, & tecta, quæ vt bene habitemus, & ne aquarum vis supellectili perniciem ferat, firma in domiciliis habere opus est, nulla adhibita cura & arte perficiat, illa sine dubio concident, & pluuias aquas minimè arcebunt.

XVI. *In risum faciunt panem, & vinum vt epulentur viuentes: & pecuniæ obediunt omnia.*

Ita princeps, cui ad omnia deliciarum genera pecunia suppetit, qua quæque facilè comparantur, si sit voluptatibus liquefactus, & otio torpens, sibi subiectos, quos vt omnibus bonis affluentes efficiat, & à malis omnibus tueatur, totis viribus niti debuerat, aliorum tyrannide opprimendos relinquet.

XVII. *In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annunciabit sententiam.*

Rex autem etsi quod reipublicæ & patriæ debet, officium minimè soluat, caue ne eum, in intima etiam cogitatione, quò mens humana penetrare nequit, spernas, nec magistratum in abditis, & penetralibus tuis ædibus, nullo teste, maledictis configas: sic enim homines, regum & potentium gratiam aucupantur, & ad perniciem alijs inferendam, sunt parati, vt instar volucrum, à quibus minùs tibi cauendum esse duxeras, ea, quæ de rege cogitaueras, & maledictum, quod ieceras, ad Regem, & ad magistratum, inaudita vnquam à te ratione, & via deferent.

# CAPVT XI.

1 MItte panem tuum super transeuntes aquas: quia
2 post tempora multa inuenies illum.* Da partem
septem, necnon & octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram.
3 * Si repletæ fuerint nubes,
imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad
Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit.
4 * Qui obseruat ventum, non seminat: &
qui

qui conſiderat nubes, numquam metet. * Quomodo 5
ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingan-
tur oſſa in ventre prægnantis; ſic neſcis opera Dei, qui fa-
bricator eſt omnium. * Manè ſemina ſemen tuum, & 6
veſpere ne ceſſet manus tua: quia neſcis quid magis oria-
tur, hoc aut illud: & ſi vtrũque ſimul, melius erit.* Dulce 7
lumẽ & delectabile eſt oculis videre ſolẽ.* Si annis mul- 8
tis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit memi-
niſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum:
qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita. * Læ- 9
tare ergo iuuenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor
tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis
tui, & in intuitu oculorum tuorum: & ſcito quòd pro
omnibus his adducet te Deus in iudicium. * Aufer iram 10
à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Adoleſcẽtia
enim & voluptas vana ſunt.

---

*Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa inuenies illum.* I.

BEnignè fac indigentibus; quemadmodum enim tellus, cùm primùm fuerit aquis irrigata, ſemen opportunè recipit, vt poſtea fruges fundat; ita pauperi, qui ſe veluti agrum, in quo ſementem faceres, lacrymis emollitum, reddidit, quidquid erogaueris, non interibit, ſed opportuno tempore vberrimos tibi fructus afferet.

*Da partem ſeptem, nec non & octo: quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terram.* II.

Hoc autem officij munus diligenter eſt in omni loco, & tempore curandum, vt nunquam benignè faciendi opportunitatem, prætermittas, quid enim mali terris eueniet, quod te quoque neceſſariò opprimat, ignoras.

*Si repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent.* III.

Vt autem impendens malum effugias, aut ſi antè fuerit inuectum, ſedare illud poſſis, aut omnino tollere, benignitatis opes, pauperibus tua largiendo, tibi congere; illæ namque, velut nubes, ſi humore fuerint plenæ,

enim Deus hoc in te beneficium conferre, vt inclusum in pauperis gremio, semen hoc, aut illud à te sparsum, omnino non pereat, quod est in non mediocri felicitate ponendum: ipse quoque præstare poterit, vt quidquid in pauperes confert, spiritu suo, quasi caloris temperatione, in visceribus terræ tepefactum semen fructus vberrimos gignat. Ad hoc igitur assequendum aspira, ne fortè dum satis à te officio factum fuisse arbitraris, quia aliquando opem alicui indigenti tuleris, semen illud pereat, & animus tuus fame contabescat.

*Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.* VIII.

Huc quoque accedit, quod iis qui in vita sunt, nihil sit iucundius, quã huius lucis vsura frui, & solẽ suo accessu & recessu, omnia variantẽ, & distinguentem, intueri: hoc autem vna eadémque opera, vt nobis diutius permaneat consequimur, & miseris, indigentibusque, benignè tribuimus: cùm definitum sit, & certum nos hinc esse eò demigraturos, vbi hac luce priuati, solem hunc aspicere nequeamus.

*Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cùm venerint, vanitatis arguantur præterita.* IX.

Hic autem necessarius è vita discessus, & si homo diu in bonis viuat, & res omnes ad nutum sibi fluant, omnia quæ ille plurimi faciebat, inania esse manifestè declarabit: tempori enim, quod mortem consequetur, solis splendor deerit, & nullis erit terminis circunscriptum. Hoc quidem si animis nostris infixum hæreret, vt fas & ratio postulat, vana esse hæc omnia reputaremus.

*Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum, in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito, quod pro omnibus tuis adducat te Deus in iudicium.* X.

Iam mone, tu, qui hæc minimè curas, & ætate opibusque flores, lætare, & animo tuo quidquid postulauerit, tribue, & quod oculi tui bonum esse iudicauerint, amplectere: hoc tamen pro comperto habeto, de his omnibus coram sanctissimo iudice, rationem tibi esse reddendam.

*Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua.* XI.

Quamobrem, ne à Deo iudice pœnam adolescentiæ in vitiis enutritæ, sustineas, iracundiam comprime, quæ opibus aucta, mentem eripit, eámque ex animo tuo radicitus euelle, illudque diligenter cura, vt à cæteris hominibus, qui quidem sunt tecum, naturæ communione coniuncti, & ab eodem generis principe, & eadem ratione generati, malum in quo fuerint, auertas.

XII. *Adolescentia enim & voluptas vana sunt.*

Hæc enim florens ætas, quæ animos erigit, & voluptas qua illa gestit, exarescet, & insita naturæ vi euanescet.

# CAPVT XII.

1. MEmento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ,
antequam veniat tempus afflictionis, & ap-
propinquent anni, de quibus dicas: Non mi-
2. hi placent, * antequam tenebrescat sol, & lumen, &
3. luna,& stellæ,& reuertantur nubes post pluuiá: * quan-
do commouebuntur custodes domus, & nutabunt vi-
ri fortissimi, & otiosæ erunt molentes in minuto nume-
4. ro,& tenebrescent videntes per foramina: * & claudent
ostia in platea,in humilitate vocis moletis, & consurgét
ad vocé volucris,& obsurdescent omnes filiæ carminis.
5. *Excelsa quoque timebũt,& formidabũt in via,florebit
amygdalus, impinguabitur locusta:& dissipabitur cap-
paris: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ,
6. & circuibunt in platea plangentes. * Antequam rum-
patur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, &
conteratur hydria super fontem, & confringatur rota
7 super cisternam, * & reuertatur puluis in terram suam
vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.
8 * Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vani-
9 tas. * Cúmque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit
populum,& enarrauit quæ fecerat: & inuestigans com-
10 posuit parabolas multas. * Quæsiuit verba vtilia,& cō-
11 scripsit sermones rectissimos,ac veritate plenos.* Verba
sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi,
quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore v-
12 no. * His amplius,fili mi,ne requiras. Faciendi plures li-
bros

bros nullus est finis:frequénsque meditatio,carnis affli-
ctio est. * Finem loquendi pariter omnes audiamus: 13
Deum time,& mandata eius obserua: hoc est enim om-
nis homo: * & cuncta,quæ fiunt,adducet Deus in iudi- 14
cium pro omni errato,siue bonum siue malum illud sit.

---

*Memento Creatoris tui,in diebus iuuentutis tuæ,antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas non mihi placent.* I.



N ętatis igitur flore,sit tibi Dei numen ante oculos positum,nec illud vmquam à memoria tua absit:oportet enim ad illius præscripta,& normam,qui te è nihilo finxit,& informauit, adolescentiam à te tuam dirigi,ne voluptatibus te irretitum, sceleribusque astrictum,& nihilominus opinantem,senectus assequatur, quæ non mediocre tibi malum inuehat,quod iniquo animo sustineas.

*Antequam tenebrescat sol,lumen,& luna,& stellæ, & reuertantur nubes post pluuiam.* II.

Hoc erga Deum officium diligenter persolue, nec illud ad occasus vitæ tuæ tempus acerbum quidem, & molestiis plenissimum differas, cùm te natura ipsa deseret:oculi,qui fuerant affabrè facti, vt solis splendorem lunæ, stellarumque pulchritudinem aspicerent,ad id officij munus præstandum, hebetiori acie ita languescent,vt post pluuiam cælo sereno, ac si coactis nubibus,illius sit perturbatio,offusæ eis tenebræ aspectum eripiant.

*Quando commouebantur custodes domus, & mutabunt viri fortissimi.* III.

Cum manus, quæ in corpore tuendo,strenuè operam nauabant, destitutæ viribus,contremiscent, & crura quæ antea robore stabilita, corpus sustinebant, oneri succumbent.

*Et otiosæ erunt molentes in minuto numero, & tenebrescent videntes per foramina.* IV.

Et dentes,quibus molliebatur cibus,& extenuabitur,illum conficere, & diuidere nequibunt:& vis illa,quæ per duo quasi perforata lumina, rernm naturas inuestigabat,amissis viribus, per ea vt antea, nihil arduum & difficile,inquirendo assequitur.

*Et claudent ostia in platea,in humilitate vocis molientis,& consurgent ad vocem volucris,& absurdescent omnes filiæ carminis.* V.

Fauces,per quas cibus in stomachum, velut in furnum mittebatur, quia iam non ita,vt antea,sed cum dentium crepitu, in senectute manditur,erũt veluti clausæ, cum parum per cibi ad stomachum perueniat, quod senes somno priuat,eosque vigilare facit:& aures,quæ vocis conuentu,& carmine permulceri consueuerant,nihil omnino excipient.

*Excelsa quoque timebunt & formidabunt in via,florebit amygdalus,impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis.* VI.

Quidquid arduũ,& difficile visũ fuerit,aggredi formidabũt,nec in sublime

tendere, nec in via optimè munita, pedem ponere audebunt, sic ætas senescens vires conficit: caput, velut amygdalus, canis florebit, pedes impediti morbo, ac si maximo sint onere oppresi, se mouere non poterunt, & ipsa, quæ tam vehementer in te exarsit, cupiditas extinguetur.

VII. *Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes.*

Hinc tandem eò discedet homo, vbi æuum sempiternum deget, cumque vita functum, cum lacrymis & plangore, alij, qui in vita manent, breui post etiam discessuri, vndique in platea circundabunt, & exequias funeris persequentur.

VIII. *Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea.*

Cùm igitur sic ad interitum vita hominis fluat, antequam eam mors conficiat, & consumat, Dei in te benignitatem, vt dicebam perpetua meditatione tibi in memoriam reuoca, antequam funiculus argenteus, quo animus corpori est deuinctus, ita dimittatur, vt vtrunque minimè astringat, & pars illa cerebri, quæ instar vasis ex auro affabrè facti, vim salutarem, qua viuimus admirabili ratione continet, dissoluta concidat.

IX. *Et conteratur hydria supra fontem, & constringatur rota super cisternam, & reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

Et follis receptaculum, super iecoris partem, quod sanguinis est veluti fons, & origo collocatum, quasi aliquod è luto fictum, prope fontem, vnde aqua erat haurienda, conteratur: & capitis pars illa interior, totius corporis motus, origo, & principium elidatur: corpus denique quod fuerat è luto fictum, in id, vnde fuerat exortum, redigatur, & animus corpore solutus, ad Deum, qui illum ex nihilo condidit, & in corpus inclusit, reuertatur.

|X. *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas.*

Cùm igitur hæc omnia tendant, & ad hunc exitum res humanæ celeri cursu properent, meritò quidem concionator, longè inter alios præstans, inde orationis suæ exordium duxit, Vana inquiens, & inania sunt omnia, quæ oculis intuemur.

XI. *Cúmque esset sapientissimus Ecclesiastes docuit populum, & enarrauit, quæ fecerat, & inuestigans composuit parabolas multas.*

Et cùm Sapientiæ laudibus excelleret, Hierosolymitanos ciues sapienter instituit, & erudiuit, fecitque, vt ipse ad omnem sapientiæ laudem aspirabat,

bat,illi quoque ad omnem doctrinam,attentionem animorum præstarent: & quæ in tenebris latebant, inuestigauit, & in lucem edidit: breuissimóque dicendi genere, & similitudinibus res arduas, diuinásque explicuit.

*Quæsiuit verba vtilia,conscripsit sermones rectissimos ac veritate plenos.* XII.

Ea quæ poterant esse hominibus emolumento,singulari eis persuadebat eloquentia, quam dicendo afferebat, eáque abundans, orationes veræ sapientiæ plenissimas scripsit:

*Verba sapientum sicut stimuli, & claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno.* XIII.

Oratio autem sapientum instar stimuli, industriam excitat, & quemadmodum clauus in pariete defixus, multam ac variam supellectilem seruat, ita & ipsa plurima sapientiæ ornamenta continet: vnde vt se quisque dat,& propendet ad sapientiam, depromptis illius muneribus cumulatur. Hi autem,qui de grauissimis rebus concionantur & cæteros homines ad omnem virtutem diuinis institutis informant, sunt à Deo, qui genus humanum pascit,doctrina exculti,vt doctoris officio fungantur: solius autem illius oratio, sapientiæ præceptis abundat, quæ ab istorum institutis & decretis non aberrat.

*His amplius fili minimè requiras.* XIV.

Quamobrem, fili mi,sic meus patrius in te animus appellare te cogit,recta ratio postulat, vt quæ à diuino spiritu deprompta, illi tradiderunt, & hæc,quæ ipse commemoraui, animo infigas, nec inquirendo, vlterius progrediaris,ea enim & illos,neque admonuisse,ad vitæ moderationem sufficit.

*Faciendi plures libros nullus est finis,frequénsque meditatio, carnis afflictio.* XV.

Hæc quidem luculentiùs tractare potuissem, vt me scribentem tempus deficeret, & legentibus molestiam parerem.

*Finem loquendi pariter omnes audiamus.* XVI.

Cùm autem tam multa disseruerim,quæ attentè audisti,nunc vt diligentiùs animum attendas velim, ea enim in vnum breuiter colligam, & quem in finem illa adduxerim,ostendam. XVII.

*Deum time,& mandata eius obserua,hoc est enim omnis homo.*
Dei iudicium perhorresce, & legem illius serua: id vt tibi persuaderem, tam multus fui in dicendo:omnia,quæ dixi, tuis duabus sententiis comprehenduntur, *Deum time,legem illius serua.* Hæ namqne hominis dignitatem,& bonum continent.


Duabus sententijs verba Ecclesiastæ comprehensa, *Deũ time*, legem illius serua.

XVIII. *Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, pro omni errato siue bonum siue malum illud sit.*

Omnia enim, licèt in tenebris lateant, siue rectè, siue improbè fiant, Deus suis ponderibus examinabit, & de illis sanctissimum iudicium feret. Quamobrem si illum times, toto pectore curabis, ne in illius offensionem incidas, & inde legis illius seruandæ initium sumas: at sanctissimus iudex, improbis supplicia imponet, & probis beatam vitam, perpetuò duraturam, ob suam in genus nostrum benignitatem & beneuolentiam, dabit.


HIERO





# HIERONYMI OSORII FONSECÆ IVNIORIS LVSITANI, HIERONYMI OSORII EPISCOPI SYLVENSIS, EX FRATRE nepotis, de rerum humanarum contemptione, siue in Ecclesiastem Commentaria.

## *Verba Ecclesiastæ, filij Dauid Regis Hierusalem.*



Itulus insignis, & qui huic erat operi maximè conueniens. Primùm enim autoris sapientiam; & dicendi vim, quæ in illo fuerat, ostendit; deinde ab eo, illam fuisse, veluti patrimonium, à patre sapientissimo acceptam, quæ genti Hebrææ, quæ sapientiæ ornamentis inter omnes vna tantopere excelluit, præesset.

Quamuis autem sapientiæ opinio, eximiam dicenti autoritatem afferat, non mediocrem ei accessionem facit, paterni nominis gloria, & imperij dignitas: altissimarum enim rerum cognitionem, etiam si homines suspiciant, illius tamen admirationem auget patria, virtus, Regis nomen, & maiestas: vt libenter ad illius se auctoritatem omnes conferant, qui his præclarissimis laudibus fuerit commendatus: quia si sapiens est, in rei alicuius ignoratione, versari non poterit: si à patre viro præstantissimo, non degeneret, meritò sperandum est, vt patris vestigiis insistens, & optimi viri officio fungatur: si verò vt Regem decet, animo patrio, suos complectitur, neque odio, neque egestate adduci poterit, vt eos decipiat: eo præsertim tempore, quo hunc, de rerum humanarum contemptione, librum addidit senex; ea enim, quæ antea, boni nomine deceptus, fuerat amplexus, spreuerat, & à se reiecerat, singularique studio, vt per aliquot annos, cùm primùm regnauit, præstiterat, religionem coluit: cúmque hoc erga Deum esset animo, *Prouerbia, Canticum canticorum, & hunc librum* scripsit. Neque id quidem Hebræi, imprudenter affirmant, nisi enim ille mentē à voluptate & impietate, ad virtutem & ad pietatem traduxisset, non eum, cùm è vita iam discessisset, ijsdem quibus Dauidem, sacer historicus, laudibus efferret: cùm enim Roboamum violasse religionem commemorat, de Dauide, & Salomone, his verbis mentionem facit, *Et roborauerunt regnum Iuda, & confirmauerunt Roboam filium Salomonis per tres annos, ambulauerunt enim in vijs Dauid; & Salomonis, annis tantùm tribus.*

Salomonis pœnitentiā probantia. Sederol. Rabb. cap. 15.

2. Paral. c. 2.

Multi

Multiplex est autem sapientiæ fructus, & varium de ea dicendi genus; non enim quælibet sapientiæ pars eandem ab oratore dicendi rationem exigit, sed ad sapientiæ partem de qua agitur, ad tempus, & ad auditores, est oratio accommoda. Id Salomon adeò diligenter obseruauit, vt etiam noua sæpe nomina sibi imposuerit, quibus orationis genus, & rei de qua differit, grauitatem, indicaret: quemadmodum in Prouerbiorum libro, *Augurem*, se, & *lamuelem*, & in hoc quoque, *Cohelet*, nuncupauit. Is autem dicitur *Cohelet*, qui plurimas & maximas opes sapientia in animum congestas, habet: קהל, enim *congregari* significat, ex eóque fœminini generis nomē *Cohelet* deductum, sapientiæ magnitudinem designat, qua erat mens Salomonis cumulata: qua ille instructus de ijs, quæ ad vitam rectè moderandam pertinent, mirificè concionabatur: quare eum *Ecclesiastem* Græcè dicimus: Ob eloquentiæ autem & sapientiæ opinionem, ad se homines alliciebat, qui in concionem, audiendi illius cupiditate ducti, conueniebant. Voci Hebrææ *Cohelet*, horum omnium, quæ diximus, est subiecta notio.

Prouerb. 30. & 31.

Cohelet quis dicatur.

Quàm verò sit hominibus salutaris ea doctrina, quam viri sapientes tradunt, ipse Salomon, alio in loco, his verbis declarat, *fons vitæ eruditio, & fauus mellis, composita verba, dulcedo animæ, sanitas ossium.* Doctrina enim naturam excolit, & animis, eloquentiæ vi, nescio quid instillat, quo ipsi, vitiosissimam sæpenumerò naturam exuunt, & nouam diuinis affectam muneribus induunt. In hoc autem munere præstando, sapientiæ splendor, maximè elucet, nam is, vt inquit Salomon, qui suscipit animas (hoc est, erudit) sapiens est. Etenim, si præclarum est, naturæ vim, & partes inter sese, dispari ratione coniunctas, inuestigare: & illorum conatum, qui ex hac naturæ cognitione, ad Dei contemplandam speciem, gradum faciunt; non mediocri laude dignum esse ducimus: quibus ille laudibus erit prædicandus, qui Deum, in re omnium grauissima, imitandum sibi proponit? Veram enim sapientiam, & virtutem in hominum animis informare, Dei munus est, & officium. Prudenter quidem Plato, virtutem in nobis, sorte diuina ingenerari, asserebat, quia nec eximium aliquod ingenij humani acumen, nec studium, illam vnquam potuit, proprijs viribus, in hominum animis generare: & multò luculentiùs Iob, vir diuinus, cùm de vera sapientia dissereret, eam Deo acceptam retulit, *Vnde*, inquit *sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ? abscondita est ab oculis omnium viuentium, Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius.* Nam, vt docet Paulus, cum illecebris corruptelæ, & carnis tyrannide oppressi, ad libertatem spiritus, quæ vera est sapientia, aspirare nequeamus, eam in nobis Deus inchoat, inchoatam perficit, & admirabili ratione tradit.

Prou. 16.

Prou. 2.

Veram sapientiam & virtutem in hominum animis informare, Dei munus est & officium.

Plat in Alc.

Iob. 26.

Ad Roman. 7.

Ad Phil. 2.

Non cuiuslibet igitur, sed summi est hominis munus hoc & officium, quod Salomon, hoc in libello, suis ciuibus præstitit: in quo dum suos ad officium, & ad veram sapientiam informat, Regem se egregiè præstat: est enim, vt ipse inquit, *diuinatio in labijs Regis.* hoc est, cùm Dei loco in alios imperij dignitatem sustineat, diuinæ sapientiæ ornamentis plenissimam, ad suos instituendos, orationem adhibebit, vt oracula effundere videatur.

Prou. 16.

*Vanitas*

*Vanitas Vanitatem, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanltus.*

Ea, quæ noſtri generis principem, de iis, quæ ſub ſenſus cadunt, opinio fefellit, adeo in hominum animis ſtabilis permanſit, vt etiam ſi ei, & poſteris illius perniciem attulerit, diuturnitate tamen temporis confirmata, vnà cum ſæculis, ætatibúſque hominum inueterauerit, & grauiores indies nobis calamitates inuexerit. Hanc malorum omnium radicem primùm ex hominum animis Salomon euellere inſtituit, vt illi quo dammodo molliti, & ſubacti ſparſum doctrinæ ſemen acciperent, & virtutem fructus vberrimos efferrent. Sic enim hoc in opere, ad omnium nos humanarũ rerum cõtemptionem, & deſpicientiam adducit, vt præcepta quoque viuendi tradat. Ea igitur, quæ homines, fallaciſſimo ſenſuum iudicio ducti, tam ardenter appetunt, inania, & pro nihilo ducenda eſſe prædicat, idque firmiſſimis rationibus probat.

Hæc autem oratio, & eiuſdẽ verbi repetitio, *Vanitas vanitatum*, ſummã, quæ in rebus noſtris ineſt, vanitatem ſignificat. Hoc ſibi Salomonem perſuaſiſſe, aliqui putant, quia regnum, quod à patre Dauide acceperat, breui pòſt illius filius Roboamus erat amiſſurus: decem enim tribus à reliquis duabus euulſæ, Regem ſibi erant aſcituræ Ieroboamum, neque vnquam poſtea ad pòſterorum ipſius imperium redituræ. Et ſi autem hanc decẽ tri- 3.Reg. c.12.
buum à Roboamo defectionem multo antè Salomon videns paterno animo potuiſſet impendentem filio calamitatem lugere, & humanæ naturæ 3.Reg.c.11.
conditionem luculentiùs explicare, vt ſe ipſum conſolaretur, & de temperantia, & animi conſtantia, in omni vita retinenda, cæteros admoneret: quid tamen viro ſapientiſſimo venit in mentem, omnia ſic vanitatis damnare, cùm Deus ea condiderit, condita ſingulari cura inſpexerit, & bona eſſe iudicauerit? Primum quidem, quia è nihilo condita, ad interitum propere- Gen. 1.
rent, & in eodem nunquam ſtatu permaneant: deinde quia homo ab initio rerum fuit in ſummo, à Deo, dignitatis gradu collocatus, vt rebus omnibus præeſſet, hoc autem imperium, dum viguit, nulla alia, præter eam, quam diximus, inerat in rebus vanitas: illæ enim ſponte hominis imperium ſubibant, & homo in terris principatum rerum omniũ tenebat, & ſe ipſum Deo ſubiiciebat, ad quem hic rerum omnium curſus, vnde initium ſumpſerat, ferebatur. Hunc rerum ſtatum iuſtitia ſtabiliebat, hominem enim Deo obedientem efficiebat, cæteris rebus, ad diuinæ mentis normam imperantem.

Cùm verò hanc præcipuam iuſtitiæ partem, quæ Deo, quod ſuum eſt, tribuit, homo neglexiſſet, obedientiamque abieciſſet, principatum rerum amiſit, & vitæ præſidium in iis rebus, quibus ipſe, dignitate, & præſtantia, ſuperior erat, collocauit. Illæ verò naturali vi, curſuque in interitum lapſę, hominem miſeriis & curis affectum, neceſſariò deferebant. Nam quemad- Gen. 3.
modum homo, non vt perpetuò tellurem coleret, à Deo fuerat, animo informatus; ſed vt agricultura, ſe obedientẽ Deo præberet, & in ſeipſum, & in cætera animantia, imperium, quod à Deo acceperat, tueretur, & imperij tandem optimè adminiſtrati, præmia conſequeretur: ſic etiam cæteræ res omnes, certo ſunt termino, & ordine definitæ, vt licèt breui interituræ, homini

ad id consequendum, quod ei propositum erat, non mediocriter prodessent. Quia igitur, earum cursum volumus inflectere ne ad occasum, & interitũ properent, vt stabiles sint, & firmæ vitęque diuturnitatẽ, bonis affluentem nobis conferant, propterea huiusce nos opinionis vanitas torquet, &
Sap. 1. inanes eas esse, experiendo comperimus. Hoc autem studio temeritatis plenissimo, quemadmodum, ipsi nobis mortem intulimus, qui vitam à Deo hausimus, sic & vanitati, ipsi cessimus. Simulachra quidem, vana, & inania quædam sunt numina, non quia aurum, & argentum, ex quibus conflantur, nullius sint pretij, & æstimationis, sed quia illis cultus diuinus adhibe-
Phil. 3. tur, quæ vt existant imbecilli hominis opes & auxilio indigent. Hi etiam quorum Deus venter est, & qui in diuitiis acquirendis, omne studium ponunt, quod est idolorum seruitus, vanos se esse ostendunt, imò & ipsam
Ephes. 5. esse vanitatem, eámque si in alteram libræ lancem imponas, & illos in alteram, illam vanitatis propendere. Dauid affirmat, quia iis rebus se turpiter
Psalm. 38. subiiciunt, quas vt imperio tenerent, nati sunt: & illæ inanes meritò putan-
Psalm. 61. tur, cùm ad seruitutem conditæ, traditi sibi imperij personam sustinere nõ possint. Quamobrem, *vanitas vanitatum, & omnia vanitas* dixit, Salomon, tum qùia in motu sint, & in conuersione pristini status: tum quia non pro cuiusque rei dignitate suum cuique tribuimus.

Hoc vt negandum non sit, quid de illis hominibus erit dicendum, qui nullam iustitiæ partem prætereundam sibi esse ducunt, & in officio seruando multam operam & studium collocant? Viri iusti & sancti, cùm genus humanum videant, admirandis à Deo naturæ operibus, quæ temporis diuturnitate vanescunt, de officio admoneri, & rerum naturam animaduertant certa lege deuinctam, ab ea, neque vnguem, vt aiunt, transuersam, tot sæculis discessisse, eorum, quæ ipsa gignit, & si caduca sint, & imbecilla, va-
Rom. 2. rietate, & mutua quadam successione, ad Dei cognitionem, & charitatem, quadam quasi ratione, & Dei monitis, ducuntur: quin etiam in eorum ad interitum lapsu, ad æternitatis studium exardescũt: vt iam illa nec vana, nec inania existant, quæ hominibus sempiterni numinis virtutem, hac sibi in-
Iob. 7. nata, instar vocis, varietate prædicant. Deinde eos spes minimè fallit, & si
Iob. 3. res terrenæ aliter cadant, quàm insitus in natura sensus appetit, in iis enim spem minimè collocarant, cùm vt peregrini, & aduenæ, illis vtantur, nec ad otium, & voluptatem, se natos esse existiment, & Christianæ militiæ, quæ iam ab initio nostri generis viget, sacramento obligati, aduersus carnis tyrannidem, & cæterarum rerum omniũ, quæ extra nos sunt, conatus, summi Imperatoris disciplinam, Adami supplicio sancitam, singulari studio colant: qua instructi, si res prosperè fluãt, breui pòst fert commutandas, cogitant, illarúmque lenociniis, se minimè dedunt: si verò illæ inuolucris abiectis aduersæ, & veluti infensæ, vndique eos oppugnent, ad id vitæ genus,
Iob. 7. se in lucem editos fuisse, memoria tenẽt, & in trepido, constantique animo illarũ impetum sustinent, quia sicut is, qui amissa libertate, in seruitutẽ venit, vt operã pręstet, quam Dominus ab eo exigit, nimios Solis tolerat ardores, neque tanti laboris alleuamentum, sibi aliud exoptat, quàm arboris alicuius vmbram, qua possit caloris molestia sedari: & quemadmodum mercenarius, vt mercedem, qua fuerat conductus accipiat, operi fastigium cupit imponere

ponere: ita viri ſancti & iuſti, exilij huius, & ſeruitutis, in qua ſunt, ſic conditione perferunt, vt opus virtutis, quod inchoarunt, efficere conentur, in quo Iſai. 25.
perficiendo, ſi nullus ſit eis reſpirandi locus, ſpiritus diuinus, eos afflatu ſuo permulcet, & veluti vmbraculum tegit, cuius inſtinctu vident huius vitæ acerbitates, & moleſtias, ſi ius ſeruandum ſit, nullius eſſe ponderis ad beatitudinem conſequendam: ideo nullas maximas eſſe putant, nullas perhorreſcunt, licèt timeant, & affligentur, nullæ quę inſperatæ, & repentinæ illis eueniunt. Rom. 8.

Quamobrem, neque ipſi ea ratione ſunt vanitati coniuncti, neque res ipſæ, cùm ad eos reſpectum habent, quos ſemper ad Dei cultum, ad modeſtiam, & ad magnitudinem animi, erudiunt, inanes vanæque habendæ ſunt: licèt ea ratione, quæ in curſu ſunt ad interitum, inanes ſint meritò æſtimandæ; eos etiam, quia opinio ſæpe, & homines fallunt, cogitationes excruciant, rerum exitus lamentabiles abijciunt, vanitas tangit. Cur præterea in eis vanitas non inſit, quò ad peccandum propenſiores, vt eſt noſtri generis conditio, in magno, & communi omnibus peccandi periculo ſint, cuius mirificè eos cogitatio torquet.

*Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole?*

Quia de rebus humanis ſic Salomon ſtatuit, vt in multorum poſſet reprehenſionem, & in eorum præcipuè, qui hæc infima ſuſpiciunt, offenſionem incurrere, ideo non obſcuris, ſed claris, & ante oculos poſitis rationibus pugnat, vt eos qui aliter ſentiunt, ſtultitiæ conuincat: ſic autem ſententiam ſuam confirmat:

Duo ſunt in homine maximè conſideranda: alterum eſt hoc, in quo verſamur, vitæ quoddam quaſi curriculum: alterum eſt illud poſt mortem vitæ ſpatium, nullis terminis definitum, quod non cælorum conuerſiones, ſed æternitas ipſa conficit. Hoc igitur hominis in res caducas, & fragiles, nimium ardens ſtudium, aut ei alicuius erit in vita emolumenti, aut poſt obitum proderit. At pecuniæ, voluptates, & honores, è vita nos diſcedentes, minimè comitantur, nemo enim, ſit ille diuitijs, & vo- Pſal. 48.
luptatibus affluens, & cæteris hominibus longè dignitate præſtans, ea, quæ habuit, dum viuebat, ſecum mortuus, in ſepulchrum inferet, quia hæc, vel inſipientium tantùm opinione, ſunt in pretio, vel quia ex fragilibus, craſſis, & abiectis ſunt corporibus concreta. Dum autem viuit, animorum varij conatus, curæ, ſolicitudines, ſpes, metus & labores innumeri ſuſcepti, nullam ei afferunt ſolidam, & expreſſam vel dignitatem, qua cæteris hominibus antecellat, vel voluptatem, qua affectus animi, & corporis omni dolore & ægritudine vacet: hi enim ipſi animi motus, ad eas, quæ humani generis conditionem conſequuntur, miſerias, plurimùm acerbitatis adiungunt. Accedit etiam, quòd illud, quidquid ſit, à mortali concretione minimè ſegregatum, & liberum, quod tam ardenter

ardenter appetit, postquam prioribus labiis gustarit, diffluit, & euanescit: si verò breui aliquo temporis spatio permanens, in eius sit potestate, quos parit dolores? quibus eum modis afflictat? quàm immani cruciatu torquet? est enim admiranda curarum, laborúmque series, qui è primo hasce res adipiscendi conatu nectuntur: spes omnia tentat, & quanuis periculis sint circunsepta, aggreditur: desperatio, & boni, quod ipse possidebat, interitus, bone Deus, quem illi sensum doloris affert? conseruandi verò studium & cura, in maximas eum solicitudines adducit, quæ dies noctésque eius animum exedunt, vt meritò Salomon quærat, quem fructum is è labore suo capiat? nullum profectò, nisi quòd fucata boni species, eum miseriis onustum deludat. Hanc Salomonis orationem Græci interpretes, prudenter quidem, & eleganter verterunt τίς περισσεία τῷ ἀνθρώπῳ, ἐν παντὶ μόχθῳ αὐτοῦ ᾧ μοχθεῖ ὑπὸ τὸν ἥλιον: id est, *quæ abūdantia homini in labore suo, quo laborat sub sole?* quasi dicant; laborat homo, vt famem expellat, vt sitim restinguat, vt cupiditatem expleat, sed quotidianus iste labor, solicitudines, & vigiliæ, rerum quas desiderat, copiam non suppeditant; in labore igitur viuit, & eadem rerum, ad quas anhelat, inopia conficitur. Nomen Hebræū יתרון quod noster Latinus interpretatus est, *Amplius*, à verbo יתר gignitur quod *relinqui* significat, vt sit horum verborū sensus: præter maximos labores, & animi contentiones, in quibus homo, vitæ suæ cursum conficit, nihil
Eccl. 2. ei reliqui est. Idem quoque verbum Hebræum, *excellere* significat, vt noster interpres, in hoc eodem libello aliquando explicat, vt velit Salomō, ex iis laboribus in quibus viuimus, nisi in illis excipiendis, in Deū intueamur, nihil inter cæteras animantes dignitatis, vel præstantiæ posse in nos deriuari.

Verùm si ita se res habet, cur Dauid, impiorum hominum felicitatem
Psalm. 72. describit, & admiratur? Ieremias quoque cum Deo quorsum vehemen-
Ierem. 12. tiùs expostulat, improbos & sceleratos, altissimas egisse radices, opibus augeri, quas liberis suis, cùm è vita exierint, relinquant? vt alios omittam, qui de re hac, ad Deū; querimoniam deferunt. Primò quidem nobis est Io-
Iob. 27. 18. bi sententia ante oculos ponenda, qui cùm nonnullos flagitiis coopertos, sciret hisce bonis cumulatos, ad senectutem peruenisse, & non paucos, qui virtutis studio flagrabant, in medio vitæ cursu, malis vexatos periisse, id totum ad infinitam Dei prouidentiam referebat. Deinde illud est memoria tenendum, hominibus, postquam fidem & fœdus cum Deo sancitum, fregerunt, eam conditionem mansisse, quæ, & si omnes exilio mulctati, in maximis sint laboribus, & molestiis, aliquos ferat, qui vulgi opinione, opibus & deliciis affluant, illisque ad voluntatem refluere videantur. Horum autem studium sæpenumerò improbum est, & à Deo alienum, de quibus Ieremias queritur, Dauid, & Iob præclara disserunt. Earum vitam, si momēto suo ponderemus, mala, quæ secum, ea, quæ bona appellantur, in eam inuehunt, multò quidem maiori ex parte, & grauiori propendebunt. quæ verò sint ea, iam breui perstrinximus. Luculenter autem Dauid hāc, quam
Psal. 89. diximus, sententiam protulit, cùm septuaginta annorum spatio, hominis vitam circunscripsit, & qui ad octuagesimum annum, eam perduxit, longissimè illum vixisse, existimauit: *Amplius* autem *eorum*, inquit, *labor & dolor.* Eorum enim plurimi non solùm in miseriis fuerunt conspti, sed quid quid ib illis pulchrum, & excellens esse videbatur, id totum

tum

tum miserum & ærumnosum extitit. Nomen enim Hebræum בהר quo Dauid vtitur, & pro quo Latinus reddidit, *amplius*, fortitudinem, & superbiam significat, vt sit etiam labor, & dolor ea ipsa dignitas, & amplitudo, quæ hominum animos effert, vt non ineptè Euripides, æquum fuisse dixerit hominẽ lacrymantem, & eiulãtem nasci, cuius nulla pars vitæ miseriis vacet.

De iis igitur, quæ quotidiano vsu loquendi, bona dicuntur, quibus improbi homines, sæpenumerò abundant, Ieremias, Dauid, & Iob, communi sensu hominum, & opinione, ea, quæ commemorauimus, vt tempus, & res ipsa postulabat, asseruerunt: neque à Salomone dissentiunt, qui rem non ad communem sensum, hoc in loco retulit, vt de ea, sententiam ferret: quemadmodum & illi, aliis in locis fecerunt, eandémque sententiã, oratione, vita, factis, & moribus comprobarunt.

*Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat.*

Si tamen hæc rerum terrenarum species, hominum animos ad se non solùm inuitat, sed blanditiis trahit, eorum quidem errorem, vitæ breuitas, ad interitum cursus, & iam à nostri generis initio, in demortuorum locum, aliorum successio, numquam intermissa, coarguit. Vox Hebræa דיר *peregrinationem* significat. Quia verò in tellure quasi hospites, & peregrini, versamur, nostræ quoque huiusce peregrinationis tempus, Hebræi eodem vocabulo nuncuparunt, quod Latini *ætatem* nominant. Est autem ætas centum annorum spatium, quo hominis vitam metiebantur, sic enim Tullius de Nestore inquit, *tertiam hominum ætatem viuebat* quia illum tercentos vixisse annos, poëtæ confingunt. Septuaginta & duo interpretes, pro voce Hebræa, τὴ γενεάν, reddiderunt quemadmodum & noster Latinus, *generationem*, ac si ætatem, vel sæculum dixissent, quod semper, eandem vocem explicando, faciunt. **Exod. 13. Deut. 32. Psal. 10.**

Si igitur terrenarum rerum potiundi libido, hominum animos exagitat, illud primum animaduertant, cùm in summa sint inopiã, eo quidem se studio, vt diximus, vehementius in dies afflictari: deinde ætatem ætati succedere, vt res nostræ in cursu sint quodammodo, & sensim labantur. In hoc autẽ cursu, cùm non possis vestigium figere, num requietem capies? num expressa aliqua & solida voluptate afflues? Hanc verò ætatem successionum, non casus, sed summi principis in suos prouidentia, efficit, qui tellurem solidam quidem, vt in eodem statu permanentem, condidit, tum vt genus nostrum imperij sibi commissi munere fungeretur, & post ictũ cum Deo fœdus violatum, sceleris suscepti pœnas lueret: tum etiam disceret, in tellure se peregrinari: vbi, vt fieri solet, nihil sibi peregrinanti, gratũ vt iucundum esse possit, & quidquid accidat, supplicij loco sustineat. Vox autem Hebræa עולם ita **Æterni vox vt possit accipi.** *æternum* significat non solum id, quod numquam interibit, sed quod longo tempore in eodem statu permanebit, & si tandem aliquando concidat, designet: quemadmodum auctor diuinus ea vtitur, cùm Annam simul cum **1. Reg. c. 1.** viro suo noluisse ad Heli sacerdotem venire commemorat nisi postquam Samuel ad eam ætatem peruenisset, in qua Deo, cui antea eũ vouerat, illum ita traderet vt numquam postea à rebus diuinis ministrãdis discederet: Idẽ quo- **Exod. 21.** que autor in libro Exodi, & Deuteronomij eadem voce, tempus illud, quod **Deut. 17.** vsque ad Iubilei annum interesset, indicauit, cùm de seruo ageret qui ii-

bertate donatus, potius duceret, apud dominum sibi charum in seruitute viuere, quàm ea libertate frui, in quam lex diuina, cum post sex annorum seruitutem vindicarat.

Cùm igitur terra, siue illa sit, vt aliqui putant, in nihilum redigenda, siue non, veluti theatrum quoddam, dum res humanæ erunt, in eodem statu permaneat, in qua vnusquisque nostrum ætatis suæ fabulam quasi quandam, quæ varios habeat, rerum, & euentorum ac consiliorum actus peragat: &
Psal. 89. hominis vita, vt Dauid testatur, adeo sit breuis, vt plurimis affecta miseriis in eo, instar halitus remaneat, qui à pulmonibus ductus intra os dissipatus, non apparet: quid poterit studiis nostris in vita perfici, quod solidi & expressi boni in se rationem contineat, nisi quod fracti laboribus, veluti histriones, à plebe, in actu aliquo probemur? hoc autem quàm sit inane explicari non potest: est enim leue & varium populi iudicium, & inconstans, & ipsa quidem inanitate leuiores ij habendi sunt, qui ex leuissimæ plebis errore pendent.

*Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens, gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans vniuersa: in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.*

Ea, quæ Deus è nihilo condidit, vt illis homines, partim alerentur, partim ad rerum altissimarum cognitionem ducerentur, cùm in motu sint posita, nostrarum rerum varietatem manifestè declarant: Sic enim ab initio rerum permanent, & vsque ad definitum tempus perseuerabunt, quo il-
ad Rom. 8. la Deus vinculis quasi quibusdam soluet, quibus ea primùm inter sese, alligatat, *Vanitati*, inquit Paulus, *creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe.* Vt nihil dum in tellure versamur, solidi, & expressi boni assequi possimus, sed hinc breui pòst abeundi spe ad meliora ducamur.

Hoc autem Salomon, vt nobis ante oculos proponat, Solis motus & conuersiones eleganter describit. Sol, inquit, ab Oriente in Occidentem cursum suum, viginti & quatuor horarum spatio conficit; cùm interim, ab Occidente in Orientem lentus progreditur: ad Meridiem certo anni tempore ingreditur, vt eam orbis terrarum partem, calore suo foueat, vt cœli sit salutaris quædam temperatio, & terrarum fœcunditas: hanc verò vim salutarem, vt reliquæ mundi parti impertiat, à Meridie regreditur, & iter facit ad Aquilonem, neque ad dexteram, neque ad sinistram, à via, quam ad Meridiem, & ad Aquilonem iniuit, vmquam decedit.

Non erit igitur mirandum, si homo imbecillus, & fragilis, quem vt Philosophi asserunt, Sol & homo generant, in rerum conuersione, & perturbatione versetur, & omnia, quæ telluris gremio continentur, intereant, cùm Sol ipse, omnium syderum princeps, quodammodo occumbat, neque semper terris colluceat, neque in aliquo vmquam loco persistat, sed certa, & æquabili semper conuersione torqueatur. Illud quidem non solùm fuisset omni admiratione dignum sed incredibile, Solem, qui vt rebus omnibus vim
Psal. 19. afferat vitalem, vt Gygas omnibus corporibus, quæ subter supérque sunt viribus

ribus præstans, ab extrema parte cæli egrediens, ad alteram vsque extremam admirabili ratione peruadit; nullo temporis momento, in eodem statu permanere: res autem imbecillas, quas ipse procrearit, in motu & conuersione non esse.

Vox Hebræa רוח *spiritum* significat, hoc est, ventum, & diuinæ mentis vim, qua hominum animos pulsat, & ipsum diuinum mentibus auram cæleste afflat, quæ tẽpestates sedat, tranquillitatem affert, & animos ad Dei similitudinem informat. Quare, cùm Salomon inquit, *pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur*, quia de spiritu diuino id affirmari non potest, aliqui existimant, venti ab eo fieri mentionem, qui sæpenumerò, ita ex aliquo loco effluit, vt paulo pòst, ab alio flare incipiat, in orbémque moueatur. Alij *spiritus* nomine, solem significari putant. Alij vero, cæli plagas, quas Sol peragrat, dum ad brumale signũ accedit, indéque paulatim recedẽs circumfertur.

Horum autem quodcumque hoc in loco, *spiritus*, significet, illud rerum terrenarum eam esse conditionem demonstrat, vt illæ, quarum desiderio homines flagrant, aut celeri cursu, eos præteruectæ, delusos, & tristitia affectos prætereant, aut ipsi, velint nolint, eas præteruolent.

*Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: Ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.*

Flumina in mare fluunt, hanc tantam aquarum copiam, sinu suo mare excipit, neque redundat vsquam, neque effunditur: non dissimili quoque ratione, tellus ipsa, cùm tot hominum morientium cadauera suo quasi quodam matris gremio excipiat, non augetur: *Infernus*, inquit, Salomon, hoc est, sepulchrum, *& perditio*, nempe mors, cadaueribus compleri nequeunt; è mari flumina per telluris viscera commeantia, ad superiorem telluris partem euadunt, per eámque diuersis in mare itineribus influunt, corpora etiã è tellure effecta in eandem postea conuertuntur. Prou. 27. & 30.

Quandiu igitur præpotens ille, rerum omnium opifex voluerit, vt mundus hic permaneat, flumina tellurem irrigabunt, eóque vnde primùm sunt orta, properabunt, vt intelligamus, res omnes in cursu esse, & eò, vnde motus principium sumpserunt, circumferri. Quamobrem terrenarum rerum studia hæc quibus homines operam nauant, plurimum illis laboris, parum autem, aut nihil vtilitatis afferunt, ipsi namque, & ea quæ tam vehementer appetunt, ad interitum venire properant, vt quodammodo sibi par pari referant vt si res illæ, quas assequi cupiunt, cursu, quo feruntur, eos præteruolent; eas ipsi quoque, cùm primùm illas fuerint consecuti, deserant.

Hoc in loco Salomon, suam de fluminum origine sententiam constituit, quam Plato in Phædone commemorat, & si multa ei commentitia, & falsa adiungat. Vir enim ille, totius Græciæ sapientissimus, vt iis, qui in vita moderanda, officiorum momenta, ad rectæ rationis normam perpendunt, præmia; illis verò, qui sceleribus se dedunt, supplicia extare post mortem persuaderet; multa eo in loco finxit, quibus non erit sanæ mentis fidem adhibere; sed decet, inquit ille, post mortem, vel ita, vel aliter sese rem habere, Meteor. l. 2. siquidem cum corpore simul animi non intereunt. Fabulam, hoc enim vocabulo eam ipse nuncupauit, Aristoteles reprehendit, ac si Plato omnia, quæ

in ea

in ea continentur, asseruisset. Sed Aristoteles flumina è montium visceribus oriri affirmat; in ea enim aquæ pluuiæ, ob terræ raritatem, humorem profundunt aërque inclusus, & vapores excitati, in eis colliguntur frigore, qui in aquam postea conuersi, in subiectam planiciem profluunt. Meteor. l. 1.

Verumtamen illud, in hac doctissimi hominis sententia, non mediocri est admiratione dignum, naturæ vi fieri posse, vt in Argyri montis cauernis, vnde, vt ille refert, Nilus oritur, tanta humoris, & aëris, copia existat, vt aquarum tam multarum perennitatem afferat: cùm non immeritò ipse, eorum reprehendat opinionem, qui aquas pluuias, in telluris cauernis, quasi in vase contineri asserebant, vnde flumina exteriùs manarent; tum quia exhausta aqua, non fluerent, tum quia si fontium, & fluuiorum perennitates consideres, tantam aquarum copiam, è montium cauernis fluere, quotidie comperies, vt vix ipsa tellus vniuersa, eam conclusam continere possit. Hæc eadem ei obiicimus; vapores enim, cùm ex humore excitentur, paruúsque humor, & aër sit in tellure infusus, fieri non poterit, vt tot sæcula, humor ille, & aër, quem necesse erat, paulatim extenuari, vnde tanta aquarum vis oritur, in Argyri montis visceribus maneat: hanc autem ob causam, ipse temporis longinquitate, fieri necessariò affirmat, vt integræ aliquando nationes intereant, consumpto enim humore, nunc hæc, nunc illa, terrarum pars, siccitate arescit.

Omitto quærere, quænamvis, aërem, qui in terræ visceribus, cùm multo sit, quàm aqua leuior, considerat, in aquam conuersum foras proiiciat. Mare Aristoteles, fluminum terminum, hoc est, locum, quem insita vi naturæ, aquæ omnes appetant, esse confirmat initium quoque horum, illud esse Salomon posuit. Rationes autem quibus Aristoteles, de Tartaro, & Periphlegethonte, Platonis fabulam oppugnat, Salomonis sententiam, minimè frangunt. Vir enim ille, ingenij acumine præstans, nesciebat, diuini numinis imperio, aquas hinc eò secessisse, & in vnum fuisse locum congregatas: & si debuisset illud ei maximum esse argumentum, mare per venas quasdam in tellurem diffundi, quia prope littus, vbi nullæ sunt montium cauernæ, non solùm effossa tellure, hauritur aqua, sed fontium, quos æstus maritimi operiunt, dulcissimi liquores emanant. Meteor. l. 2.

Ob telluris autem raritatem, per eas, quas diximus venas, mare diffusum, insita in natura vi, supra terram esse contendit, & Deo naturæ conditori, fidelem operam nauat, dum tellurem aquis non obruit, neque eam ita deserit, quin admirabili ratione, eam fontibus irriget, vberem reddat, & amœnitatem, atque salubritatem ei suppeditet.

Iob. 14. Hanc multis sæculis ante Salomonem doctissimorum hominum fuisse opinionem ex Iobe colligimus qui maris aquæ si fortè exhauriantur, fore affirmat, vt flumina minimè fluant. Illud autem *generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat:* Salomon hactenus similitudines adiungens confirmauit.

*Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone: non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.*

Quamuis in vita nihil aliud esset, ex quo ea misera efficeretur quā mētis huma-

humanæ imbecillitas: ea profectò esset, maximorum effectrix malorum, quæ humanum genus opprimunt: perniciosis namque opinionum erroribus, hominũ animos imbuit, quibus capti, studia futilitatis, summæque leuitatis plena, amplectũtur. Ætas ætati succedit, Sol syderum princeps, oritur & occidit, & perpetuis cursibus & concursionibus mouẽtur; flumina cursu suo, ad mare profluunt, vnde ducta supra tellurem exeunt: hisce, de rerum humanarum conditione admoneri se non animaduertunt, neque eorum causas & rationes percipiunt, & si ætatum successiones, solis, & fluminum cursus videant. Inest quidem in hominum animis sciendi cupiditas, quæ Dei sola cognitione possit, & aspectu satiari, vt hoc naturæ instinctu illum, in omni actione vitæ, doctorem, ac ducem sequantur; cujus præsidijs stabiliti, possent sciẽtia rerum maximarum excoli. Ipsi verò, cùm se Deo, erudiendos minimè tradant, & quidquid in vita, gerendum sit ad sensuum iudicium reuocent, angustis se terminis circunscipiunt, & corporis tenebras sibi ipsis offendũt, quibus oppressi, & si rerum naturas exquirant, earum tamen cognitionem, minimè consequuntur: multa oculis lustrant, multa auribus percipiunt, in eóque studio ætatem conterunt, nec in exhausta sciendi, in eis, cupiditas satiari potest.

Quare, *Non saturatur*, inquit, *oculus visu, nec auris auditu impletur:* nõ enim ea, quæ in cœlo fiunt, & in terræ visceribus, & in profundo maris, sunt abstrusa, nec ea, quæ omniũ oculis patẽt, aspectu auditúve intelligunt: quis enim vnquã formicæ corporis, viriúmq;, & apis artificij singularis, & aliarum, quæ ad vsum cultúmque nostri generis spectant, rationem exploratè cognouit? ea omitto, quæ eleganter Iob commemorat, ab intelligentia, Iob.28. sensúque hominum longissimè disiuncta. *Difficile æstimamus*, inquit Sapiens, *quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore, quæ autem in cælis sunt, quis inuestigabit?* Si igitur ea, quæ dignitate præcellunt, & quæ infimum tenent locum, intelligentia minimè comprehendimus, qui erunt in vita moderanda errores? quæ de rebus appetendis opiniones falsæ, & perniciosa maximorum in vita malorum origo, & principium? Sap.9.

In his ignorantiæ tenebris, mens humana, quocunque eam, sensus ducit, præceps cupiditate fertur: sensus autem, eam non nisi, ad caduca, inania, & quæ sunt laboris plena, deducit, quæ illius sitim & ardorem minimè restinguant: quamobrem, semper indiget, semper quærit, & inuestigat, nunquam, sibi sufficiens, in eodem loco resistit. Hoc est, *non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.*

*Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.*

**Quia eædem sunt eorum causæ, quæ præteritis sæculis erant, & quæ consequentibus temporibus vigebunt, eadem quoque erit animi humani indigentia, si se, à sensuum iudicio non se vocet: idem rerum cursus, obitus, & occasus. *Quid est, quod fuit? ipsum, quod futurum est.* Ab initio namque rerum, ad hodiernam vsque diem, cælorum ijdem motus, ac syderum cursus dispares, conseruantur, aẽr easdem frigorum & calorum facit varietates, tellus nũc frigore quodammodò contrahitur, nunc tepescit, nunc gre-**

mio susceptum semen fouet, nunc ex sese elicit, varijs florum coloribus distinctam viriditatem. His autem, quæ natura fiunt, omissis, si ad hominum mores, ac rerum publicarum conuersiones, ortus, & occasus, animum conuertas, *Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.* Eadem namque fuisse hominum studia, comperies, eosdem conatus, easdem inter sese contentiones, quæ illis acerbissimos animorum cruciatus, & ærumnas, & rebuspublicis perniciem intulerunt. Quemadmodum enim genus hominum à sui ipsius ortu, ad malum fuisse propensum, Moses diuino testimonio comprobat, quia ab Adamo, vsque ad terrarum eluuionem, sceleribus se dedisset: sic etiamsi à Noë, vsque ad Mosem, à Mose vsque ad Dauidem, à Dauide vsque ad Christum, & à Christo, ad nostram vsque ætatem, temporum memoriam replices, eadem studia, & mores, in singulis ætatibus inuenies, à stirpe generis nostri, ac seminis, nobis ingenerari.

Genes. 8.

Hoc autem de communi rerum statu, & conditione Salomon asserit: & si aliquid possit singulare ita fieri, vt nunquam postea fieri necesse sit, quemadmodum rerum omnium ortus, & initium, & terrarum eluuio, Christique in tellurem aduentus extitit, & illud denique iudicium erit, quando mortui, diuina virtute, à sepulchris suscitati, anteactæ vitæ, in eo rationem reddent. Quamobrem, meritò quidem Christi aduentum, obscurè satis multò antè prædicens, & iudicium illud extremum, ab eo fore constituendum, significans, *Veniet*, inquit, *tempus, quale non fuit, ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, vsque ad tempus illud.*

Daniel 12.

At si communem hominum vitam consideres, quemadmodum prisci homines, & illorum posteri, ijs se studijs tradiderunt, quæ nihil erant solidæ & expressæ voluptatis allatura, & eorum cogitationes erant inanes, & consilia, quæ in horas commutabantur, fini, quem sibi consequendum proposuerant, contraria omnino atque repugnantia: ita in ijs hominibus, qui post nos erunt, inanium rerum plurimum erit studij, & solicitudinis, & ijsdem curis, quibus illi erant distincti, implicabuntur, quia vt maiores nostri, sic & posteri, hæc quæ oculis cernimus, sensuum magis quàm præscripto, ac iuris diuini norma, iudicabunt.

Si hæc cum animis nostris attentiùs cogitaremus, nulla nos harum rerum, licèt pulchra, & eximia sensibus oblata, species commoueret: quemadmodum enim maiores nostros illa delusit, sic nos ab ea ludi, intelligeremus, illúdque Salomonis firmissimè teneremus. *Quid habet amplius homo, de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole?* id enim quod maiores nostri, eo sunt studio consecuti, solicitudines nempe, ærumnas, & acerbitates, ex eodem nos fonte hauriemus: quod memoria temporum, & cursus rerum, nos omnium docet.

*Nihil est sub sole nouum, nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est, iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.*

Ne quis generis nostri miserias, vt rem nouam, maiorum segnitiæ tribueret, sperans, si neruos intendat, effecturum se, vt non miseram sed felicem vitæ conditionem sustineat: ne quoque in rebus aduersis animum abijciat, aut eas, æquo animo minimè ferat, ac si solus malis ipse vexetur: sententiam

tentiam suam Salomon breui hac oratione concludit:qua illorum, qui nimis suis viribus confidebant,spem fallacem,& opinionem esse plenam temeritatis ostendit,& eorum animos erigit,qui sæpe malis succumbunt.

Si vera,inquit,sunt,quæ diximus,non quidem nouum, & admiratione dignum,erit existimandum,eadem nos via,qua maiores nostros,ad ægritudines animi,ad cruciatus acerbissimos, & casus sæpe grauissimos , peruenisse. Quid igitur nouum,quid recens dici poterit,quod si consequare, eo stabilitus,aliquid mali possis,de misera huius vitæ conditione deijcere? num corporis vires? at prisci illi homines viribus excellebant:num ingenij acumen? num ars & disciplina? minimè quidem:illi enim singulari,ac propè diuino ingenio,ea,quæ vitæ erant necessaria, inuenerunt , & ea posteris tradiderunt.

Sed multa,inquiunt,ijs,quæ à maioribus accepimus,industria, & ingenio singulari,addidimus.Hoc autem,ex ea,quæ ex alio in aliud est, vicissitudine,& mutatione nascitur:nam ea,quorum hi autores haberi volunt,à priscis illis hominibus,primò inuenta , & miris postea accessionibus amplificata,hominum interitu,& posteritatis obliuione,fuerunt penitus extincta:quemadmodum & ea,quæ nunc è tenebris, quasi in lucem euocata,vigent,iterũ vetustas obruet, & delebit obliuio,& sibi quisque eadem tribuet, quæ aliquando fuisse nesciunt. Idem si res antiquas memoria repetamus, in animi ægritudinibus,in rebus aduersis , & in misera hac in qua sumus vitæ conditione, maioribus nostris contigisse,& posteris euenturum esse cognoscemus.

*Non est priorum memoria , sed nec eorum quidem,quæ postea futura sunt , erit recordatio , apud eos qui futuri sunt in nouissimo.*

Id Salomon , quod paulo antè dicebamus affirmat, est enim hæc cum antecedenti oratio coniungenda. Communi autem , & non illo minuto genere dicendi Dialecticorum vtitur,ne in ea,quæ hactenus disseruit , illorum more inquiramus. Illud verò hoc in loco est valde considerandum , ad nostri generis ærumnas , cùm æternitatem vitæ,& nominis appetamus, sempiternam rerum nostrarum obliuionem additam fuisse : vt in sceleris suscepti vindictam,non solùm hominum corpora, sed ea etiam; quæ,memoriæ vita esse possent , mors disturbet , peruertat , & dissipet. Quemadmodũ enim ea,quæ ab initio rerum,vsque ad illarum,per eluuionem,interitum,& quæ postea,à diuersis gentibus,& nationibus, bello paceque,præclarè sunt gesta , circunfusa tenebris latent;sic etiã eos qui post nos erunt , obliuio capiet:res enim humanas , ea sensim conficit , quam tempus ex sese gignit,& ex aliarum rerum interitu seruat. Verùm si pauca quædam litteris commendata ad nostram vsque memoriam , peruenerunt, acceptũ id infinitæ Dei, in genus humanum benignitati referimus, vt ex iis,plurima disceremus,quæ in officio tuendo , singulari sunt studio, ante oculos habenda.

Si igitur,vt quæ dicta sunt,colligamus,ea est hominis conditio,vt simul Rom.15.

Psalm 9. cum eo, illius memoria insepulta iaceat, & viri illi, qui ante nos fuerunt summo ingenio præstantes, quíque longissimo vitæ spatio, in Sapientiæ studio proficere plurimùm potuerunt, nullum è terrenarum rerum studio, fructum perceperunt, qui ijs malis, quæ in vita sustinebant, mederetur, quis eorum leuitatem, qui harum rerum desiderio flagrant, non reprehendat?

Baruch. 3. Eo autem maiori sunt reprehensione digni, quia, si vellent, intueri possent eos, qui sub suo imperio gentes multas continent, & maximis opibus affluunt antequam id perficiant, quod animo moliebantur, ex humanæ naturæ finibus exterminari, & in sepulchrum, ex numero viuentium eiici. Quid illis superbia profuit? ac ob diuitiarum multitudinem, elata animorum iactatio contulit? omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius procurrens, & nauis, quæ cursum suum tenens, vestigium minimè relinquit, transierunt. Sap. 5.

*Ego Ecclesiastes fui Rex Israël in Hierusalem, & proposui in animo meo, quærere, & inuestigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub Sole.*

Plurimùm ad persuadendum valet dicentis authoritas.

Plurimùm ad persuadendum valet dicentis autoritas: ab ea enim sumitur locus, quem inter alios, primum rectores ponunt, vnde ad confirmandum id, quod probare nituntur, argumenta depromunt. Quamobrem Salomon, postquam terrenarum rerum varietatem, ijs quas vidimus rationibus ostendit, suam apud auditores, autoritatem, constituit, quæ tanta debuit, vt nemini vnquam maior fuerit tribuenda. Fui, inquit, Rex Israël. Regis nomen, & dignitas, vt Plato refert, tunc primùm extitit, cùm homines, qui antea, vt quique ab vno aliquo, initium duxerant, sanguinis coniunctione, & beneuolentia deuincti, illius qui inter eos longè esset ætate prouectus, veluti paterno imperio parebant, nulla postea sanguinis, & generis ratione ducti, se in cœtum vnum, plurimi coniunxerunt qui diuersis maiorum suorum consuetudinibus cùm essent imbuti, ad vnum iustissimum & sapientissimum, imperium detulerunt, qui Rempublicam, ex dissimilibus moribus temperant. Hunc autem Sapientiæ doctrina excultum esse oportebat, vt ipse beneficio diuino, quemadmodum idem Plato asserit, ad Dei similitudinem informatus, inchoatas in hominum animis, virtutum formas, inter sese deuinciret, & illæ, veræ virtutis decus, singulari quodam, & propè diuino inter se vinculo, astrictæ, tenerent.

Plat. de leg. 12.

Regis nomen & dignitas quomodo extare cœpit.

Prouerb. 16. Eam verò Salomon in Rege Sapientiam requirit, qua in moderanda republica, ita se gerat, vt non humano consilio leges ferre, sed oracula fundere videatur. Ezechiel autem Regis munus, & dignitatem, etsi breui quidem oratione, luculenter tamen explicuit, cùm Regem Tyri Cherubinum *extentum, & prosequentem*, appellauit, quemadmodum enim Cherubinus super arcam statutus, qua scriptum icti fœderis inter Deum, & Hebræos continebatur, alis eam operiebat & sedem constituebat, in qua diuinum numen insidebat: ita Regis munus & officium est, Deo in animo suo fixum & stabile domicilium præbere & religionem, eosque, in quos imperium

Ezech. 28.

perium

perium habet,studio & opera tueri.

Si igitur sapientiæ nomen, autoritatem constituit, si summa beneuolentia, summam quoque orationi fidem affert, & in Rege vtrunque esse debet, Salomonis erit orationi tanta fides adhibenda, vt etsi nihil aliud accedat,quod rem probabilem reddat, vanum quidem & inane,quia ipse dixit,illud erit studium habendum, quo res terrenas ad tranquillam beatámque vitam adipiscendam,comparamus.

Verùm quia & si debeat in Rege Sapientiæ splendor educere, fit sæpenumerò,vt Rex,cùm barbaris hominibus imperet,insipiens sit,& stultus, addidit Salomon, populo se Israëli moderari,qui eo ipso nomine *Israëlis*, Sapientiam præ se ferebat. Nam Iacob,quem gens illa,sui generis principem esse meritò gloriatur,diuinis viribus munitus,cum Angelo, qui Dei personam gerebat,congredi, minimè dubitauit, eúmque, vt ea ratione Deus futura illi mysteria explicaret,superauit, vnde præter antiquum *Iacobi* nomen à Deo tunc repudiatum,proprio vocabulo,eum *Israëlem* nuncupauit:eodem postea nomine,illius posteritas, vt tanti viri virtutem imitaretur,honoris gratia nominabatur: hanc gentem ab omnibus nationibus sibi Deus segregauit,Sacerdotio ornauit,& optimis legibus, ad omne sapientiæ,& virtutis decus informauit. Gen. 31. Ose. 12. Exod. 19.

Non solùm igitur Rex Salomon fuit,sed is,in cujus regno,Israël fuerit, gens diuinæ sapientiæ muneribus ornata: & in præclarissima vrbe Hierosolyma regnauit,quò omnes illæ nationes confluebant,quæ ad Orientem terras incolebant.Quid ergo illi ad sapientiæ laudem deerat?studium fortasse dicerent, quod in Regibus sæpenumerò desiderari solet. At tanto ille,vt hoc in loco affirmat, sapientiæ desiderio exarsit, vt non vnam vel alteram,earum quæ sunt in honore, disciplinarum, sed omnium sibi cognitionem adipiscendam proposuerit.

*Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea.*

Hæc verba Salomon,orationi suæ interposuit, vt sapientiæ studium à Deo fuisse in hominum animis insitum, ostenderet: ne quis eum reprehensione dignum esse iudicaret, quòd sapientiam consequi tantopere niteretur,cùm paulò ante asseruisset, homines vix posse ob ingenij tenuitatem,rei alicuius cognitionem, attingere. Hæc autem veri indagatio, ענין à Salomone dicitur,est enim occupatio quædam homine digna, & quædam quasi negociatio sapientiæ studium.Nam veri inuestigatio, paulatim nos à sensuum consuetudine abducit,& vberiores,quàm quælibet alia negociatio,fructus affert. Prou. 3.

Hac autem occupatione, hominum animos implicari, eorum naturæ valde conuenit; in eam enim vi quadam à Deo sibi ingenerata tendunt:nã genus humanum Deus ita è tellure condidit,vt in eo,sui ipsius similitudinem expresserit. Est autem ille natura sapiens,& totius sapientiæ fons,& origo,vnde illa in rerum omnium nationes,quas condidit,emanat:quemadmodum enim,omnia fabricatus est sapienter, ita eorum omnium effectricis sapientiæ,in illis splendor, ijs hominibuslucet, qui eam diligenter inquirunt.Quamobrem Paulus Græcos affirmat,non mediocri fuisse sce- Rom. 1.

lere astrictos, quia illis Deus per ea quæ condidit, sui ipsius vim & diuinitatem patefecerit, quam debito honore & pietate minimè coluerunt.

Similitudo igitur illa Dei, in hominum animis innata, & in crasso hoc corpore inclusa nos ad sapientiam excitat, à quo quidem conatu nos multis variisque rationibus, corpus tum prohibet, tum etiam in eo, vehementer adiuuat: nam si sensuum vim & corporis totius constitutionem consideres, illud ad Sapientiæ inquisitionem fuisse, admirabili ratione effictú, videbis: si verò illius fragilitatem, valetudinis imbecillitatem, sensuum iudicium fallax sæpenumerò, & nunquam nisi humile, & abiectum, animaduertas, aliquam te posse partē sapientiæ consequi desperabis. ideo Salomon *occupationem* eam *pessimam* vocauit, qua in sapientia inquirenda distinemur: non quia eam damnare, sed רע eam nuncupauit, quemadmodum Iacob, quærenti Pharaoni, qua esset ætate, respondit, *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parui, & mali*: non quia, anteacta Iacobi ætas, fuisset flagitiis inquinata; sed quia variis fuisset successibus agitata, & maiores sui, eam viribus valentes, ad multò plures annos produxissent. Eadem quoque voce Moses vtitur, cùm Iosephum in carcerem coniectum, à Pharaonis Eunuchis, quare maiorem, quàm antea tristitiam præ se ferrent, quæsiisse commemorat, *Cur*, inquit, רע *mala*: hoc est, vt noster Latinus perdoctè interpretatur, *tristior est hodie, solito,) facies vestra*?

Gen.47.

Genes.40.

Quia igitur sapientiæ adipiscendæ difficultas non mediocrem animis molestiam infert, *hanc occupationem* Salomon, *pessimam* appellauit. Illud præterea accedit, quòd sciendi cupiditas, nisi eam, ad rectè rationis normam moderere, huc & illuc excurret, & quemadmodum, nostri generis principem, in summam miseriam deiecit, tibi quoque perniciem afferet.

## *Vidi cuncta, quæ fiunt sub Sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.*

Ad Regis dignitatem Salomon, eximium sapientiæ decus adiunxit, vt in eo, nihil eorum, quæ ad fidem faciendam aliquid momenti afferrent, desiderari posset. Cùm igitur tantus vir, hæc omnia quæ apud homines sunt in pretio, incredibili studio comprehendisset, & vnum quodque eorum, iustis ponderibus examinasset, *Ecce*, inquit, *vniuersa vanitas, & afflictio spiritus*. Vana quidem sunt, quia nihil solidi, nihil expressi, aut eminentis habent, & tempus illis pascitur. Vox Hebræa רעוה *pastum* significat, quare posset hæc oratio sic Latinè transferri, *Ecce vniuersa vanitas, & pastus venti*: quemadmodum Aquila: & Theodotion νομὴν & Symmachus βόσκησιν ἀνέμου non ineptè verterunt. Hominem namque Dauid flosculo comparauit, quem ventus tenuissimo flatu delibat & carpit breuíque pòst, solis ardore concidit. Septuaginta & duo interpretes, optimam in explicando, philosophandi rationem sequuntur: *Ecce*, inquiunt, *omnia vanitas*, & προαίρεσις *spiritus*. Est autem προαίρεσις, propositum, voluntas & arbitrium, quo quis, rerum delectu adhibito, id quod sibi optimum videtur, eligit, & acri studio consequi nititur.

Ps.36.89.102.

Προαίρεσις quid sit.

Sunt autem hæc omnia vana, & inania, quia sensim labuntur, & occidunt, sed huic vanitati libertas arbitrij, si legibus non sit astricta, maximam

mam facit malorum accessionem. Arbitrij namque libertas, primùm à Deo fuit constituta, vt quemadmodum ipse, nulla vi, aut imperio alicuius coactus, omnia, qua supra subterque sunt, summa bonitate condidit: ita & nos, vt illius, quæ in mentis humanæ natura, similitudo extat, in operibus nostris appareat, & studiorum quodammodò similitudo, nos cum illo cõiungat, sponte & liberè, & præclara opera & optima efficeremus. At sensuũ illecebris corrupti, hac arbitrij libertate abutimur: ea enim, quæ vana esse experimur, vt firma, & stabilia, appetimus, & toto pectore connitendum esse iudicamus, vt ea assequamur. Parum autẽ aut nihil, eorũ vanitas, hominibus nocuisset, nisi hæc arbitrij, multis variisq; rationibus corrupta libertas accederet, & ab ea, totius boni & mali ratio pẽderet: quò fit, quẽadmodũ Dauid asserit, vt ipsa simus vanitate inaniores, quæ enim sunt inania sectamur, & ea rebus omnibus, quæ stabiles sunt & duraturæ præferimus.

Arbitrij libertas vt à Deo constituta.

Psalm 6.

Quanuis autem omnia, quæ sensu percipimus, vana sint & inania, ea tamen lege & ratione sunt condita, vt sui incõstantia, & vicissitudinibus, generi nostro, non mediocriter prosint: vt autẽ noceãt, arbitrij nostri libertas efficit. Sunt denique hæc talia, quales nos, illis spõte præbemus, vt meritò dici possit, illa quidem etsi caduca sint & fluxa, nihil aliud esse, quàm quod volũtatis humanæ libertas, illis præstiterit: nã si id, quod ratio postulat, de illis iudicium habeamus, in eorum vanitate, & inconstantia, admirabiles quasdam, summæ firmitatis, constantiæque rationes cognoscemus: si verò secus, quàm oportet, de illis iudicemus, nihil in illis, nisi vanitatem, quæ nos dies noctésque torqueat inesse sentiemus.

Interpres autem Latinus, vocẽ Hæbræam, quemadmodũ & Chaldæus ex verbo רוע quod *affligere* significat, interpretatur, terrenæ enim res omnes hominũ animos sollicitos reddunt & inopinatis sæpe casibus exulcerãt, vt meritò Hesiodus, tellurem, & mare esse malis refertum asseruerit.

Hesio. opera d.c.

*Peruersi difficilè corrigũtur, & stultorũ infinitus est numerus.*

Rationẽ Salomon reddit, quare cùm res ita sese habeat, homines tamẽ se præsertim autore non resipiscant. Quantas vires habeat inueterata peccandi consuetudo, & quàm latè in genus humanum dominetur, illud vnũ maximè declarat, quia cùm rerum terrenarum cupiditas, humano generi, innumera mala importet, pauci notari vix poterunt, qui eam coërceant, & rectæ rationis præscriptis astringãt, ne præcipitet: eorum autem numerus est propè infinitus, qui de rerum humanarum inconstantia, & si grauissimè conquerantur, nullis tamen malis edocti, se continent, quin eorum desiderio flagrent, & in maximas se ipsos miserias præcipites impellant. Hanc rerũ terrenarũ studio pertinaciã, apud Isaiam Deus Hebræis obijcit, *super quo*, inquit, *percutiam vos vltra addentes præuaricationes.* Eis, vt ad officium reuocarẽtur, plagas imponebat, quibus illi perculsi, meliores minimè fiebãt, & in praua viuẽdi ratione, sceleribus cumulũ addentes persistebant. Eodẽ ferè modo, vt genus humanum, officij sui munus exequi faciliùs, & tueri posset, diuino beneficio effectũ fuit, vt hæc infima, hominum cupiditatẽ nõ explerent, eósque, quo magis appeterentur, vehementiùs excruciarent.

Isaiæ 1.

Quamuis autem, vt Menander inquit, nulla sit domus, quæ malis vacet, quibusdam tamẽ hominibus, ipsa humanæ naturæ conditio, mutationibus subiecta

subiecta,est omnium malorũ effectrix;quos reprehendendos esse,minimè ducimus,quemadmodum,neque ei,qui cæcus est natus,cæcitatẽ esse vitio dãdam arbitramur: alijs autem,ea mala quibus vita nostra subiicitur, praui mores,& effrænatæ libidines,miris accessionibus augẽt. Hos etiam si mœstitiæ lacerent,mœrores conficiant,dolores grauissimi torqueant,mirũ est, quàm sit difficile, eos ad meliorem mentem cõuerti:quod in Hebræorum moribus perspicimus, *A sæculo*,inquit Ieremias,*confregisti iugum meũ,rupisti vincula mea*;Deinde,vt quàm vehementer his moribus,inueteratis consuetudine, eorum animi ad Dei vocem, obduruerint,vir diuinus ostenderet, *Dixerunt*,inquit,*non seruiemus*. Etenim peccãdi cõsuetudo,non solùm obedientiam abiicit,& monitorem aspernatur,sed vix,aut nunquam permittit, vt vitam pœnitendo corrigamus: quemadmodũ enim naturam exuere nequimus,ita vix fieri potest,vt à veteri consuetudine,quæ naturæ vim obtinet,nos ipsos abducamus: nam ea,quæ sunt consueta, iucunditatem habent:peccati verò contagio,tenebras offundit: vtrunque igitur ita nos irretitos tenet, vt nullis possimus humanis viribus à peccatorum laqueis in libertatem vindicari.

Ierem 22.

Peccandi cõsuetudo quãta damna pariat.

Hinc effectum est, vt *stultorum*, hoc est,eorum qui sensuum iudicio omnia metiuntur,*infinitus* sit *numerus*,est enim rarum,quidquid excellit: Summi autem hominis est, mentem à sensuum consuetudine seuocare. Nam præterquam quòd peccati labe aspersi concipimur,in lucem editi, ita nutrimur & ijs moribus instituimur, vt insita in natura libido, illa inquam animi impotentia, à temperantia, & moderatione dissidens, in animo Tyrannidem occupet,quam, vt Paulus affirmat,nemo nisi ipse rerum omnium princeps,poterit,in hominum animis delere.

Rom. 7.

*Locutus sum in corde meo dicens:Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Hierusalem, & mens mea contemplata est multa sapienter, & didici.*

Num aliquid etiam insit in studio sapientiæ,quod sit cum vanitate coniunctum, Salomon inquirit: vt nihil in homine sit eximium & præstans, quod eum abiectum,& humilem esse non ostendat, diuináque virtute sibi opus esse,vt ad pristinũ posit statum restitui. Ne autem de re grauissima ferre sententiam temere videretur,totius rei momenta perpendit. *Ecce* inquit,*magnus effectus sum*. Animi sui magnitudinem, magnarum & excelsarum rerũ agitatione,& administratione metitur,ne quis fortè existimaret, [illegible] quam ipse ferat sententiã,à pusillo animo proficisci: vox enim Hæbræa גדל gerere magnificè, significat, vt id,quod nôster Latinus dixit, *magnus effectus sum*,de illius magnificis,& amplissimis operibus interpretemur. *Et præcessi*,inquit,*omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Hierusalem*. Ad animi magnitudinem sapientia singularis accedebat,vt nullus in iudicando existeret. *Auxi*,inquit Hæbræus,*& addidi sapientiam,super omnem qui fuit ante facies meas in Hierusalem*. Ad sapientiam antiquorum magnam à se fuisse factam accessionem, & neminem eorum, qui Hierosolymæ,ante eum sapientiæ laude floruerunt,vnquam ea fuisse assecutum, quæ ipse inuestigauerit,& diuino munere planè cognouerit,affirmat.

Dedi

*Dedi cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque, & stultitiam: & agnoui, quod in his quoque esset labor, & afflictio spiritus, eo quòd in multa sapientia, multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem.*

Is, qui ad reipublicæ gubernaculum accedit, necesse est, vt prudentiam, ad sapientiæ decus adiungat: nam etiamsi altissimarum rerum sit cognitionem assecutus, nisi in rebus agendis prudentiam adhibeat, sibi subiectos moderari non poterit: est enim reipublicæ gubernatio, summi & infimi, salutaris quædam temperatio, æquitate compacta. Quamobrem etsi ad optimam rerum publicarum administrationem, plurimum sit in sapientia momenti, in iis tamen, quæ sunt agenda, & in bonorum malorumque delectu habendo, ingenij acumen, & vis quædam, quam prudentiam dicimus, elucet. Huic, lumen sui splendoris, sapientia præfert, nisi enim rerumpublicarum gubernatores ad Dei sapientiam, quæ in rerum omnium naturis mirabiliter elucens, ad se hominũ animos inuitat, in reipublicæ administratione, respiciant, multa sibi, & reipublicæ, decernerent: est enim quasi moderatrix cæterarum scientiarum sapientia, quæ si absit, illæ præcipitabunt, & perniciem iis, in quibus insunt, & reipublicæ inferent, vt Plato in Alcibiade eleganter ostendit, & multò quidem luculentiùs Salomon, cùm sapientiæ voces, quibus ipsa, ad se homines vocat, ad memoriam sempiternam monumentis tradidit. Ex sapientia, illud prudentiæ genus, quod in legibus sanciendis & in animis mouendis, maximè elucet, est ortum: *Per me*, inquit illa apud Salomonem, *reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Inde verò illa altera prudentiæ pars, vsu rerum tractandarum pullulat, quæ legibus, & maiorum moribus, quodam quasi septa velo, ea, quæ lex sancit, ratio postulat, & status reipublicæ efflagitat, strenuè, & astutè agit.

Cæterarum scientiarum quasi moderatrix sapiẽtia.

Prou. 1. & 8.

Prou. 8.

Salomon igitur, sapientiam, & prudentiam, vt regem decebat, sibi cõparauit, vox enim Hebræa חכמה *sapientiam* significat, quemadmodum noster Latinus paulò antè est interpretatus, licèt hoc in loco, prudentiam potiùs ea significari existimauerit. *Verùm prudentia* nomen cùm latè pateat, ipsa quoque, quia plurimùm ad reipublicæ administrationem valet, *sapientia* nuncupatur, quemadmodum Moses, eos, quos è populo tribunos, centuriones, & decuriones elegit, vt eidem populo, ad ius dicendum, præstò essent, *sapientes* appellauit: & Salomon ipsam sapientiam, vt noster Latinus interpretatur, *prudentiam* vocat, cùm sapientem virum appellat prudentem, & in prudentis animo sapientiam affirmat insidere. Quare noster Latinus in hoc loco, cùm inquit, *Dedi cor meum, vt scirem prudentiam*, sapiẽtiam prudentiæ nomine nuncupauit, & ab ea, quæ in eadẽ oratione sequuntur, vt diuersa distinxit, nẽpe rerum honestarum doctrinam: errorũ, quibus homines implicantur, cognitionem: & stultitiæ exordium, & progressus perceptos cognitósque habere: quæ ad prudentiam pertinent: vnde eleganter Tullius, Platonem secutus, asseruit, *Prudentiam esse rerum bonarum, & malarum, & vtrarúmque scientiam*, quã ne cui detrimentum inferat, vel sapiẽtia si adsit, vel insita quædam in natura lex, & honesti appetitus, temperat.

Exod. 16.
Deut. 1.

Prou. 14. & 15.

De inuent.

hac regia,& præclarissima omnium scientiarũ,disciplina,rerum quoque humanarum conditio, & natura dominatur, *Agnooui*,inquit Salomon, *quòd in his quoque esset labor,& afflictio spiritus.* Ita Salomon de sapientiæ, & prudentiæ studio, sentiendum esse prædicat,postquam se,non de re ignota sibi, iudicium suum interponere demonstrauit.

Verùm quid est in causa, vt res amplissima, & honestissima non solùm laborem,sed acerbissimam molestiam afferat?& quod magis mirãdum est, sit cum vanitate coniuncta? Verba enim illa, *Afflictio spiritus*: quemadmodum iam explicuimus, Hebræi, de *venti pastu* interpretantur, ac si vellet Salomon, sapientiæ studium esse quoque vanum, & inane illis verbis significare: eodem enim orationis genere,Ieremias, eorum, qui reipu-
Ierem.22. blicæ Iudæorum clauum tenebant, studium fuisse inane significat.

Primum ad sapientiæ amplitudinem,& immensitatem, id totum referimus, quo enim maiores in illius studio progressus feceris, eò facilius intuebere, sapientiam fuisse à te tantũ mododelibatam, & hoc esse studium,nõ solùm laboris, sed etiam doloris plenissimum. Deinde, si ad ingenij nostri tenuitatem, & ad hominum voluntates, quas lenis cuiusuis auræ flatus cõmutat, & ad varios humanæ vitæ casus respicias, id minimè admirabere.

Ad vnam tamen Salomon, vel alteram causam, id totum reuocat: Eo quòd inquit, *in multa sapientia, multa* sit *indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem.* Etenim sapientia, cùm sit erga genus hominum, suauis & benigna, & qui semel eam gustauit,eius desiderio flagrat: dum is, eam videt, à cæteris hominibus despici, grauissimo doloris sensu afficitur: & quò magis in ea progreditur, tantò clariùs errores, qui in vita sunt,percipit,eósque ex hominum animis euellere concupiscit, quos cùm non possit propriis viribus exstirpare,sapienter hominibus, de pertinacia in scelere irascitur:& dum reipublicæ vulneribus mederi, & eam labentem fulcire nititur,
Gen.6. laborem labore,vel,vt inquit Hebræus, dolorem dolore cumulat. Nam si hominum vita, erroribus imbuta,Deo,si fas est ita loqui, dolorem infert,& eum inuitat,vt illos,qui læserunt, puniat,quid de homine sapiente erit exi-
Isai.26. stimandum,qui in corpore inclusus, Deum imitatur? Eleganter equidem Isaias,eorum, qui à Deo sapientiam hauserunt,& diuino quasi semine,eam animo conceperunt, tristitiam, doloremque, quo ob eam,quam diximus causam,discruciantur,exprimit:nam hi post animo conceptam sapientiam, acerbissimis,vt mulier,quæ parturit,doloribus excruciantur, & eò vehemẽtiùs afflictantur, quia cùm salutem reipublicæ parere potuissent,nihil penitus eo in studio hominibus proficiunt:grauissimas quoque hac de re,ad Deũ
Ierem. 18. & 20. querimonias Ieremias defert.

Sapientia deniq; animi libertatẽ constituit,quã erroribus imbuta opinio acriter oppugnat: illa firmissimum habet,in Dei benignitate præsidiũ collocatum:hæc sibi vires ad nocendum ex immani carnis Tyrannide quærit: vnde acerbissimæ inter eas,contentiones oriuntur, quæ variis modis & rationibus animos sapientium mouent: Si verò sapientem,praua opinio, & insita in corpore libido,de cultu suo non deiiciant,grauissimæ tamen ruinæ periculum minitantur,& turbas excitant: at ille vt hanc intra seipsum, seditionẽ cõmotã sedare possit,nullũ laborẽ nõ suscipit:quò.n.vberiores ex sapiẽtiæ studio,fructus percepit,eò magis se insipiẽtiæ labe aspergi reformidat,&
bello

bello hoc intestino,& plusquã domestico,flagrãte,singulari cũ animi molestia,& cruciatu,insitæ in nobis libidinis, quã Paulus,*legẽ mẽbrorũ* appellat, irascitur.Acerbiori quoque eum sensu doloris affici, Gregorius Nazianzenus affirmat,quia nõ tantùm sibi,id quod eo studio sit assecutus,voluptatis affert,quantum,ex eo doloris percipit,quod suis viribus, cõsequi nequit. m.7.3.Ro

Chaldæus,sapientiam simul & indignationem, scientiam quoque & dolorem augeri affirmat, quia sapiens si peccet, Deũ grauiùs offendit, & qui scientiarũ disciplina est eruditus, si extremam diem, in matura morte confecerit, propinquis & affinibus suis dolorem multis accessionibus auget.



# CAPVT II.

*Dixi ego in corde meo vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas: risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis?*

STudium illud, quod homines in iis rebus ponunt, quæ sensu percipiuntur, inane esse, vt Salomon illis persuaderet, primùm eorũ animos ad vitæ humanæ breuitatis, totius naturæ motus, & rerum vicissitudinum, memoriam, reuocauit. Deinde, ne quis putaret, aliquid in tellure, aut in totius gentis humanæ complexu, inueniri posse, quod vanitatis suspicione omnino vacaret, sapientiæ studium, ea minimè carere, breui quidem oratione, quam explicuimus, ostendit. Reliquum erat, vt de voluptate, iudicium suum adhiberet.

Quia verò difficile est, quid in quaque re sit, iudicare, quamuis ea, quæ rebus omnibus sunt communia, teneamus, nisi etiam vnius cuiusque vim virtutémque experiamur, Salomon sese voluptatibus tradidisse refert, vt sacer etiam historicus profert, & postquam eas summo fuerat studio amplexus, earúmque singulas diligenter pertractauit, quid de illis senserit commemorat. Voluptatem igitur rem vanam & futilem esse prædicat. 3.Reg.4.

Ne autem de ea voluptate loqui tantúmmodo videretur, quæ sensum mouet, *Risum*, inquit, *reputaui errorem, & gaudio dixi quid frustra deciperis?* Hæc enim, nempe risus, & gaudium, ei solùm quod sit animal compos rationis, conueniunt. Non eos Salomon, qui spiritu Christi viuũt, perstringit, hos enim Spiritus sanctus lætitia perfundit, nam, vt Paulus inquit *fructus spiritus est gaudium.* Neque illud erat Salomonis, in dicendo, prudẽtiæ consentaneũ cùm de rerum terrenarum studio orationẽ haberet, & ab eo hominum animos seuocaret, eorum quandiu quod à spiritu diuino hauriunt, leuitatis damnare: nec quidem rectę rationi conuenit lętitiam, quam Paulus, in Dei beneficiis numerat, in iudicium vocari cùm Paulus, eos qui Lystris, & Barnabæ volebant cultum diuinum adhibere à tanti flagitii scelere cohibere, in ea, quam ad eos habuit orationem, inquit, *Deus quidem non sine testimonio, semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorũ.* Quamobrẽ Greg. Neocęsariẽsis eos existimat, à Salomone reprehendi qui cachinnos tollunt, & lætitia gestiunt; hæc enim ex intemperantia gignũtur. Cũ verò animus mouetur placidè, atq; constãter rationi Salà. 5. Act.24. Greg. in metaphr.

obtemperat,& officium minimè deserit fatuus, inquit Ecclesiasticus, *in risu* Eccle. 21. *exaltat vocem suam, vir autem sapiens, vix tacitè ridebit.*

Quemadmodum verò Salomon omnem à sapientia, vanitatem non exclusit, & si ea rebus omnibus terrenis excellat, & Dei munere sit hominibus tradita ita, in risu & gaudio, licèt moderatum sit, & temperatum, vanitatem Aristot.3. de par.anim.c. 10. inesse censet. Risus è caloris motu in nobis oritur, qui sæpe ita existit, & erumpit, vt eum tenere nequeamus: ridentur autem illa, quæ turpitudinem notant & designant non turpiter, quare is comes dicitur esse leuitatis. Quis Risus leuitatis comes dicitur. igitur risum non existimet errorem, si ea, quibus ille mouetur, consideret? Gaudium verò, tot est miseriis mistum, vt quisque meritò, cùm primùm eo animus moueri incipiat, illud ei, quod Salomon, obiiciat: quid moliris? quid hac fucata specie, conaris adipisci? multùm spes tua te fallit, me enim, cùm sæpe, quæ animum quid boni afferas, didicerim, tuis decipi lenociniis non patiar. Ea autem variè tangunt, eum acerbè torquent, vt non immeritò, qui vel risum edit, vel gaudio afficitur, eum iudices errore commoueri.

Hunc locum Septuaginta & duo interpretes, ita Græcè explicarunt. *Dixi ego in corde meo, veni nunc, tentabo in lætitia: & vide in bono, & ecce etiam hoc vanitas: risui dixi περιφορὰν & iucunditati, quid hoc facis.* Hebræus ab hac explicandi ratione, & sententia, discedit: proprio enim loquendi more, personam commutat, & aliam, vt rem luculentiùs explicet adiungit: nam, ac si duas Salomon personas sustineret, vt studij sui magnitudinem ostendat, seipsum vt rem totam diligentiùs intueatur, excitat: vel si fortè aliquis, pluris faciendam esse voluptatem existimet & in iis rebus, quæ breui sunt perituræ, collocatum studium, non futile, & inane esse arbitretur, eum his verbis appellat, vt postquam ipse lætitia fuerit affectus, & terrenis bonis affluens quid de studio sentiat, interrogatus explicet: is enim cùm in eo studio, maximis curis sese implicatum videat, & iis, quæ lætitiam præ se ferebant, sibi molestiam, cumulari, quid aliud assereret, & prædicaret, nisi voluptatis lenociniis, & cæterarum rerum blanditiis deceptum se inania, fuisse sectatum Prou.15. instar illius qui aues per aëra volitantes sequitur? Quamobrem meritò quidem inquit Hebræus, *Risui dixi, insani*, Etenim si is, qui in aliquo magno malo rideat, insanus iure optimo est habendus, quia vitæ suæ conditionem mẽtis cæcitate non videt; quid erit de vno quoque nostrum iudicandum, cùm Iob.14. malis vndique sit circumseptus, & multis, vt inquit Iob, miseriis repletus, si in ipsis exultet? Nisi fortè illa, quæ hominibus sunt communia mala non esse ducenda putet, ac si aliorum ærumnæ, suam subleuent, quod non mediocris miseriæ genus esset, ex improbitate proficiscens.

Risum Septuaginta & duo interpretes, vt diximus, non insanum, vt Hebræus, neque *Errorem*, vt Latinus, appellarunt, sed περιφοράν: est autem περιφέρω idem quod *circumfero.* Quare Sanctus Hieronymus, dum vocem Græcam hoc in loco explicaret, *Risui*, inquit, *dixi circulationem.* Sub hoc Olym. in Ezech. autem nominis hanc putauit Olimpiodorus sententiam latere, *Abi & à me discede:* Illius verò qui eodem in loco vehementiùs circumfertur, oculi hallucinantur, & mens quodammodo studet: hoc autem iis accidit qui tantis huius vitæ malis exagitati, rident; incredibilis enim stupor, eorum animi sensus opprimit, vt in quibus sint mala non videant: cùm semen illud sit in nobis inclusum, ex quo mala omnia gignuntur quæ mentis imperium & statum

bis, oppugnant, animum quæ exedunt: quod Iacobus vir diuinus, his verbum eleganter explicuit, *Vnde bella, & lites in vobis, nonne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris.* Iacob 4.

Etsi igitur, nihil aliud mali, in hanc mortalem vitam incurreret, ei lacrymas meritò deberemus, nec risui, & gaudio, in ea vllus locus esset, si non diuersarum appetitionum vi, mens nostra circunferretur, eóque motu hallucinaretur, & idem nobis, quod ijs, qui incipiunt furere, contingeret; sæpe enim hi, aliquid dicunt, quod non sit, id videri sibi, in quo maximè gloriantur, postea verò, dum ab ægritudine relaxantur, quàm fuerit illud leue, & inanre sentiunt.

*Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad Sapientiam, deuitarémque stultitiam, donec viderem, quod esset vtile filijs hominum; quo facto opus est sub sole, numero dierum vitæ suæ.*

Duo voluptatum genera Plato enumerat, quarum eas, quæ à dolore, & animi deformitate procul absunt, puras appellat: quæ verò cum dolore, aut vitio sunt coniunctæ, impuras. Hæ autem corporis sensibus, multò quàm illæ vehementiùs percipiuntur: tum quid insita in nobis cupiditas, vt sitim restinguat, & vt dolori, qui ex animi egestate oritur, vnde voluptates istæ proficiscuntur, & cum ipsa sensium progrediuntur, medicinam adhibeat, ardentes faces, corpori animóque admouet: tum etiam quia intemperantia, in qua est animus, eum incitat, & illius statum conturbat. Quamobrem à maximarum rerum contemplatione mentem auertunt, & ita eam sensibus deuinciunt, vt nihil nisi, quod sensum delectet, perscrutetur. Plato in Phile. Voluptatũ duo genera.

Hi igitur qui sapientiæ studio flagrant, in eo maximè pugnant, vt omnia quæ ad voluptates eas pertinent, à se longè repellant: quantum enim quisque, se à sensuum consuetudine seuocauerit, tantum in sapientiæ studio progreditur: prudenter namque vetus illa Academia, dum sumus in corpore inclusi, nos versari in tenebris asserebat, quas non nisi mortis commentatione, depellendas esse Plato affirmabat: is autem *mortem commentari*, à Platone dicitur, qui tanta imperij seueritate sensus omnes in officio continet, vt dum viuit illis compressis, & illisis quodammodo emori videatur. Vt deniquo sapientiæ muneribus affluamus: à nobis esse mortem carni inferendam, Paulus noster præcipit, & , quod Plato obscurè, *mortis commentationem* appellauit, ille ad veram sapientiam gentes instituens, *carnis interitum* nuncupauit, & opera carnis, quæ, & qualia essent hominibus commemorauit, & explicuit, cum quibus ipsam simul cruci affigendam esse docuit. Dum à corpore animum secernimus, quodammodo morimur, & animum ad se ipsum aduocamus, vt totum se sapientiæ tradat, Hanc philosophandi viam, & rationem sequutum se fuisse Salomon affirmat. Plat. in Phæd. Mortem commentari quid sit. Rom. 6. Gal. 5.

Vinum generi humano, vt tristitiã, eo gustato, ex animo expelleret, & lætaretur, autor ipse naturæ tribuit: vnde effectum fuit, vt *vini* nomine, voluptas significaretur, ea præcipuè, in cuius cupiditates sumus intemperantes, quemadmodum sapiens, cùm eorum mores describit, qui animum, cum corpore, in nihilum esse redigendum asserebant, & Isaias, cùm eos, qui Hierosolymam, minimè fore excindendum Iudæis pollicebantur, accusat, volupta- Psal. 103. Vini nomine voluptas significata. Eccles. 30. Sap 2. Isai 56.

Prou. 3. Carnem à vino abstrahere quid sit.

tes, quibus se illi totos tradebāt, *vinum* nūcuparunt: eadem quoque loquendi ratione, idem Salomon, vinum prohibet eis, qui reipublicæ tenent gubernacula, adhiberi. Carnem igitur à vino abstrahere, idem est hoc in loco, quod voluptates aspernari, eásque fugere.

Hoc autem Salomon postquam voluptates fuerat expertus, eásque inanes esse senserat, fecisse se testatur, vt quod esset in vita optimum, inuestigaret. Chaldæus verò, & Hebræi à Salomone putant hoc in loco, eandem, in qua erat sequendi voluptates, sententiam, commemorari, vt oratio, eò, vnde parumper discesserat, reuertatur. Nam etiamsi, vt voluptates omnes assumeret, decreuisse se paulo antè asseruerit, eásque inanes & futiles esse iudicauerit, ex eodem tamen nunc exorditur principio, vt id, quod paucis verbis tetigerat, luculentiùs explicet. Sic igitur Salomonis orationem referunt. Inuestigaui in corde meo, ad trahendum in vinum, carnem meam, & cor meum ducens in sapiētia & ad apprehendendū in stultitia, donec viderem, vbi hoc bonum filiorum Adam, quod faciunt sub cælis, numero dierum vitæ eorum.

Vt autem cupiditatem omittam, qua Salomon in voluptatem ferebatur: non temere, sed consideratè egisse se affirmat, cùm statuit, vt voluptatem corporis sequeretur: ideo enim, inuestigaui, inquit, in corde meo, ad trahendum in vinum carnem meam, vel, vt Hieronymus refert, consideraui in corde meo, vt traherem in vino carnem meam. Causam, quare iam intemperanter, huiuscemodi voluptates sumpserit, ostendit, vt iustæ causæ nomine, facti turpitudinem vitaret: cor meum inquit, ducens in sapientia: quia nēpe eo studio, se aliquem sapientiæ gradum, assequuturum sperabat. At quæ tanta sapientiæ documenta, in voluptate, insunt? vel quem ad sapientiam aditū, voluptas ostendit? Nimirum inquit ad apprehendendum in stultitia, donec viderem, vbi hoc bonum filiorum Adam. Hoc vnum ad sapientiam comparandam, adiumentum, præcepta affert, voluptas, vt experiare, in quàm futili re, & inani, stulti, & miseri homines felicitatem ponant. Nam ad apprehendendum in stultitia, hoc est, stultorum iuuenum mores imitatus, & omnia quæ illi maximè sibi optant, consequutus quidquid homines bonum esse ducunt, experiundo cognoui, quamobrem ea omnia, inania & contemnenda esse comperi.

Duo igitur Salomon in hoc voluptatis studio, sibi proposuit, primùm vt inuestigaret, quid boni voluptas corporis habeat: deinde, si eam futilem, & inanem esse reperisset, sensuum iudicium aspernaretur. In quo vir sapiens, etsi fuerit turpiter lapsus, quia sibi nimiùm tribuerit, id tamen est consequutus, vt suo malo disceret, corporis voluptatem, esse pro nihilo habendam.

*Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos & pomaria, & conseui ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscernas aquarum, vt irrigarem syluam lignorum viridantium.*

Rem antea inauditam, nempe voluptatem esse cum vanitate coniunctam, & ideo pro nihilo esse ducendam, asseruerat: hoc vt hominibus persuadeat,

ſuadeat, accuratè commemorat ea, quæ ad voluptatem deſiderari poterant, & ſibi abundè ſuppetebant: nequis eum ideo in ea fuiſſe opinione arbitraretur, quia illis rebus, quæ voluptatem maximè generant, eguiſſet.

*Poſſedi ſeruos & ancillas, multámque familiam habui, armenta quoque, & magnos ouium greges, vltra omnes, qui fuerunt ante me in Ieruſalem.*

Ædium magnificentia, & loci amœnitas, ad delectationem vocant, & ſunt quaſi ſedes & fundamentum capiendæ voluptatis: verùm ſi in domo ſit ſolitudo, & nullæ ſint opes nec profectò domus ampla nec amænisſimi horti delectant. Quamobrem Salomon ad ædium magnificentiam, famulorum multitudinem, & opes adiecit. Eo autem in loco, in quo Latinus interpres habet, *multámque familiam habui*, apud Hæbræum legimus, *& filiꝗs domus fuerunt mihi.* his autem verbis Septuaginta & duo interpretes, vernas ſignificari putauerunt: Chaldæus verò, famulos quidem, ſed eos, qui res domeſticas ad victum potúmque pertinentes, diſpenſabant.

*Coaceruaui mihi argentum, & aurum, & ſubſtantias regum, & prouinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices & delicias filiorum hominum, ſcyphos, & vrceolos, in miniſteria ad vina fundenda.*

Ouium armentorúmque greges, priſci homines, opes eſſe maximas, arbitrabantur, eorum verò, qui illis ſucceſſerunt cupiditas iis, quæ tellus, ad omnium ſalutem vitámque profert, reſtingui non potuit. Quamobrem aurum argentúmque è terræ viſceribus eruit, quo vehementiùs, recenti quaſi incendio flagrauit; ſi ouium armentorúmque greges, quos Salomon habuit, animaduertas, eum omnium, qui vnquam fuerunt Hieroſolymæ regum, opulentisſimum fuiſſe comperies. Si argenti, aurique copiam conſideres, mirum eſt, quantis opibus abundauerit, nam præter Palæſtinæ vectigalia, quæ maximi erant momenti, ob plurimas merces, quæ ex toto Oriente in eam exportabantur, & præterea, quæ, Arabiæ Dynaſtes, tributa pendebant, aliunde ſingulis annis, ei ſexcenta & ſexaginta auri talenta afferebantur. Cùm igitur opes eſſent maximæ, nullis ſumptibus parcebat, vt cantus ſuauitate animũ oblectaret, & menſæ conquiſitisſimis epulis extructæ, guſtatum ſingulari dulcedine commouerent.

3. Reg. 4 5.

3 Reg. 10.

2. Paral. 5.

Hoc in loco, vbi noſter interpres, *cantores*, & *cantatrices*, dixit inſtrumenta quædam muſica, ad quæ homines in templo, & fœminæ Dei laudes canebant, Chaldæus ſignificari putat: & quia cantus ille, hominum animos, non mediocri voluptate perfundebat, & Deum genti ſuæ conciliabat, *delicias hominum*, dici à Salomone exiſtimat, fuit hoc quidem præclarum, & omni laude celebrandum erga diuini numinis cultum Salomonis ſtudium. Verùm poſtquam ea, quæ ad Dei cultum pertinebant, ſingulari cura perfecerat, viros & mulieres, quæ peritè vocem modulabantur, ad ſe vndique aſciuit, vt ad citharam, & lyram, in conuiuiis canerent.

Noſter

Esther deinde Latinus interpres, vasa ad vinum, è maioribus vasis hauriendum, & in minora infundendum, ex argento affabre facta, commemorat, quæ hominem, delicias vocat. Chaldæus, non vasa sed aquas calidas, & tepefactas; in hortum, siue alium in locum deductas refert, quæ singulari cum artificio, è fistulis exilirent. Septuaginta & duo interpretes illis verbis putant eorum fieri mentionem quibus in conuiuio, vinum cura erat, illud quæ conuiuiis adhibebant: hoc autem officij munere, vt nulla possit ampliùs ad delicias accessio fieri mulieres fungebantur. Nam illa Hebræa nomina, quibus Salomon vtitur, in diuersas possunt sententias accipi, vt non solùm id, quod noster Latinus, Chaldæus, & Septuaginta & duo interpretes, perdoctè quidem asseruerunt, sed si ad hanc, vel illam originem, ea reuoces, pro *scyphi*, & *vrceolis*, *captiuam* etiam, & *captiuas* enuntient: quemadmodum etiam Salomon, vt hoc in loco ipse testatur, plurimos sibi vndique famulos parauit, sic enim, ne quidquam ad delicias deesset, fœminas ob pulchritudinis splendorem, quales illæ erant, quæ bello captæ, imperatoribus adducebantur, ei, reges sibi coniuncti, & viri principes mittebant, vel suis Salomon imperabat, vt eas sibi emerent, quæ quidem istorum hominum sunt deliciæ.

Hanc explicando rationem Rabbi Salomon inter Hebræos, & inter nostros, viri docti tenent, qui voces illas שדה & שדות ad verbum שדד quod *prædari* significat, non ineptè reuocant. Fuisse verò in more positum, vt parta victoria, milites dum hostibus spolia detraherent, si eximia pulchritudine fæminam cepissent, eam ad imperatorem, loco muneris deferrent, Barac his versibus, eleganter quidem & ornatè commemorat: *Vna sapientior cæteris vxoribus eius, hæc socrui verba respondit, Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherrima fæminarum eligitur ei.*

Fœminam eximia pulchritudine, bello captã, ad imperatorem adducẽdi mos Iudi.5.

*Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Hierusalem, sapientia quoque perseuerauit mecum.*

Meritò mirari possumus, cur Salomon, eo maximè tempore, quo ad voluptatem, omnia referebat, sapientiam sibi arrogauerit. Nam, vt ipse asserit, *Principium sapientiæ, posside sapientiam, & in omni possessione tua acquire prudentiam.* Hoc est, inde sapientia, in hominibus principium ducit, cùm ipsi, eam bonorum omnium possessioni præferũt: hoc enim studium, animos primùm mollit quodammodò, & subigit, vt sapientię sparsum à Deo semen recipiant: Quô igitur fieri potuit, vt Salomon, eo studio, quod sapientiæ sementem prohibet, eiusdem messem non amitteret? cùm nihil magis, quàm sapientia accedat ad honestatem: & intemperans voluptatis cupiditas, ab ea longè discedat? & nulla sit, vt noster Paulus affirmat, lucis cum tenebris coniunctio? Iob autem vir diuinus, & excellens, cùm sapientiam ab hominum intelligentia, sensuque esse longissimè disiunctam comperisset, viam, qua nobis sit ingrediendum, vt possimus ad eam peruenire, hac grauissima oratione demonstrat, *Timor domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Non solùm enim supplicij metus, qui nos à scelere reuocat, initium sapientiæ hominibus affert, sed eximius quidam est sapientiæ fructus existimandus. Quomodo igitur Salomon, dum fæderis diuini religionem violat, vt libidinem

Prou.4.

2. Cor.6.

Iob.28.

libidinem satiet, sapientis potuit officium tueri? & verum illud esse, quomodo erit existimandum, quod de se ipse asserit, nempe dum totum se impuræ traderet voluptati, minimè fuisse à sapientia destitutum?

Verùm etsi Salomon Dauidis vestigiis non institit, nec diuinum numen, eo, quo debuerat studio coluit, eorum cognitione, & in iure dicundo prudentia, inter omnes, qui Hierosolymæ, imperium tenuerunt, longè præstitit, hoc enim à Deo fuerat beneficium consecutus, quod in precibus, quas in oppido Gabaon, apud Deum fudit, sibi, vt rempublicam Hebræorum rectè moderaretur, optauerat. Quamuis enim ex iis gentibus, cum quibus ne fœdus feriret, nec aliqua inter se, & illas, necessitudo intercederet, à Deo fuerat sancitum, vxores duxisset, & quidquid erat sensibus suaue, & iucundum arripuisset, & quod est omni admiratione dignum, cùm esset de religione optimè meritus, vxorum superstitionem non sustulisset, sed eam imprudenter auxisset, & vt sacræ regum historiæ auctor, inquit, Deos fuisset alienos secutus, in republica tamen moderanda, & in rerum naturis cognoscendis, instinctu quodam diuino, & afflatu, admirandus extitit. Nec in simulachris gentium, diuinum aliquid inesse credidit, quamuis ipse vt vxoribus morem gereret, illis cultum adhibuit, sic enim de eo, auctor diuinus, inquit, *Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis Dauid patris sui, excepto quòd in excelsis immolabat, & accendebat Thymiama.* Non enim Deum dilexisse diceretur, si vel plures, vel simulachra illa, Deos esse credidisset: quia tamen illis honorem tribuit, & sacrificium ad aram faciebat, Deos fuisse secutus alienos dicitur: quod flagitij scelus, Christianos scimus mortis formidine suscepisse, qui animo intus illud execrabantur: hos timor mortis, illum verò impotens libido animi, in idem scelus compulit. Cùm hac verò vnius sanctissimi numinis, omnia nutu moderantis, cognitione, & singulari, in reipublicæ tractatione, sapientia, & in rebus cognoscendis, intelligentia, ea fuit animi imbecillitas, in Salomone, & impotentia, vt falsum, & inanem esse vxorum suarum religionem videns, ne fortè earum à se voluntates alienaret, Deo, sibique earundem, in tanto scelere, libidinem anteponeret.

3.Reg.11 3. Reg. 3 2.Par.1 Thom. 9. de ver. 12. ar. 12. 3.Reg. 3. Aug. li. 9. de gen. ad lib.

Omiseram nostri generis, sic rerum nullius ponderis, illecebris, & corruptela deprauati, conditionem, vt sponte in laqueum, quem ad perniciem sibi propositum esse vidit, collum inserat. Sapiens quidem Salomon, meritò habendus erat, qui tam luculenter de vita hominum, moribusque disseruit, qui optimè rempublicam temperauit, qui pacem constituit, quam tutam & tranquillam, vt Hebræi ducerent, sua singulari prudentia, & vigilantia perfecit, qui de rebus diuinis multa disputauit eleganter, & futura de Christo prædixit. Etiam si illam iure optimo potuisset, de naturæ generis nostri corruptela cum lachrymis, vt Paulus facit, grauissimam habere querimoniam: *Ego carnalis sum, venundatus sub peccato: quod enim operor non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio, infelix ego homo.*

Cyril. contra Iul. li. 7. Rom. 7.

Quamobrem, dum ille in eo studio fuit, veræ & perfectæ sapientiæ decus, quod in animi rectè instituti moderatione lucet, meritò ab eo desiderari, & requiri poterat, quia à Deo quem præpotentem rerum omnium principem esse sciret, ad hæc infima, & fallacia animum seuocauerit, & cum eo coniunctionem diremerit, vt cum vxoribus, coniunctionis vinculis arctioribus astringeretur.

Ambr. psal. 118.

*Et omnia quæ desiderauerunt oculi mei non negaui eis:nec prohibui cor meum,quin omni voluptate frueretur & oblectaret se in his, quæ præparaueram: & hanc ratus sum partem meam, si vterer labore meo.*

Quia Salomoni,in moderāda republica,adfuit sapientia,eo etiā tempore, quo voluptatē sectabatur,non ineptè Chaldęus putauit,his verbis,nō mediocrem sapiētis officij rationē explicari,quod ciuibus suis ille egregiè persoluit.

Num.11. Septuaginta senum, quos Dei iussu Moses elegerat,qui secum moderandæ reipublicæ onus sustinerent,adhuc ordo,& autoritas vigebat.Eos Salomō

Esd.5. *oculos* appellat, quia reipublicæ salutaria prouidebant:quemadmodū Esdras, cùm singularem Dei prouidentiam,qua templum Hierosolymitanum ædificabatur, luculentiùs explicaret,*Oculus*,inquit, *Dei eorum factus est super senes*

Isa.25. *Iudæorum*. Et Isaias, cùm Iudæorum ob contumaciam, quam in scelere retinent,cæcitatem prædiceret, eorum oculis Deū,esse obstructurum,minabatur:ne verò, quinam essent ij, quos *oculos* appellabat,in dubium veniret, eos non alios nisi prophetas, & principes esse commemorat, quibus Deus,recto iudicio, tenebras offudit, ne ab instituta semel vitæ ratione, quæ in eos, tot mala inuexerat,vllo modó refugerent.Sic etiam Salomon hoc in loco,nomē *oculorum*,vsurpat,quo vt Chaldæus existimat,septuaginta senes illos,quos Iudæi,magistros *Zanhedum*,postea nuncuparunt,significat. Hi autem in rebus grauissimis,Salomonis sententiam requirebant,erant enim reipublicæ,quasi quidem,vt diximus,oculi,qui in quaque re,quid esset boni,inuestigarēt: illis autem Salomon, quid de vnaquaque re,sentiendum esset, sapienter expromebat,ideo, *omnia* inquit,*quæ desiderauerunt oculi mei,non negaui eis*.

Hæc præsertim,diuinæ legis explicatio, non mediocrem Salomoni voluptatem afferebat,quam ex omni labore,quem sustinebat, velut fructum suauissimum,percipiebat, eamque sibi,in hac vita, fuisse partem,hoc est,hæreditatem constitutam, existimabat, quam diligenter curaret,vt postea ob labores, in illius cura, cultuque susceptos, sempiternum à Deo præmium consequeretur.

Est autem hæc non inepta huius loci explicatio: verùm cum antecedentibus, & consequentibus, non valde conuenit,vt sit ea explicandi ratio potior ducenda,quam in paraphrasi tenuimus. Salomon igitur,vt id,quod sibi probandum proposuerat,nempe voluptatem nullius esse ponderis, ac momenti,firmissimè tandem argumento confirmet, enumeratis rerum omniū affluentibus copiis,vnde voluptas affluentiùs hauriri posset,quidquid sensus appetebant,testatur se minimè pręteriisse,quin adhiberet.Nam ex his copiis, nihil aliud boni sibi erat sperādum, nisi vt in illis se oblectaret.Quamobrem inquit, *& hanc ratus sum partem meam si vterer labore meo. Pars*, siue חלק eam hoc in loco,quam apud Iobum,cùm inquit,*Hæc pars hominis impij à Deo*,sen-

Iob 10. tentiam habet, vt id, quod ex quadā bonorum quasi partitione,inter omnes facta, vnicuique obuenit, significet, vt est illud à Dauide præclarè dictum, *Pars mea Deus in æternum; & portio mea,dixi,custodire legem tuam.*

Quemadmodum autem Dauid,è rerum omnium naturis, sibi nihil opta-

Psal.72.11. bat; neque præter Deum aliquid sibi boni, obuenturum sperabat; ita Salomon

mon, ex eo labore, quem in opibus comparandis, deliciisque, sumpserat, nihil aliud consecuturum se sperabat, nisi vt illis frueretur. Hoc enim, si hæc infima spectes, optimum haberi solet, & ideo sensus, his rebus omnibus vti minimè prohibuit. Hæc autē pluribus verbis dixit, vt sibi, reos ferè inauditam, & incredibilem asserenti, fidem faceret.

*Cúmque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerāt manus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.*

Postquam voluptatis studium, in quo fuerat, luculenter explicuit, quid tandem de ea senserit, cōmemorat. Hoc autē à belluis maximè natura hominis differt, vt si quando is, corporis voluptate affectus, sensuū libidini succūbat, non ita tamen astringatur, vt de illis iudiciū habere non possit: mentis enim nostræ lumen, quod, si vellemus, tenebras, quas sensus offundūt, depelleret, extingui nō potest. Cùm igitur Salomō iis voluptatibus frueretur, quas opes maximę, & acumē ingenij singulare, inuenire potuerunt, tandē se è tenebris, in quibus erat, ad lucem aspiciendam reuocauit, vt quid in tantis voluptatibus, in tam multis, & magnificis operibus, inuenisset, diligenter examinaret: id autem totum, quidquid in illis insit, vanum miseriis refertum, & caducū esse testatur. Hoc in loco, vbi noster Latinus inquit, *nihil permanere sub sole*, Hebræus, *nihil*, inquit. ויתרון sub sole. Quo maximè à belluis natura hominis differt.

Huic autem orationi, hæc subiecta est sententia, nihil excellens præstánsve sub sole existit, aut vt Chaldæus interpretatur, nihil præter vanitatem in eo reliquum est. Hanc sententiam, vt septuaginta & duo interpretes luculentiùs explicarent, *non est*, inquiunt, περίσσεια, hoc est, *abundantia sub sole*, vt enim sit nobis aliquando abundè satisfactum, nullo possumus labore consequi: nam si id, quod optimum, sensuum iudicio videtur, nec momento quidem temporis, vt vulgatus Latinus inquit, in eodem statu permanet, quid erit in tellure, quod aliqua dignitate excellat? quid cùm celeri cursu labatur, abundantiam suppeditet?

*Transiui ad contemplandam sapientiam, erroré́sque & stultitiam, quid est, inquam, homo, vt sequi possit Regem factorem suum?*

Postquam voluptatem minimi faciendam esse, Salomon, in se ipso expertus senserat, & res omnes in motu esse, nec vsquam permanere: his omissis, quæ satis nos ad rerum humanarum contemptionem, adducere potuissent aliò orationem transfert, vt idem, quod sibi proposuerat, vehementiùs persuadeat. Ad sapientiæ igitur decus, mentis oculos vertit, quia nec motu cietur, nec ad interitum ruit, nec tristitiam infert, & ideo si quid boni, in vita adipisci possumus, est ab ea nobis sperandum. *Transiui*, inquit, *ad contemplandam sapientiam, erroré́sque, & stultitiam*. In iis quæ ipse voluptatem sectādo egerat, sapiētia elucebat: sic enim omnibus naturis adest, vt si velimus

illius,in qualibet earum possimus lumen prospicere. Quamobrem, sapientiæ contemplationi, erroris & stultitiæ cognitionem addidit. Est enim hic quasi primus sapientiæ gradus. Nam consequens erat, cùm voluptas corporis, illum elusisset, vt errores in quibus fuerat, animaduerteret, & sapientiam, quæ voluptatem spernit, & commenta opinionum delet, tota mente, & omni animo intueretur. Sic enim est, natura & more comparatum, vt spretis his, contraria concupiscas, quia necesse est fieri, vt ab vno contrario, extremoque recessum, ad alterum accessus consequatur.

Sit hic igitur primus ad sapientiam aditus, à Salomone patefactus. Deinde illius magnitudinem, & summam consequendæ difficultatem, parumper à proposito discedens, commemorat. Sapientiam consequi non possumus, nisi Deum sequamur, est enim ipsa rerum diuinarum & humanarum, causarumque quibus hæ res continentur, scientia: cuius est opus felicitas, quam in actione perfectæ virtutis, Aristoteles ponit, quod diuino solùm munere hominibus datur. Hoc autem quod dicimus, *Deum sequere*, quibus sit difficultatibus obstructum, nemo non videt: opus est enim ei, qui Deum sibi ducem, in hoc vitæ cursu sequendum proponit, ita se è sensuum consuetudine seuocare, vt illud præpotentis rerum omnium principis Dei præceptum teneat, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*: est enim sapientia, vt eleganter Aristoteles disserit, instar optimæ in corpore valetudinis, quæ cæterarum omnium virtutum decus, & ornamenta complectitur, vt nihil ab ea, nisi laude dignum, oriri possit, ipsaque propterea, de se ipsa fælicitatem hominibus præstet.

Arist. mag. mor. li. 2. c. 33. Arist. 6. Eth. 12. Mat. 16. Luc. 9. Arist. Eth. 6. cap. 11. Arist. mag mor. l. 2. c. 13

Hunc autem animi statum, in quo sapiens, eorum, quæ ab omni corporis concretione sunt segregata, principia mente percipit, & quæ inde ratiocinando, nullo cum errore eliciuntur, intuetur, quàm sit difficile constitui, illius desperatio, quæ Philosophorum animos occupauit, ostendit, & acerrima illa, quam Paulus commemorat, de Principatu, inter mentem carnemque exorta contentio, declarat. Quamobrem Salomon cùm sapientiam per naturam rerum omnem, commeantem, tacito quodam sensu percipiēs, à rerum terrenarum cognitione, ad illius cōtemplandæ studium, gradum faceret, & si maximis fuisset artium disciplinis excultus, illam propriis viribus adipisci desperans, *quid est*, inquit, *homo, vt sequi possit Deum factorem suum?* Est enim ille, sempiterna mens, totius sapientiæ fons & origo, vnde hæc omnium naturarum admirabilis concinnitas exorta, perseuerat.

Gal. 5.

Officium autem, & munus sapientis est, vt omnia, ad illum, à quo orta, generata, & concreta sunt, reuocet, & ex illò, vnde fluxerunt, coniectet, in illisque veluti in speculo summi Architecti, intueatur sapientiam, & vitam ad illius præscriptum normamque dirigat. Hoc autem est Deum vestigiis sectari, in quo veram sapientiam, prisci illi philosophi, naturæ totius ordine, quasi manu ducti, & nostri, sanctissimi Christi numinis luce clarissima circumfusi, ponunt. Verùm id, homo natura abiectus, in corporis compagibus inclusus, sensuum consuetudine deuinctus, & sub peccati tyrannide constitutus, qua poterit ratione consequi?

Hæc horum verborum explanatio, quamuis optima esse videatur, variæ tamen Hebræorum vocum notiones, in causa fuerunt Septuaginta duobus interpretibus vt aliter ea explicarent. Sic igitur illi Hebræam orationem Græcè verterunt. *Quis est homo, qui ibit post consilium? ea, quæ fecerunt*

*ipsum.* Quasi Salomon, postquam se ad sapientiam vertit, cùm errores, & stultitiam, in qua fuerat, intueretur, in has voces, miseræ nostræ conditionis indices erumpat: Quotus quisque, hominum inuenitur, qui in vita moderanda, rectam sequatur rationem, & ab ea non aberret? & iisdem, quibus maiores sui fuerunt, ipse non sit opinionibus imbutus, & illorum viuẽdi rationem, & mores non teneat? quemadmodum verò illi, ego quoque inania sectando in officio sum turpiter lapsus: sic enim horum verborũ, *Ea, quæ fecerunt ipsum*: sentẽtiam, viri docti interpretantur, ac si diceret, quis erit ille, qui non facturus sit ea, quæ alij fecerunt? Etsi Olympiadorus, hæc de auari hominis conditione interpretetur, qui diligenter consulit, quo pacto ipse diues fieri possit, quod vt consequatur, nihil non molitur, & perficit, ei tamen vix, aut numquam, quod sibi consultus pollicebatur, euenit. Gregorius autem Neocæsariensis, & Hieronymus, hæc verba de homine illo interpretantur, qui se totum voluptatibus dedit, & in iis, quæ sensibus blandiuntur, quasi in profundo mersus, inde emerserit, & se ad decus, & honestatem extulerit, est enim hic omni admiratione dignus. Olym.Ec.2. Greg. Ec.2. Hier.Ecc.2. v. 11. magnificaui.

Cùm igitur Salomon, voluptates, quas tanto studio sequebatur aspernaretur, & naturam quodammodo exueret, id verò, quàm sit arduum & difficile, didicisset, qui in periclitandis, & experiundis voluptatibus, tot annos posuisset, nec inde nisi iam senex vix emerserit, hoc hominum genus rarum esse, & excellens hac oratione significat, se inquam his verbis notat, & designat. *Quid est homo vt sequi possit regem factorem suum?* vel, vt refert Hieronymus, *Quia, quis est homo, qui ire possit post regem ante factorem suum?* Est enim ille meritò admirandus: vetus namque consuetudo, naturæ vim obtinet, quæ vt de curriculo deflectat, quæ vmquam poterit virtus perficere. Et quid magis est admiratione dignum, quàm ille, qui spretis iis, in quibus erat voluptatibus, quæ ab ineunte ætate, eum deuinctum consuetudine tenebant, rectæ rationis præscriptis obtemperat: & instituta, quibus fuerat, à naturæ architecto, ad honestatem informatus, in omnibus tenet? quo quidem studio, post regem ire dicitur, qui ea in illius animo inseuit, & in eiusdem, qui omnia condidit, conspectum venit. Vetus consuetudo naturæ vim obtinet.

*Et vidi, quod tantùm præcederet sapientia stultitiam, quantùm differt lux à tenebris, sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat.*

Hic primus fuit Salomoni, ex studio sapientiæ fructus, vt nempe, quod sit inter sapientiam & stultitiam discrimen perciperet: id autem commemorat, vt eam viuendi rationem, quam ipse antea inierat, quolibet esse homine indignam, ostendat. Nã cùm recta ratio, sit vitæ lux quam primùm à Deo accipimus, & à cæteris ea, animantibus separamur, si ab ea, in vita moderanda, aberramus, necesse est quidẽ nos in tenebris versari, neque multũ à pecude differre. Ea autem vt recta sit, & cõstans, sapientiæ suæ lumen Deus hominibus præfert, quod numquam vel offusis tenebris imminui, vel aliqua alia potest ratione deleri: eo autem, vera illa, qua mens hominis viuit, vita continetur, inde enim, constantis, & sapientis vitæ initium ordimur & perpetuò ducimus. Hoc autem diuinæ sapientiæ lumen, in iis etiam, quas menti Sap. 16. Ioan. 1.

ti nostræ tenebras corpus offundit diuino munere lucet, & splendet, cui dum mens nostra oculos claudit, se in tenebris constituit quibus circumfusa, quid sit optimum in vita, quidve fugiendum, non videt, & ipsam terram, crassamque sensuum caliginem, iucũdissimæ luci, vitæque anteponit.

Ioan.3.

Quamobrem *sapientis oculi in capite*, veluti in specula collocati longè prospiciunt, diligenterque obseruant, ne quid animi statum turbet, & exagitet: stulti autem luminibus capti, in tenebris iacent. Est autem omnium cogitationum, & intelligentiæ sedes & quoddam quasi domicilium in homine caput: quod si à Deo collucet, & illustratur, nihil, quod sit reiiciendum vel diligendum mentis aciem fugit. Hanc autem mentis nostræ vim diuinis muneribus instructæ oratio hæc significat, *sapientis oculi in capite eius.* Hanc Salomonis sententiam, dicendique rationem, illa apud Matthæum Christi Domini oratio luculenter explicat, ***Lucerna corporis tui, est oculus tuus, si igitur oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit, si ergo lumen, quod in te est tenebræ sunt, quanta erunt? Oculos sapientes ideo esse in capite,*** dixisse Salomonem Basilius existimat, quia sapientis animus, rerum diuinarum contemplatione in sublime fertur. Idem fere Olympiodorus censet.

Arist.l.2.de par.ani.10. Gale de remed. par. fac.1.

Matt.6.

Basil.hex.11.

Nomen Hebræum ראש nõ solũ animantis caput, sed cuiusque rei principium significat. Quamobrem Chaldæus, à Salomone, inter sapientem, & stultum, discrimen, in eo positum fuisse putat, quòd sapiens in negotij exordio, illius exitum, singulari mentis acumine prospicit.

*Et didici quòd vnus vtriusque esset interitus; & dixi in corde meo. si vnus stulti, & meus occasus erit, quid mihi prodest, quòd maiorem sapientiæ dedi operam?*

Cùm sapientia sit lux, qui autem luce fruũtur, sine dubio viuant meritò quidem, is qui sapientiæ studio flagrat, sibi immortalitatem pollicetur: in omnibus autem naturæ partibus omniũ oculis collucens mirabiliter sapiẽtia, vocem de hoc immortalitatis munere suis præstando, mittit. Si enim naturæ rerum, quam nostri generis gratia condidit, illud sapientia contulit, iis qui eam singulari studio colunt, denegabit? aut fidem suam, quam illis apud Salomonem obligauit, impiè, atque nefariè franget? scelus esset execrandum, id, quod in sceleratissimo quolibet homine reprehendimus, de sapientia omnium altrice opinari. At illa ad se homines inuitat, iis autem qui sese ad eam, singulari cura, & diligentia contulerit, vitam & diuini numinis gratiam eximiam pollicetur.

Prou.3.

Prou.8.

Salomon tamen, eo, in quo erat, sapientiæ studio sapientiæ comperit, ex hac vita non solùm stultos, qui ea indigni videbantur, sed etiam esse sapientes discessuros. Hoc autem non nisi à sapientia se didicisse affirmat, ad cuius se studium spretis voluptatibus, reuocauerat. Sic enim sapientia, iis qui eam colunt, & obseruant, immortalitatem promittit, vt eos doceat, morte hinc esse omnibus commigrandum, vt post exitum vitæ promissum immortalitatis consequantur: dum verò in hac vita manent, sempiternæ vitæ spiritum in illorum animos infundit: est autem ille, vt inquit Paulus, *pignus hæredita-*

Ephes.1.

*hæreditatis nostræ.* Quare etsi corpora, cùm sint vasa quædam futilia, & animorum receptacula, breui temporis spatio, vi naturæ frangantur, & concidant, interposita tamen sapientiæ fides minimè violatur; nam corpore animis solutis, vitam omnibus bonis affluentem tribuit, & corpori reuiuiscendi spem confirmat. Quæ etsi animum erigat, quia tamen differtur, excruciat. Salomon igitur, etsi innumera, & diuina beneficia, ea esse sciret, quibus sapientia suos afficit, vi naturæ ductus, mortis impetum, nullo sapientiæ præsidio, posse à sapiente comprimi, lamentatur. 2.Cor.4.

Vtrunque Paulus noster, tum sapientiæ erga suos beneficentiam, tum etiã huiusce à Salomone adhibitæ querimoniæ causã, luculẽter explicat: sic enim ille de ijs, quò verã sapientiã sectãtur, differit: *Scimus*, inquit, *quoniã si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in cœlis.* Insitam deinde in natura vim, ad immortalitatem, adiungit, vnde sensus ille oritur, quo angimur, cùm appropinquãte morte, nos corpore exui cogimur, & illud volumus immortalitate donari, quo ex fonte, hæc Salomonis querimonia fluxit, sic enim Paulus, *Nam & in hoc ingemiscimus grauati, eo quòd nolumus, expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur, quod mortale est, à vita.* 2.Cor 5.

*Locutúsque cum mente mea, animaduerti, quòd hoc quoque esset vanitas.*

Cùm igitur in re tanti ponderis, & momenti, sapiens & stultus pares sint & æquales; quis neget, in sapientiæ studio, aliquid vanitatis inesse? cur quæso potiùs non sit miserum, & maximè deplorandum, eandem cum stulto esse sapienti conditionem, necessariò subeundam? Vanum quidem & inane est illorum studium, qui in res terrenas, omnem curam & cogitationem conferunt, quia illæ temporis momento concidunt: at quòd sapientiam, qui hæc infima, peritura esse cognoscit, eáque pro nihilo ducit, simul cum stulto, qui se ab eorum studio seuocari indignè patitur, vna eademque moriendi necessitas astringat, quis non solùm miserum, sed maximo cum doloris sensu lamentandum esse, non arbitretur? Nihil enim à sapientia magis, quàm stultitia dissidet: & cum ijs, cum quibus, nulla in re congruas, eiusdẽ conditionis fieri, te participem cogi, meritò quidem lamentabere. Verùm cùm sapientis animus nullis se telluris finibus circunseptum teneat, & supera diuinaque intueatur, atque ea ardenter expetat, corporis interitum, in malis ponendum esse negat, etsi eandem sibi cum stultis esse moriendi necessitatem perferendam, ad communem generis nostri conditionem aliquid sibi acerbitatis ampliùs afferat. Quamobrem Salomon vanitatem potiùs, quàm miseriã, in sapiẽtiæ studio, inesse prædicat: quia sapienti, corporis interitus, & occasus, non miseriam, sed miseriarum, quæ in vita sunt, finem afferat.

Hinc quàm sint vana hominum studia, quilibet poterit intueri, si enim studium sapientiæ, qua nihil, hominum vitæ datum est à Deo præstabilius, eis miseriarum, quæ à natura sunt, non dat immunitatem quid illa afferre studia poterunt, quæ ipsi in his rebus infimis ponunt? Salomonẽ autem, viri docti putant, primum in ea opinione fuisse, vt arbitraretur, eandem cogi sapientẽ, cũ stulto conditionẽ subire, & idcirco operã in studio sapiẽtiæ, frustra S.Hier.in Ecc. Olym. ibid. Alb.flac. ibid. Soleo. Epis. ibid.

à se

à se collocatam queri. Deinde, cùm rem attentiùs examinaret, sententiam mutasse, seipsúmque reprehendisse, ideo statim post illa verba, *Quid mihi prodest, quòd maiorem sapientiæ dedi operam?* adiunxisse, *locutusq; cum mente mea, animaduerti, quòd hoc quoque esset vanitas.* Hanc nempe, quam de sapientiæ studio, protulit sententiam, re diligentiùs considerata, iudicauit, temere à se fuisse prolatam.

Rationem verò, quare sic seipsum reprehenderit, eam fuisse refert, quia stultus, & sapiens non eosdem, sed eos exitus habebunt, quos vterque factis meretur, vt stulti memoriam, tempus obliuione deleat, etsi fortè aliquam posteris relinquat, sit omnibus ingrata; sapientis verò, vt fert humana conditio, gratissimam posteritas seruabit: stulti quoque vitæ cursus, ad miserias, sapientis verò ad beatitudinem, exitu concludatur. Ea enim verba quæ sequuntur, *Non erit enim memoria sapientis, similiter vt stulti, in perpetuum*, ac si futuram esse stulti & sapientis, eandem conditionem negarunt, eleganter explicant, & negantiam coniunctionis, non cæteris pronunciatis addunt, vt vetustate non omnia obrui, nec eadem doctum ac indoctum conditione mori, Salomon significet, quia vt tetigimus, quorum fuit dispar vita, eis, postquam ex ea qua cœpimus ratione, in explicando progrediemur.

*Non enim erit memoria sapientis, similiter vt stulti in perpetuum, & futura tempora, obliuione, cuncta pariter operient. Moritur doctus, similiter & indoctus.*

Non mediocrem animis tristitiam affert corporis interitus, cùm diuturna satis, & maxima: sic inter corpus & animum, naturæ vinculis deuincta, coniunctio, quæ sine maximo doloris sensu, & tristitia, dirimi non potest. Si autem nominis saltem fama, & memoria, nullis fuisset sæculis interitura, hæc quidem perpetuò duraturæ quodammodo vitæ opes, tristitiam mitigaret. Verùm quia corpus interitum accipiet, & nominis nostri memoria nulla prorsus erit, mirum in modum aucta tristitia animos contrahit. Quamuis autem sapientis & stulti memoria cum ipsis tandem, eorum qui sunt, obliuione & reticentia, posterorum erit insepulta: stulti tamen memoriam, quamdiu inter homines illa viget, omnes iure optimo execrantur, quemadmodum de muliere illa, quę coniugij fœdus, stupro polluerat, Ecclesiasticus inquit, *Derelinquet in maledictum memoriam eius, & dedecus illius non delebitur.* At memoria sapientis, si id nostra ferret conditio, immortalis redderetur; nihil est enim virtute pulchrius, nihil amabilius, quamobrem, vt idem vir diuinus asserit, sicut sapientem ij, qui eo tempore vixerunt, quo ille in via manebat, summis laudibus efferebant, posteri verò de eo minimè conticescent. Est enim virtus amoris parens, eúmque in hominum animis alit, & tuetur, amor autem, quantum fieri potest, virtutis memoriam seruat, est enim vis quædam, optimè cuiusque seruatrix.

Ecclef. 12.

Ecclef. 37.

Ecclef. 39.

Virtus amoris est parens.

Quamobrem nisi ipsæ ætates laberentur; & genus hominum breuissimo vitæ cursu, & quotidiano interitu, irrogatum sibi mortis supplicium solueret, sapientis memoria, sempiternis, in animis, monumentis, inuisa vigeret. Verùm etsi tandem ipsa, apud homines obliuione delebitur, & deleta, vt Salomon

mon asserit, ipsos etiam sapientes, vanitati esse coniunctos ostendat, apud Deum nullis vmquam sæculis interitura, permanebit.

*Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuersa esse sub sole, & cuncta vanitatem, & afflictionem spiritus.*

Salomon in eo genere rerum, quas homines, ad bene beateque viuendum ardentiùs appetunt, ipse quàm fuerat abundans, commemorauerat, vt nihil ad vitam beatam, si quæ inter homines esset, ei deesse videretur. Hanc autem, quam cæteri homines, minimè assequuntur, cuius ipse voluptatibus abundè potitus fuerat, non solùm experiundo senserat; sed etiam cùm illam altiùs perspiceret, acerbam sibi, & nimis grauem extitisse confirmat.

*Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboraui, habiturus hæredem post me, quem ignoro vtrum sapiens, aut stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudaui, & solicitus fui: & est quidquam tam vanum?*

Cùm hæc infima sint pro nihilo ducenda, & hominis vita plurimis sit curis implicata, miseriisque affecta, spes optimæ futuræ prolis, & fructus, acerbam illius conditionem leniret. Etenim genus nostrum, liberorum procreatione, & posteritate se ipsum à mortis omnia extinguentis vi, & iniuria, quodammodo vindicat. Quamobrem iis, quæ hominibus natura tribuit, vel industria, laboreque ipsi nobis comparauimus, vt mortales, nos vti oportere, Isocrates docet: rem verò familiarem, curandam ita esse, ac si immortales essemus. Illa enim cùm sensim labantur, & fluant, nosque ad interitum properemus, inconsideratè quidem, & nimis stultè, quasi nunquam è vita discessuri, illis adhæremus.

Vt mortales, rebus acquisitis vti debemus: ac si immortales, rem familiarem curare. Isocr. ad Demonicum.

Ne verò hæc cogitatio, prope diem nos esse morituros, inertia & desidia hominum animos afficeret, & ideo eorum genus periret, est in natura hominis, vis innata quædam incredibilis posteritati seruiendi: est enim optimi cuiusque ita viuere, vt illius, singulari cum laude sit posteritas memor: & curat diligenter, ac si post obitum, posteritas ad se pertineat, vt rempublicam, priuatamque, multis ei, accessionibus auctam amplificatamque relinquat. Hoc præclarum in omnium animis studium à natura insitum, Salomon cum vanitate esse coniunctum, queritur, quia vitæ quotidianæ curas & molestias, posteritatis futuræ spes, & commemoratio, tum aliqua ex parte leuet, tum etiam illas acerbiores efficiat. Nam cùm optimum quemque non mediocris cura posteritatis attingat, quò magis rem familiarem auget, eò magis de hæredis prudentia, ingenio, & moribus, illum cura solicitum habet, angit, & discruciat: vt meritò mirari possimus, quid homini sapienti venit in mentem, vt rem familiarem tam diligenter curet, incertus, an hæres futurus sit aliquis dissolutus & perditus adolescens, qui eam dissipet, & in nihilum redigat. Incertus hic futuri temporis exitus, curam & solicitudinem industrij hominis

vanam & inanem esse demonstrat, Salomonemque impulit, vt singularem, quam in re familiari, imperioque latè propagando, opesque cumulando, curam posuerat, non solùm molestam sed odiosam esse duceret.

Hier. in Ecc. 2. Hieronymus Salomonē putat, non de opibus, sed de sapiētiæ studio disserere, in quo tantam fuisse à se operam collocatam, sibi displicet, quia viri docti, cùm ad cæteros instituendos libros scribant, sæpenumerò, operam, quam in illis scribendis adhibuerant, frustra se suscepisse videant: cùm hæc sapientiæ hæreditas, summo labore ab ipsis amplificata, vel ad bonarum omnium disciplinarum ignaros, qui eam parui-pendāt, & dissipent, vel ad eos perueniat, qui animi prauitate, inde sibi perniciem comparent. Hanc autem Hieronymus explicandi rationem, iure potiorem esse duxit, quia vetus illa latina interpretatio, quam ipse explicandam suscepit, his verbis Salomonis sententiam refert. *Et dominabitur in omni labore meo, quo laboraui, & in quo sapiens factus sum sub sole, sed & hoc vanitas.*

Verùm noster Latinus interpres prudenter satis, cùm Hebræum Latinè vertit, orationis sententiam explicuit, est enim *fieri in re aliqua sapientem*, idem quod, strenuè in re aliqua operam nauare.

*Vnde cessaui, renuntiauitque cor meum, vltra laborare sub sole. Nam cùm alius laboret in sapientia, & doctrina, & solicitudine, homini otioso quæsita dimittit: & hoc quoque vanitas, & magnum malum.*

Omne genus hominum, & eorum ætates singulæ otio tabescerent, nisi bonorum spes aliqua, eos ad negotium excitaret; si enim spes infringatur, necesse est, vt languescat industria, & eos, quos spes deserit, voluptas quoque operis, quod aggressi fuerant, perficiendi, deficiat: quare, si liberis careas, ad quos iure sint te mortuo, bona, quæ possides, peruenienda, meritò quidem omnem curam, quam ad ea comparanda aliquando contuleras, abiiciendam sibi esse arbitrabere. Hoc Salomon, postquam studium opes amplificandi, quia an hæres futurus sit stultus, an sapiens, ignorabat, molestum, iure optimo, esse iudicauit, prudenter adiungit. Nam & si nimis sit graue hominibus, qui humi strati, cælestia superaque non suspiciunt, hæc infima, quæ summo labore, sibi ad voluptatem compararunt, debilitato corpore, aut mortis impetu, inuitos relinquere: illud tamen grauissimum existit, ea sibi extorqueri, vt aliis, cum quibus nulla, aut minima sit illis sanguinis cōiunctio, tradantur.

Etenim licèt is, qui singulari cura & solicitudine, pecuniam quærit, eo studio, neque sui ipsius, neque suorum, sibi curæ sit, vt eleganter Plato in Alcibiade docet, quia ad animi cultum, & ad corporis valetudinem confirmandam, compertum sit curam illam minimè adhiberi; eam tamen, si liberos procreauit, ad eorum vitam & salutem confert: verùm si illis careat, quorsum in eam curam, toto pectore incumbet, nisi vt optima hæreditas, ad alienum hominem perueniat, qui in otio erat, dum ille noctu diuque, cùm non mediocri solicitudine & industria, rem familiarem augere nitebatur? Hoc autem studium, quàm sit inane, ne dicam miserum, quis non videt? At homini nauo, & dili

Plat. in Alc. 2

& diligēti, hæc cogitatio singularem tristitiam affert, dum post obitum suum, ex iis, quæ aliis sui similibus contigisse meminit, futura coniicit.

Quamuis autem Salomon Roboamum haberet filium, qui sibi hæres succederet, adhuc tamen poterat orbatus liberis, è vita discedere. Omnia verò quæ eueniunt hominibus, & quæ ipsi agunt, oratione persequitur, vt qui in nos casus incurrant, & quæ nobis ipsi mala inuehimus, ante oculos proponat.

*Quid enim proderit homini, de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? cuncti dies eius laboribus, & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit, & hoc nónne vanitas est?*

Si iis, quæ futura sunt, omissis, præsentia tantùm velis intueri, eaque diligenter ponderes, quid quæso boni, ex iis laboribus, quibus homo industrius, corpus suum debilitauit, & ex iis cogitationibus, in quibus singulari cum animi molestia, vitam consumpsit, aliquando excepit. Nulla profectò vitæ illius pars, dolore, molestia, vel solicitudine vacauit. Quamobrem rerum terrenarum studium sæpe sæpius inane esse prædicat.

*Nónne melius est comedere, & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis?*

Non vt pecudes nati sumus ad pastum, sed ad diuinarum rerum contemplationem: nec cibo potuque beatitudinem ponderamus, nisi priùs voluptatum illecebræ, mentem nostram de statu deducant, &, vt nihil iam inter hominem & pecudem intersit, eam in tenebras trudant. Quamobrem Salomon cùm multa, quæ non solùm voluptatem gignerent, sed illam augere posse videbantur, comparasset, illisque ad omnia voluptatum genera vsus fuisset, vitam, corporis voluptatibus plenam, nec beatam, neque tranquillam optandámque; sed miseram, contemnendam, & fugiendam esse sibi persuasit. Deinde, cùm hominis opulenti vitam malis vndique septam esse videret, quid in illa sit, quod aliquam boni rationem speciemque præ se ferat, ostendit. Voluptatem igitur, quæ gustu percipitur, rebus omnibus minimè præfert, sed omnium, quæ in pecuniosi hominis vita reperiuntur, illud optimum esse ducit, non aliunde victum quærere, quò vitam sustentare possit; & nulla eum esse auaritiæ turpitudine contaminatum. Non vt pecudes ad pastum nati homines.

Primum igitur, illud erit nobis, hoc in loco, ab initio rerum, Dei præscriptum, memoria repetendum, ille enim cùm nostri generis principes ad rectam viuendi rationem informaret, eos admonuit, tum vt rerum omnium imperium, quod illis tradebat, tuerētur, tum etiam, vt iis, quæ tellus gigneret ad salutem, vitamque conseruandam vterentur. Horum vtrumque Salomon, si in vita moderanda homo pecuniosus, & in re familiari augenda industrius seruet, id eum assecutum esse existimat, quod sit ad corporis salutem necessarium, & ad dignitatem, in ea vitæ ratione, præstantissimum. Nam Gen. 1. & 9.

& rebus terrenis ad vitam sustentandam, vtetur: & illarum cupiditati minimè succumbet: est autem, vt docet Paulus, hæc hominis moderati viuendi ratio, si sit cum pietate coniuncta, quæstuosa satis & maximè appetenda; iis enim malis est libera, quæ miseræ generis nostri conditioni, addidit auaritia: ab ea enim, quasi à perenni fonte, quotidianæ vitæ acerbitates in genus humanum, permanasse comperimus. Nam, vt Paulus inquit, *qui volunt fieri diuites, incidunt in tentationem, in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.*

1. ad Tim. 6.
1. Timot. 6.

Nonne igitur, inquit Salomon, melius est, comedere, & bibere? Hoc est, eos, qui opes in arcam, veluti in carcerem, includunt; easque maximis accessionibus cumulant, curæ solicitos habent, metu frangunt, tristitia excruciant: quid ergo illis in hac vita boni poterit euenire? nihil profectò, nisi vt diuitiarum præsidio, abiectam naturæ nostræ conditionem subleuent, & in eas imperium teneant: quorum postremum (primum enim per cibum & potum significauerat,) vt indicaret Salomon, adiungit, *& ostendere animæ suæ, bona de laboribus suis.*

Est autem verbum Hebræoum ראה inhiphil, vt Hebræi Grammatici vocant, quo Salomon hoc in loco vtitur, orationemque Hebræam, Latinè sic interpres vertere potuisset, *Et facere. vt videat anima tua bona è labore tuo.* Sed multò quidem ille elegantiùs reddidit. ostendit autem animæ suæ bona, qui in pecuniæ seruitute non est, eamque ad liberalitatem confert. Est enim in sacris literis huic verbo, non solùm cognitionis, sed actionis etiam notio subiecta, eo namque Dauid, durissima illa supplicia, quæ fuerunt à Deo, in Hebræorum nationem constituta, & quibus illa exerciata periit, & angores doloresque, quibus Deus. O. M. Christum attriuit, vt per illius supplicia, opus humanæ salutis absolueret, significauit. *Ostendisti*, inquit, *populo tuo dura*: & *quantas ostendisti mihi, tribulationes multas & malas.* Hæc enim in suos Dei imperium prædicant.

Quis ostendere animæ suæ bona dici potest.
Psal. 59.
Psal. 70.

Opulentus quoque homo, si diuitiis, vt ratio postulat, ad victum, & beneficentiam vtatur, in eas imperium tenet; facit enim, vt quæ latebant occultatæ tenebris, lucem quodammodò despiciant, & quæ nullum ex sese poterant fructum edere non mediocris vtilitatis fructum ferant.

*Et hoc de manu Dei est.*

Hæc viuendi ratio, quam Salomon, in homine opulento, cæteris illius rebus omnibus anteponit, nec ab ipso, nec à terrenis opibus exordium sumit: nam insita in homine pecuniæ cupiditas, eum ita impellit, vt moderatione sublata cohibere se, & quo loco velit insistere nequeat: sensuum enim iudicium, animi neruos incidit, eumque quo maior fit diuitiarum accessio, magis inflammat: pecunia verò quantumuis præclara, illius sitim minimè restinguit, sed vehementiùs excitat, *Duæ sunt sanguisugæ filiæ*, inquit Salomon: insita enim in natura cupiditas, dum obedientiam abiicit, & in mentis arce, per Tyrannidem constituta, dominatur, libidinem & auaritiam ex se gignit, & procreat, *dicentes*, inquit ille, Affer, Affer. Non enim satiari possunt, semperque vt sibi aliquid deferatur, imperant. Harum etsi vires sint non mediocres, quas nemo propriis viribus, valeat infringere, auaritiæ tamen sitis multò vehementior existit. Est autem auaritia, vt inquit Tullius, opinatio vehemens depe

Prou. 30.
Ibidem.
S. fixe. l. de diuitiis.

de pecunia, quasi valde expetenda sit, inhærens, & penitus insita, vnde conuulsis: rationis repagulis, cupiditas erumpit, qua liberalis homo, & auarus, pecuniam, vt Aristoteles docet, plurimi facit, eámque honestati præfert, &, vt luculenter Paulus noster asserit, sibi ipse perniciem infert, *Radix enim*, inquit, *omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Cic. Tusc. Arist. l. de virtute. Ethic. 4. 17. 1. Tim. 6.

Huic autem animi ægritudini vix quisquam mederi poterit, eas namque, vt Aristoteles existimat, in nobis vires habet, vt nulla possit adhibita medicina satiari. Nam venereæ voluptatis libidinem, à multis coërceri nouimus, vel quia sint ætate cōfecti, vt erat Sophocles, qui senex, cùm à quodam quæreretur, vteretur ne rebus venereis, se libenter, respondit, est hinc, tanquam à domino agresti, & furioso profugisse: vel quia ipsa, dum voluptatis compos efficitur, contrahitur, sedatáque sui ipsius odium parit. At pecuniæ cupiditas, ætate crescit, & quantò maioribus accessionibus, pecuniæ, cumulantur, tantò vehementiùs excitatur, veluti si ligna, & sarmenta igni subijciantur, cuius incendium, dum materiam igni admoues, nisi insanias, restingui posse desperabis. Quamobrem ratum est illud hominum genus, qui, si in eorum animis effrenata pecuniæ cupiditas insideat, eam à se possint expellere, *Amen dico vobis*, inquit Christus dominus, *diues difficile intrabit in regnum cælorum, & facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*. De ijs enim tunc Christo incidit sermo, de quibus Salomon hoc in loco disserit. Ethic. 4. c. 1. Plat. l. 1. de rep. S. Sixt. l. de diuitijs. Mat. 19.

Verùm quemadmodum discipulis dubium fuit, & quisnam, ita se rebus habentibus: posset cælesti regno potiri, ita & Salomoni, meritò quidem venit in dubium, fieri ne posset, vt ij, qui pecuniæ quærendæ desiderio flagrat, tantum animis incendium aliquando restingueret. Dubium apparet, cùm inquit. *Et hoc de manu Dei est.* Et Christus dubitantibus discipulis, ex eorum animis dubitationem sustulit, *Apud homines*: inquiens, *hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt?* Multis quidem Salomon rebus, Christum effinxit, sed illius sapientiam, videt hoc in loco, quàm expresserit, ex eo enim perenni omnium bonorum fonte, & non aliunde, hoc bonum in diuitem poterit deriuari. Mat. 19.

*Quis ita deuorabit, & deliciis affluet vt ego?*

Cùm illam quam vidimus de diuitiis, & diuite, sententiam protulisset vt eam hominibus persuadeat, in tam multis tantisque se fuisse voluptatibus affirmat, vt nemo futurus sit vmquam Hierosolymæ, qui è maximis opibus eas affluentiùs hauriat. Quamobrem, si quid potuisset in opulenti hominis vita melius præstantiusque reperiri, ei minimè lateret, idque, an diuitiarum magnitudine, an diuino munere existat non ignoraret. Cùm igitur diuiti, pecuniam, vt decet, ad victum cultumque vitæ conferre, optimum esse, idque non nisi à Deo, illi tribui firmissimè asseueret, aliis profectò rationibus omissis, hac vna ducti, illud pro comperto, & explorato habebimus.

*Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & lætitiam.*

Salomon, de homine diuite, quid sentiendum sit, iudicauit, & ipsius

vita, quam boni speciem præ se ferat, ostendit. vt autem rem totam luculentius explicet, iterum, quo discrimine vir bonus, hoc est, verè sapiens, ab improbo, & stulto separetur, indicat: deinde prouidentiæ diuinæ vim commemorat, quæ auari opes, eo inuito, in plurimorum tandem salutem confert.

Virum autem bonũ, cũ non esse ducit, quem fallax hominum opinio, in sapientum bonorúmque numero reponit: neque eum, qui sibi eam laudem vendicat. Sed virum bonum, eum nuncupat, quem Deus, qui falli non potest, integrum, & innocentem esse conspicit, nihil enim est tam inclusum, atque abditum, quod Deo in occulto lateat: nam & si omnes iustos se haberi volunt, & vt tales esse videantur, animi sui prauitatem, multis simulationum inuolucris tegant, & quasi velis quibusdam obtendant, diuinæ mentis aciem fugere non possunt; *Deo* enim inquit Paulus, *manifesti sumus.* At homo à vero iudicio longiùs aberrat quàm verbis explicari possit, tum quia odio, & amore in iudicando ducimur, & fallax imitatio, & simulatio virtutis, nobis veri iudicium tollit: tum etiam cùm nos ipsos nimis diligamus, si de rebus nostris, iudicium sit à nobis faciendum in eo facillimo negotio labimur. Quamobrem sapienter Paulus, cùm vitam innocentissimè egerit, integritatis, & innocentiæ laudem sibi non assumpsit: quamuis enim non solùm à facto, sed à conscientiæ suspicione abesset, quia in huiusmodi negotio, iudicióque vix sine casu, & prolapsione versamur, illud totum Deo cõmittendum esse duxit, *Non enim*, inquit, *qui se commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Meritò igitur Salomon inquit, *Homini bono in conspectu suo dedit Deus.* Hunc autem qui veræ virtutis studio operam nauat cum eo, qui à recta viuendi ratione abhorret, deinde confert.

Hebr. 4.
2. Cor. 5.
1. Cor. 4.
2. Cor. 10.

Tria summi pretij munera, nempe sapientiam, scientiam, & lætitiam, commemorat, quæ Deus probis sanctisque hominibus largitur. Est autem sapientia omnium causarum principij, ex quo oriuntur omnia & extremi, & vltimi, quò referuntur, cognitio: quam *regnum Dei*, Sapiens in eo libello, quem sapientiam inscripsit appellat, sic enim cùm Dei beneficia, in Iacobum collocata refert orationem instituit: *hac autem profugum iræ fratris iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum. Regnum Dei* Iacobo monstrauit, cùm illi in somniis, scala ad cælum vsque pertingens, cui Deus ipse innitebatur, apparuit, & Angelos per eam è cælo in tellurem descendentes, & rursum è tellure in cœlum ascendentes vidit, vt tot ante secula, Christum animo intueretur, per quem Angelorum ministerio, erat generi humano in cœlum aditus patefaciendus: Sic enim hunc Geneseos locum ipse Christus Dominus Nathanaëli explicuit, inquiens, *Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis.* Est autem Christus, vt inquit Paulus, *imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnẽ plenitudinẽ diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris,*

Sap. 10.
Sapientiæ quæ sit cognitio.
Gen. 28.
Ioan. 1.
Colos. 1.

*terris, siue quæ in cœlis sunt.*

Cùm igitur ex hoc principio, vt docet Paulus, non solùm rerum omnium naturæ, siue in terra, siue in cælo exortæ, in illius virtute consistant, sed ex eo etiam, beatis illis mentibus, quæ sunt ab omni corporis concretione segregatæ, & hominibus, aditus ad Dei gratiam, & ad diuini generis & cælestis hæreditatis adeundæ, ius pateat, sapientiam, apparet, eam esse Christi cognitionem, quam vir iustus, & sanctus à Deo accipit. Eam autem actio rerum consequitur, in qua omnis laus virtutis consistit. Quamobrem, hoc in loco Salomon sapientiæ, addidit scientiam, quam in oppido Gabaon à Deo petierat, *vt ingrediar*, inquiens, *& egrediar coram populo tuo*. Et in ijs, quas sapiens apud Deum fudit, precibus, perfectam sapientiam, ex vtraque conflatam esse asserit. *Mitte*, inquit, *illam*, (nempe sapientiam) *de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam, quid acceptum sit apud te, scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobrie, & custodiet me in sua potestate*. Esset enim hæc manca, & debilis cognitio, nec nostræ naturæ conueniens, si nos ad actionem non erudiret: non enim ad otiũ, & desidiam nati sumus, cùm nostri generis princeps, ad imperium conditus fuerit, & in amœnissimo horto collocatus, ad virtutis laudem, quæ in præclaris est actionibus, fuerit præceptis diuinis institutus: & in nobis ipse naturæ architectus, omnium virtutum semina incluserit, & quales nos in actionibus esse oporteat; in animis nostris mirabiliter informauerit.

2. Paral. 1
Sap. 9
Gen. 1.
Gen. 2.

Rem hanc hominibus aperientem, Dei sapientiam Salomon, in hunc modum loquentem inducit, *Meum est consilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo, per me reges regnant, & legum conditores, iusta decernunt, per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam*. Hinc autem non mediocris oritur voluptas, qua animus perpenditur, cuius Salomon tertio, post scientiam, loco meminit. Prou. 8.

Est, autem, vt diximus, duplex genus voluptatum, sunt enim quædam puræ, quas natura duce appetimus, impuræ verò aliæ, ad quarum nos cupiditatem, praua consuetudo viuendi, & egestas animi trahit. Pura voluptas, est operatio, quam nihil impedit, habitus illius, qui naturæ congruit. Nihil autem in homine est, sapientiæ habitu magis excellens, & præstans, cuius quidem operatio, sibi ipsa impedimentum non affert, quominus duratura permaneat; quo enim ea magis animum afficit, eo mens humana vehementiùs excitatur, vt in sapientiæ studio longiùs progrediatur. Quare cæteris omnibus maior, ea voluptas, quæ à sapientia in hominum animos permanat, erit meritò existimanda, quam spes futuri boni, quod nunquam sit interiturum, complet: optimè enim Pindarus, vt nostros omittam, vi naturæ ductus asserebat, eum, qui sanctè piéque vitam egisset, optima spe duci, quæ quidem animum pascat senectutem grauissimo mortis appropinquãtis, & iam planè instantis, onere leuet, & animũ, quem variæ cogitationes exagitant, moderetur.

Duplex voluptatũ genus: aliæ puræ; aliæ impuræ.
Plat. de sum. bono.
Arist. Ethic. 7. c. 2. & 13.
Plat. de rep. 1.

*Peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, vt addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo. Sed & hoc vanitas est, & cassa solicitudo mentis.*

In rerum omnium copia, fuit genus humanum à Deo, è nihilo procreatum, cùm verò in illud, peccati Tyrannis inuasit, omnia sibi deesse sensit, Gen. 1. Gen. 2.

adeo

adeo vt filiorum contextu, corpori tegumentum facere cogeretur inopia. Quemadmodum autem, ex ea tyrannide, omnia mala quæ genus nostrum afflictant, quasi è perenni fonte emanant, sic & egestas paupertásque initium sumpsit. Illam, vt effugerent, qui viribus pollebant, ea, quæ maiorem sibi vtilitatem allatura videbantur rapiebant, vnde diuitiarum nomen extitit, quasi necessaria, diuiti suppeditarent. Eorum verò aliqui, vt opulenti fierent, singulari Deus consilio permisit, ne genus nostrum, peccati Tyrannide oppressum, cùm in summa esset mēdicitate, periret, ita enim diues opibus abūdat, vt multis ad victum cultúmque indigeat: is autem qui indigens est, vt sibi victus cultúsque suppetat, operas diuiti præstat: quo effectum fuit, vt humani generis egestati, remedium adhibitum esset, & quia id vitæ necessitas efflagitat, inter homines societas à naturæ opifice constituta, culta permaneret.

Greg. Nazian. orat. de amore paup.

Theod. ser. 34. de prouid.

Verùm ita se homines quidam, diuitijs cumulandis tradunt, vt illis nec manus audeant admouere; hinc egent, afflictantur, & tandem miserè pereunt. Cùm enim vt diximus, peccati tyrannis, omnibus nos bonis spoliauerit, reliquum erat, vt quæ ad vitam cultúmque corporis nobis opus essent, quæreremus, at hi in seipsos, & in genus humanum, omni tyrannide diriores, ea, quæ hominibus subsidio, esse possent ab oculis omnium procul auertunt, & quasi in carcerem conijciunt: ne verò inde illis exitus vllus pateat, qua cura, quo studio prouident? Acerbissimus autem eorum in pecuniæ studio cruciatus, ex eodem fonte, vnde indigentia nostri generis fluxit, in eorum animos, deriuatus influit; in sceleris enim crimen, fuit hominibus à Deo supplicium constitutum, vt tellus, non nisi spinas, dumetáque eis gigneret, eiusdem quoque supplicij causa, *In sudore*, inquit, *vultus tui vesceris pane*. Quare solicitudines illæ, quibus eorum animi, dies, noctésque exeduntur, à Deo importari meritò ducuntur.

Gen. 3.

Quamobrem *peccatori*, inquit Salomon, *dedit afflictionem*, & *curam superfluam, vt addat, & congreget*. Non enim illi Deus, eam mentem iniecit, sed cùm se ipse sponte, pecuniæ seruituti tradidisset, turpissimæ seruitutis conditionem subiit, in qua, vincula, plagas, verbera, & acerbissimos cruciatus sustinet, quæ ipsa seruitus secum, his hominibus affert; & quod grauissimum huiusce voluntariæ seruitutis supplicium extat, quò magis miser homo, sitim satiare nititur, eò ardentiùs sitit: hoc enim illum supplicio sanctissimus iudex coërcet, quod ei, ipsius effrenata, & proiecta cupiditas diuini numinis satelles, & instar torris infert. Ideo non nisi *peccatori*, qui scilicet auaritia fertur, *dedit*, inquit Salomon, *afflictionem*, & *curam superfluam*, quia in suo eum Deus vitio plectit, & in auaros, ipsam auaritiam, pœnam constituit.

In auaros ipsa auaritia, pœna constituta.

Cùm autem rerum humanarum curam, illarum moderator Deus, non intermittat, opes, quas his hominibus, vt ad præscripti diuini normam dispensarent, ipse tradidit, ab illorum manibus, vel ab illorum posteris, cùm sibi videtur opportunum, extorquet, eásque viro probo, dispensandas ordine, & iudicio diuino dabit, sic enim ius diuinum postulat; *Quis putas*, inquit ille, *est fidelis dispensator*, & *prudens. quem constituit dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? quòd si dixerit seruus ille in corde suo, moram faciet dominus meus venire, & cœperit percutere seruos, & ancillas, & edere, & bibere & inebriari, veniet dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora,*

Chris. hom. 34. ad Ant.

Luc. 12.

*qua*

*qua nescit, & diuidet eum, partémque eius cum infidelibus ponet. Vt tradat ei*, inquit Salomon, *qui placuit Deo.* Æquum enim est, & rationi consentaneum, vt qui se, ad Dei similitudinem effingit, diues sit, & opulentus: is namque optimus erit diuinæ benignitatis administer. Quis enim bona hæc, quæ Dei sunt, veluti vectigalia quædam, & res familiaris, eo meliùs, ad cæterorum hominum salutem, & conseruationem administrabit? Quamobrem Dauid, in homine probo, diuinæ legis studium, & opes, ita inueniri affirmat, vt hæ virtutis laudem consequantur. *Quis est*, inquit; *homo qui timet dominum? Legem statuit ei, in via, quam elegit, anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hereditabit terram.* Et Moses, iis, qui legibus, quas ipse Dei nomine tulerat, paruissent, easque obseruassent, opes eximias pollicetur: & quod hominibus Christianis, qui supera æternaque suspiciunt, infima hæc perituraque cõtemnunt, mirum videri potest, ipse à quo lex omnis initium duxit, Christus Optimus Maximus, suis, qui hæc terrena & cætera externa bona, vt eum sectarentur, amiserant, fore promisit, vt ea multis accessionibus aucta, dum in hac vita ipsi manerent, à se tradita obtinerent; sic enim apud Matthæum, ad suos, qui ex eo quærebant, quænam eorum esset futura conditio, orationem habuit, *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Psal. 24.
Deut. 26.
Matt. 19.

Ne verò tantùm in alia vita, his beneficiis, quæ diuina, & nunquam interitura significant, eos augendos esse putaremus, Marcus eleganter admonuit, sic enim Christi orationem refert. *Amen dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum, nunc in tempore hoc, domos & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.* Hac autem oratione, & si Christus suos hortatur, ne in doctrinæ suæ studio, quod semel totis animi viribus susceperant, sese aliquandò negligenter gererent; néue; in iis malis, quibus exagitandi erant, quia se ipsos, vt illum sequerentur, rebus omnibus spoliauerant; (domum enim, & si quæ erant fortunas reliquerant;) omni vitæ præsidio se orbatos putarent, futurum prædicit, vt illis plurimorum domus fortunæque paterent. Ex eodem loco Augustinus, argumentum deprompsit, quo Manichæi proiectam audaciam coërcuit, & diuitias Christi doctrina minimè damnari ostendit, cum ipse suis eas promiserit.

Marc. 10.
Theoph. in Marc. 10.
Aug. contr. Adiman.
Contra Manichæos argumentũ.

Mosis igitur, & Christi disciplinæ congruenter Salomon, & conuenienter asserit, terrenas opes ab improborum manibus, sanctissimo iudicio ereptas, iustis & probis hominibus, optimis nempe administratoribus, fore à Deo committendas. Nam pro iure suo ab improbis Deus opes diuitiasque repetit, vt enim generis nostri principem, in commissi sceleris pœnam, opibus meritò nudauit, ita in illos eodem scelere astrictos, animaduertens, eos bonis euertit: improbos autem, vel vt resipiscant, vel etiam ne sceleratiores sint, probos verò, vt se ipsos, suosque sustentent, & opem indigentibus ferant; diuitiis auget: *Venite*, inquit ille, *benedicti patris mei; possidete paratum vobis regnum, à constitutione mundi; esuriui enim; & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me, nudus, & operuistis me, infirmus & visitastis me, in carcere eram & venistis ad me.* Et Paulus; *Diuitibus huius sæ-*

Basil. orat. 14. de diuite & paupe.
Matth. 25.
1. Tim. 16.

*culi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thezaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant bonam vitam.*

Addit Salomon, *sed hoc vanitas est, & cassa solicitudo mentis.* Nempe quia insita in natura vi, diuitiæ diffluunt, & instar fluminis, vt inquit Basilius, qui è loco alto, & præcipiti delapsus, ripas alluit, & an eos, qui in illis confident, fluens, sese applicat, momentoque temporis deserit, incredibili enim cursu, in mare, aquæ properant, diuitiæ de loco in locum commigrant, nam fundi, domusque quotidie dominos commutant, à quibus nunc hoc, nunc illo nomine appellatur: pecunia verò ita fluit, vt faciliùs aqua teneri manibus possit.

Basil. de diuit & paupere.

# CAPVT III.

*Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub sole.*

Plat. 4. de leg.



SApienter quidem Plato res humanas à Deo omnium opifice, non solùm perfici asserebat, sed eas à temporis opportunitate pendere plurimum, affirmabat, vt si harum causarum aliqua desit, in actionibus ipsum decus, quod in officij ratione maximè cernitur, tenere minimè possimus: tertiam his ipse, vt aliquid nobis in præclaris actionibus posset laudis tribui, causam, nempe artem adiunxit. Eas multò ante cùm Salomon more suo, dicendique instituto hoc in opere aliquando leuiter tangit, aliquando luculenter commemorat, sunt enim ipsæ, inter se ita connexæ, vt si honestum, & decorum seruandum sit, separari non possint, & de officio si differendum sit, de illis quoque dicere necessariò oporteat.

Hactenus igitur Salomon, nos genusque nostrum in motu, & in non mediocri rerum conuersione versari, & naturam illius nimis esse imbecillam explicuit: de voluptate, de diuitiisque agens, de officio quoque, etsi obscurè, præcepta tradidit. Deum à quo omnis officij ratio ducitur, & artem, quam liberam mentis humanæ vim, ad rectè agendum, mouentem, operisque præclari effectricem appellamus, sæpius perstrinxit: nunc autem de temporis opportunitate, de Deo etiam & arte luculentiùs agit, ita tamen, vt nunquam id, quod sibi probandum proposuerat, prætermittat.

Vt ergo summam in nostris rebus inesse vanitatem ostendat, eas adeo esse temporis mutationi subiectas asserit, vt qui voluptatem sectatur, semper in voluptate esse non possit, & qui diuitias cumulat, eas necesse sit, vt aliquando disperdat, & dissipet. Hoc autem, quod temporis iniuria stultis euincit, vir sapiens, cùm Deum in vita moderanda ducem sequatur, eamque temporis opportunitati accommodet, ipse sibi ordine, & iudicio efficiendum præscribit, nulla enim temporis iniuria, ei voluptatem, diuitiasve eripit, sed ipse quia sic officij ratio postulat, nunc voluptatem fugit, nunc eam vt hominem decet, amplectitur, diuitias, in victu vestituque parcus, tempori suo seruat, vt illis honestè magnificéque vtatur. In stultis ipsa temporis vicissitudo dominatur;

sapien

sapiens verò ad illius veluti normam, se ipsum moderatur, quamobrem in vtriusque vita, vanitas inest: ea quidem in homine sapiente, lumen, & splendorem sapientiæ, miris accessionibus auget, stulto verò miseriam cumulat.

*Omnia* igitur, inquit Salomon, *tempus habent*. Primùm quidem in agendo, à nobis prudentiam requirit, est enim quædam prudentiæ, vel non minima, ipsius sapientiæ pars, illa, quam Stoici appellabant, scientiam rerum earum, quæ aguntur, aut dicuntur, loco suo collocandarum: locum autem actionis, opportunitatem temporis esse dicebant: cuius ignoratio non mediocrem, miseræ nostri generis conditioni, malorum accessionem affert. Cùm enim in tellure peregrinemur, peregrini autem, atque incolæ officium sit, nihil præter suum negotium agere, nihil de alieno inquirere, minimeque esse de aliena republica curiosum, non mediocri reprehensione digni erimus, si vt indigenæ, in patria degentes, hæc infima curemus: *quoniam dum sumus in hoc corpore*, inquit Paulus, *peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Quid igitur miramur, nos tot malis vexari, cùm nostræ ciuitatis immemores, alienæ institutis vitam moderemur? Quis autem non videt, nos temere, in peregrinatione, ne dicam in exilio, toto pectore, vt dicitur, ad voluptatem, diuitiasque incumbere? Non enim hoc fert peregrinatoris tempus. Hinc curæ tristissimæ, quæ animos exedunt, hinc ægritudines; cupiditates, molestiæ, doloresque acerbissimi oriuntur, qui vitam miserrimã efficiunt. Cic.1. de offic. Cic.1. de offic. 2. Cor. 5.

Deinde Salomon, etsi idem aliis verbis repetat, cùm inquit, *& suis spatiis transeunt vniuersa sub sole*: de temporis tamen breuitate nos videtur admonere, vt est illud Pauli. *Hoc itaque dico fratres, Tempus breue est, reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi.* 1. Cor. 7.

*Tempus nascendi, tempus moriendi; tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est. Tempus occidendi, tempus sanandi, tempus destruendi, tempus ædificandi. Tempus flendi, tempus ridendi, tempus plangendi, tempus saltandi. Tempus spargendi lapides; tempus colligendi. Tempus amplexandi, tempus longè fieri ab amplexibus. Tempus acquirendi, tempus perdendi. Tempus custodiendi, tempus abiiciendi. Tempus scindendi, & tempus consuendi. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tempus dilectionis, & tempus odij. Tempus belli, & tempus pacis.*

Hanc orationem Hebræi de gentis suæ ortu, & excidio, de rebus prosperis & aduersis, interpretantur. Gregorius Neocæsariensis, his temporum vicissitudinibus, hominis vitam ex alio in aliud mutari, & contrariis rebus quodammodo temperari, Salomonem putat, hac orationẽ persuadere voluisse. Has autem temporum vicissitudines, quibus motu quodam versamur, ita Salomon refert, vt vitam hominis, in quatuor videatur partes distribuisse: quarum primæ, tum in homine, tum etiam in animantibus, & in iis, quæ arte fiunt, ortum & occasum complectitur. Eam Hier. Ecc. 3. Greg. ibid. Bonau. ibi.

vitæ status consequitur, quem vel res aduersæ conuellunt, vel prosperæ constituunt.

Quamobrem postquam rerum omnium ortum, & occasum commemorauit, *Tempus*, inquit *flendi*, *tempus ridendi*. Deinde, quia vt iis, quæ possidemus, rectè vtamur officij ratio postulat, *Tempus*, inquit, *amplexandi*, *tempus longè fieri ab amplexibus*. Postremò, quia illam officij rationem, quæ in societatibus seruandis maximè cernitur, reipublicæ, & priuatorum hominum tempora, mutari cogunt, *Tempus*, inquit, *tacendi*, *tempus loquendi*. Horum autem, quid magis sit Salomonis orationi, & sententiæ conueniens, in paraphrasi diximus. Ne verò quis in ea aliquid offendat, hoc in loco apertiùs vt illa explanarem constitui, quæ cùm aperta sint, explicata satis esse videbantur. *Tempus amplexandi*, *& tempus longè fieri ab amplexibus*. Temporum varietas, ad officij rationem pertinet, id enim, quod est hoc tempore honestum, alio est turpe, & reprehensione dignum. Sic res humanas tempus variat, & mutat. Liberos procreandi cupiditatem, in hominibus, naturæ opifex inseuit, & cõiugia virorum & vxorum, natura esse coniuncta voluit: est tamen ad vxores ducendas, & ad operam dandam liberis, tempus aliquod idoneum, quod cùm abierit, officij mutata ratio erit.

Quo in genere præclarum est illud Tobiæ iunioris, & omni memoria dignum, cui Sara Raguelis filia in manum conuenerat, neque tamen æquum sibi visum fuit, & si in eodem lectulo iacerent, cum ea commisceri, nisi prius vterque procurata religione se cum Deo coniungeret, quod his verbis Sacer
Tob 8. historicus refert, *Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei, Sara surge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur, tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio, filij quippe Sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.*

Gen. 2. Vt verò ad generis nostri, initij, memoriam, animos reuocemus: Adamum è luto fictum legimus, animantibus nomina imposuisse, quod summæ sapientiæ Pythagoræ visum est: correptum deinde somno, multa diuinitus
Ephes. 5. percepisse, quæ propriis viribus consequi nunquam potuisset: cui postea diuinæ sapientiæ muneribus ornato, Deus vxorem adiunxit. Sic tempora postulabant vt priùs maximarum fuerit rerum doctrina ex cultus, & castimoniæ laude præcellens, quam ex Dei sententia haberet vxorem. Prima quoque postea eodem tempore, & hominum societas in coniugio, & sine eo, animi castimonia, & corporis eluxit; eiusdem enim temporis ratio, (tanta est rerum nostrarum inconstantia, & varietas,) vt ad generis humani propagationem, Cainum ad vxorem ducendam impelleret; & ad eiusdem generis splendorem Abelem ad castitatem hortaretur. Ipsa quoque diuinitus sancita lex iussit Hebræos casto ad Deum corpore, & animo adire, ipse verò, qui eam tulit, Deus, fore, est eisdem pollicitus, si eam obseruarent, vt neque homo, neque
Exod 23. fœmina esset inter illos sterilis: Iuditham tamen viduam, quæ liberis carebat,
Deut. 7. & post viri obitum, in nullius fuerat matrimonium collocata, Pontifex ma-
Iudith. 15. ximus, summis, ob castitatem laudibus extulit: ita in motu sunt omnia, & tempori obediunt.

*Tempus scindendi, & tempus consuendi:* Vestitum Hebræi scindebant, cùm suorum mortem lugebant, hoc enim Iacobum fecisse, Moses refert, cùm Iose-
Gen. 37. phum lamentabatur, quem à fera, & immani bellua, fuisse dilaniatum credebat.

bat. Erat illis etiam in more positum, vt is, cui grauis aliquis, & miserabilis casus inciderat, eodem eum ritu deploraret, quod de Iephte sacer historicus scribit: hunc etiam Iosue morem, & consuetudinem, seruauit, cùm pars illa exercitus, quam ad vrbem Hai irruendam miserat, suorum cæde, in fugam versa omnem exercitum Hebræorum metu fregit, & debilitauit. *Tempus* igitur *scindendi* est illud quod nos, ob nostrorum interitum, ad luctum vocat, aut quia acerbus aliquis in nos casus incurrit, aut summum sit periculum, ne Respublica à statu suo concidat. Alterum autem nos *tempus consuendi*, ad lætitiam vocat. Ahias quoque diuino instinctu, & afflatu, pallium quo erat indutus scidit, vt Ieroboamo antè denuntiaret, vt tribuum, quæ Salomoni parebant, illius filij, & hæredis Roboami, decem imperium recusarent. Sunt enim diuersa quoque regnorum tempora, & naturales, vt docet Plato, rerum publicarum conuersiones, quemadmodum enim cæteræ res omnes, quæ oriuntur, ita sunt illæ in motu vertuntur, mutantur, & occidunt. Ipsi etiam hominum mores temporis diuturnitate, eos consuescunt, motus mutationésque molliri, quibus Respublica, vel afflicta iaceat, vel vt aliquo possit modo erigi, ad externos imperium deferat, qui in ea moderanda, prudenter, & moderatè se gerant: non enim, vt ait Plato, è quercu, sed ex hominibus respublica constituitur: si igitur tempus eorum mores immutat respublica, non eodem semper statu manebit.

Iudic 11 Iosue 7 3.Reg 11. Plato de republ.3.

Vt verò aliarum rerum publicarum mutationes omittam, Hebræorum, quibus fuerit fluctibus agitata, & quoties in hostium imperium ditionémque ceciderit, sacræ literæ continent. Iam verò ea reipublicæ species, quæ regnum appellatur quamuis status illius, fixus ita, fundatusque esse videatur, vt moueri non possit, sæpe illam, quæ in eo lucebat, formam non habet. Rex enim, si ad voluntatem suam, & eorum qui in maxima cum eo sunt gratia, omnia dirigat, cúmque illud officij munus sustineat, vt Rempublicam ita moderetur, & administret, vt pater filios curat, & pastor oues custodit, ille se in eo, superbum præbeat, eo, odium in se concitat eorum, quibus imperat, quorum poterat præsidio respublica stabiliri, & sapientia ita gubernari, vt rebus omnibus tandiu floreret, quandiu, & humana ferret conditio: ab iis autem relictus ad exitium rex præcipitat, sibi, & regno, & patriæ, interitum affert. Quid si nullis sit sapientiæ ornamentis instructus? à suis quidem & ab hostibus contemnitur, vt facili negotio, deiici de statu possit, Nónne hæc temporum diuturnitas affert? testis est Hierosolymitanum regnum, quod Dauide, & Salomone regibus floruit, Roboamo verò regnante ex eo statu concidit.

Arist. pol. 3. c. 10.

Est ita que *tempus scindendi*, in quo quisque, vt diximus, suam reipublicæ cladem luget: est illud etiam, quod ea, quæ stabilita & fundatissima esse videbantur conuellit, & regnum in partes secat, vt nationes, quæ sub vnius erant imperio, plurimorum regum ditioni, & potestati condonet: eas deinde *tempus consuendi*, commiscet, & ex illis vnum efficit, vt sub vno sint regno, quod vni deferat.

*Tempus dilectionis, & tempus odij* Charitatem, qua se homines diligant, natura gignit, summa est enim inter eos, sanguinis coniunctio, & eiidem parentibus nati, genus suum tueri, tantùm quantùm quisque potest, nituntur. Sed quis de odio, quo inter se dissident, non admiretur? non enim

illud cum amore existit, qui ab initijs nostri generis profectus, ad beneuolentiam nos coniungendam, impellit, nam eos, in quos odium habemus, extinctos esse cupimus. Ita verò res nostræ vertuntur, & ad omnem rationem temporis mutantur, vt ad quorum nos beneuolentiam natura ducit, eam illis tempus adimat. Rationem ira quodammodo sequitur, quia tunc ira incitamur, cùm nos ab aliquo despici, ratio non adhuc sibi constans, denuntiat: odium verò, cuius est particula quædam iracundia, magis rationi, quæ animi cupiditatibus imperat, obedit: est enim ira cum dolore coniuncta, quo odium vacat, quare illa vehementiùs animum perturbat, & ad vlciscendum antè præcipitat, quàm ratio omnia prouideat. Non sensu igitur odium, sed ratione concipitur; quæ si ratiocinando, à veritate non aberrat, quod faciendum sit, præcipit, & quod fugiendum, vetat.

Arist. 2. Rhe. 6.
Arist. 7. Eth. 6
Arist. 5. Pol. 10.

Quamobrem est aliquod iustum, & debitum in aliquos odium, quod ratio, dum vacat, perturbatione, concitat, vt est illud, quo omnes improbos odimus, quia improbitas, generi nostro, quod tueri natura nitimur, perniciem affert. Et nos ipsos odisse oportet, simul & diligere, dum enim nobis, insitæ libidines, faces admouent, quis eam animi partem, periisse non cupiat? illius quidem, vt sibi quisque charus est, eum, odium tenet, *caro enim*, inquit Paulus, *concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur.* Is igitur, qui mentis suæ statum seruare nititur, in eo totis viribus pugnat, vt sensus comprimat, illorúmque tyrannidem extinguat: hoc enim in nos ipsos odio, eximia charitatis vis, qua nos ipsos diligimus, & diuinæ sapientiæ laus, continetur. *Qui odit animam suam in hoc mundo*, inquit ipse parens sapientiæ Christus, *in vitam æternam custodit eam.*

Gal. 5.
Ioan. 12.

Etsi verò natura nos ad mutuam beneuolentiam, societate deuinxit, eadem nos, eos qui iniuria perniciem nobis afferunt, omni esse studio, à nostris ceruicibus depellendos admonet, vt in eo non mediocris officij, & decori ratio consistat, si ij, qui reipublicæ præsunt, eos, qui illam perturbant, tollant omnino, & hostes, qui eam armis oppugnant, aut reprimant, aut si possint, occidant; de his enim Paulus ad Romanos, his verbis scripsit, *Non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram, ei, qui malum agit.* Sic enim hominum genus, naturę conditor Deus informauit, vt id, quod sibi esset perniciosum, non solùm respueret, sed deleret funditus, si posset. Ita igitur omnia tempus inuertit, vt ij qui apud aliquos, ob virtutis decus, gratia plurimùm valebant, eisdem in odium veniant. Quemadmodum verò furium genus in odio est omnibus, etsi nemo nostrûm, ab illis iniuriam acceperit, quam vlcisci cupiat, ita id, quod reipublicæ, aut cuilibet nostrû abest, defendendo, & puniendo per magistratus, iure optimo propulsamus, & eos extinctos esse cupimus, qui de reipublicæ exitio, vel de nostro interitu, per summum scelus cogitant: illis enim sublatis, posset reipublicæ salus retineri, & nos ad vitam nostram custodiendam, essemus munitiores. Hoc enim tuendæ vitæ, & salutis studio, non eos malis affici, vt nobis illatam ab illis vlciscamur iniuriam, concupiscimus: nec illud, quod in illis præstans & excellens elucet, & quod à Deo hausimus, interire cupimus, aut eos optamus, sempiterno supplicio excruciari, sed hinc eos discedere, vt tranquillè nos vitam traducere possimus; quod, si illi in vita maneant minimè assequemur: hoc enim Aristoteles esse odium definiuit, cùm iram, vt asserit, ad vlciscendum, dolor & voluptas,

Rom. 13.
Odij definitio.
Arist. 5. Pol. 10.

ptas,

ptas,præcipitem agunt,odium verò,dolore & voluptate carens, illud quod est, ob futurum propulsat, & sublatum esse cupit.

Quare viri omni genere virtutum præstantes, eos oderunt, qui reipublicæ perniciem, vel sibi comparabant, quos Ioannes vir perfectè & planè Theologus haud reprehendit, cùm in tenebris versari illos, & homicidij reos esse iudicat,qui odium in alios habent,quos diligere natura & institutis diuinis tenentur. Eximia est enim illa in alios charitas, qua nos ipsos diligimus, nec quidem maior esse vnquam poterit. At Paulus è corpore excedere,& Elias mortem à Deo sibi optauerat, vt malum, quod eum vrgebat,tolleretur. Si igitur ea, qua nos ipsos diligimus charitate, mouemur, vt mortem appetamus quid erit in nobis criminis, si aliis eam optemus, qui nobis per scelus calamitatem struunt & moliuntur? Non ergo Dauid, & Ieremias, facinoris alicuius crimen susceperunt, cum illis hominibus, qui eos acerbè nimis vexabant interitum à Deo precabantur. Ioannes enim odium damnat,quod ex inuidia iracundiáve proficiscitur, & quod in hominem adeo immane concipimus,vt eum affici malis nobis iucundumq; sit, & alius nō misereamur cùm nostram misericordiam efflagitat,& cùm opis maximè indigeat ei minimè opitulemur,sic enim ille, *Qui habuerit substantiam huius mundi,& viderit patrem suum necesse habere,& clauserit viscera sua, ab eo,quomodo charitas Dei manet in eo?*

Ioan. 2. & 3. Phil. 1. 3 Reg. 19. Psal. 64. Ierem. 11. 1. Ioan. 3.

Salomon autem eos esse vitæ quotidianæ casus affirmat, vt ipsa ratio in eos quos aliquãdo fuimus amore prosecuti iustum in nobis odium excitet, quo eos interire cupimus, vt Reipublicæ salus, & vita cuiuslibet nostrûm seruari possit. Ita etiam bellum, ad quærendam pacem suscipitur: vt si belli causam requiras,nulla,nisi placidissimæ pacis spes esse debeat. Arist. 2. Rh. 6

*Quid habet ampliùs homo de labore suo? vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum,vt distendantur in ea.*

Terrena hæc,quæ homines plurimi faciunt, in cursu sunt ad interitum, neque idem illis status vnquam manet, adde etiam,nobis inuitis, esse tempori seruiendum, vt iis, qui in rebus terrenis studium collocant,sit omnino id desperandum,quod tanto labore se esse consecuturos sperabãt, *Quid habet ampliùs homo de labore suo?* ac si diceret, nullum ex labore fructum excipiet,nisi vt inuitus, temporum inconstantia & acerbitate iactetur, hoc enim orationi antecedenti consequens esse videtur,si potiùs non arbitrere, Salomonem hac oratione significasse, homines frustra laborem in his rebus insumere,quæ nec temporis momento,in eodem statu consistant.

Cur autem non solùm frustra,eorum sit labor insumptus, sed eos vehementer excruciet rationem reddit, *Vidi*,inquit, *afflictionem, quam dedit filiis hominum,vt distendantur in ea.* Hoc in loco supplicium illud,est à nobis in memoriam reuocandum quod in Adamum illius posteritatem à Deo fuit constitutum. *Quia*, inquit, *audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea,cunctis diebus vitæ tuæ spinas,& tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ in sudore vultus tui,vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es.* Nam cùm homines rerum terrenarum studio incensi, eo acerbissimè torqueantur, peccati quidem pœnas luunt, quas sanctissimus Gen. 3.

ctissimus

ctissimus iudex generi nostro, cùm in Adamum animaduertit, statuerat. Quamobrem Salomon, cùm eo studio, plurimum acerbitatis hominibus afferri affereret, meritò addidit, in illà nos, Dei iudicio, versari. *Vidi*, inquit, *afflictionem quam dedit Deus filiis hominum.* Postquam enim Deus hominem sceleris damnauit, pœnam, quæ damnationem consequebatur, ab eo expetiuit, & ab ijs, qui illius vestigiis insistunt, iure optimo repetit, quare à Salomone dicitur *afflictionem hominibus dedisse.*

Hanc autem sceleris pœnam, non solùm vt varijs sint occupationibus, & curis distenti, persoluunt, sed vt ea ratione discunt, liberi arbitrij dignitatem, præscriptis diuinis obediendo, tueri. Illos verò pœna sceleris vexat, dum varijs curis distracti, acerbissimo animi cruciatu afficiuntur. *Vt distendantur*, inquit, *in ea.* Quemadmodum enim terra, in nostri sceleris pœnam, spinas dumetáque effert; ita & rerum terrenarum studium, vnde sibi homines quàm plurima esse bona proficiscenda existimabant, sanctissimi numinis iudicio, innumeros illis labores parit, & cogitationum & curarum distractione ipsi discerpuntur quodammodo, & dilacerantur. Quia igitur pœnam à Deo constitutam persoluunt, hæc illis à Deo miseræ conditionis acerbitas afferri dicitur.

Deut. 28. Similis huic est ille dicendi modus, quo Moses vtitur, vt gentem Hebræam in officio contineat; *Dabit*, inquit, *tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mærore.* Hunc Salomonis locum, non ineptè Chaldæus sic explicat, *Vidi negotium castigationum, & vindictam, quam dedit Dominus filij hominis, qui sunt improbi, vt affligantur in eo.*

*Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus, ab initio vsque ad finem.*

Vnde hoc malum ortum sit, & quare longè latéque in genus humanum se diffundat, Salomon explicat. Primùm si hanc rerum vniuersitatem, consideres, nihil ea pulchrius, & generi nostro commodius fieri posse fateberis: si quæ in ea sunt singula, ad singula, loco & tempore coniuncta contempleris, nihil ad vitæ cultum aptius effingi posse perspicies, quare, *Cuncta*, inquit, *fecit bona in tempore suo.* Deinde si in hæc infima, & in se ipsum homini, à Deo traditum imperium, animaduertas, quod ipse tueri non possit, nisi ea, quæ agit, ad illius similitudinem dirigat; iure optimo hanc mundi fabricam, & pulchritudinem, ei ante oculos fuisse propositam iudicabis, non vt in rerum ignoratione versetur, sed vt certam viam, & rationem haberet, qua summi principis naturam, vt fas est homini, inuestigaret, & ad illius similitudinem, commissum sibi imperium administraret: præclarè quidem Plato, vt nostros, qui diuino afflatu, hæc nobis tradiderunt, silentio prætermittam, hoc, & si obscurè, in Timæo disseruit.

Quamobrem, inquit Salomon, *& mundum tradidit disputationi eorum.* Quæ autem hæc veri decorique, siue officij, inuestigandi via, & ratio esset, ostendit, cùm addit, *Vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque.*

*vsque ad finem.* In naturæ enim inuestigatione, & si conditoris sui numen percipiat, propriæ tamen mentis angustias cernit, cùm rei quidem nullius earum, quas ille è nihilo condidit, rationem possit exactè cognoscere.

Est autem hæc inchoata sententia, quæ vt perfecta sit, Hebræorum more, nostrique, supplenda erit: id enim rectè consequitur, vt cùm nec rerum minimarũ, exactam cognitionem assequi possit, sapientissimo rerum omnium principi, quem è mundi fabrica, & molitione, optimum esse parentem agnouit, se suáque committat, & ad illius præscripti normam, moderetur. Hoc cùm temere prætermittit, sibique in vita moderanda sapiẽtiam arrogat, frustra in rerum terrenarum studio, non solùm ætatem conterit, sed ex eo labores, molestiásque plurimas haurit.

Commissi igitur sceleris, vt diximus pœnas luit, cùm rerum terrenarum studium, cui se totum dedit, innumera sibi mala inuehit. Eo autem ideo flagrat, quia etsi eum, naturæ vniuersæ contemplatio, & inquisitio inducit, vt autorem, & præpotentem rerum omnium principem colat, ingeniíque sui tenuitatem, ex ea percipit, quid tamen sit, in vita moderanda, præcipuè sequendum libidine ductus sibi ipse præscribit. Sic autem Adami vestigiis insistit, fructum arboris scientiæ, iterum quodammodo gustat, Deo, cui lege [illegible]us naturæ subiecti, debitam obedientiam abiiciendo, sibi temere, ne dicam impiè, boni prauíque scientiam tribuit: quo quidem scelere, quemadmodum eam ille subiit conditionem, vt summo labore, ferróque terram subigeret, quæ sibi ad victum herbas suppeditaret; ita & ipse in rerum terrenarum studio, labore frangitur, vt res nullius ferè momenti consequatur.

Hanc Salomonis orationẽ, sic etiam explanare possumus, vt omnia fuisse à Deo ita condita confirmet, vt si cùm opportunum sit, illis vtamur, plurimum vtilitatis afferant, *Cuncta* namq; vt ait, *fecit bona in tempore suo*, sed cùm nos aliò libido inflammatos traducat, etsi Deus eam nobis mentem dederit, vt rerum naturas perquiramus, etenim *& mundum tradidit disputationi eorum*, quid ratio temporis postulet, minimè cogitamus, & dum libidini potiùs, quàm tempori, nobis esse seruiendum ducimus, quid cuique earum rerum, sit tribuendum, ignoramus; quod Salomon his verbis significat, *Vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.* Hac autem rerum ignoratione fit, vt curis negotiísque distenti, de his rebus acerbissimè affligemur.

Quia verò nomen Hebræum עלם *seculum* significat, ideo septuaginta & duo interpretes, hanc ita Græcè orationem verterunt, *seculum dedit in corde eorum, propter quod, non inueniet homo opus, quod operatus est* Deus, *à principio vsque ad finem. Vt seculum*, nempe quod dierum noctiúmque numero, & annuis cursibus conficitur, cognitũ haberemus, ex eóque disceremus, quàm sint hæc infima despicienda, si enim illud, mundi conuersione efficitur, cur cæterarum rerum naturales conuersiones non erunt. Hanc optimo consilio, hominibus Deus, cognitionem dedit, quam illi quia in malum verterunt, quid hæc mundi conuersio prædicet, quóve hic ab initio, rerum sit cursus haud percipiunt.

Temporis quoque diuturnitatem æternitatémque Hebræo, *seculi* nomine vsurpant; quare non erit nobis temeritati vertendum, si immortalitatis

æternitatísque appetitum in animis noſtris inſitum, & ingeneratum, cauſam extitiſſe dicamus, cur à recto iudicio, in eligendo turpiter aberremus, non
Rom. 7. quemadmodum, vt inquit Paulus, *lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum & iuſtum eſt bonum, quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? abſit: ſed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem.* Ita & immortalitatis æternitatíſque deſiderium, quod mentibus noſtris innaſcitur, dum carnis illecebris corrupti, hiſce rebus infimis, illud explere cupimus, tanto nos impetu, in diuerſa contorquet, vt nullibi nos ſiſtere patiatur, & dũ illius curſum, qui ad ſupera fertur, & æterna, ad infima & peritura inflectimus, clariſſimis rebus tenebras obducit, quamobrem, cùm
Pſal. 18. *Cæli enarrent gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiet firmamentum, & dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*, & non ſint loquelæ,
Pſal. 13. *nec ſermones, quorũ non audiantur voces eorũ; corrupti* tamen homines *& abo-*
Pſal. 48. *minabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum; & homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

*Et cognoui quòd non eſſet melius, niſi lætari, & facere bene in vita ſua. Omnis enim homo, qui comedit, & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc donum Dei eſt.*

Cùm omnia ſint miſeriarum pleniſſima, quæ à nobis ipſis exortæ, communem vitam efficiunt amariſſimam, ſi anteactæ vitæ rationem commutemus, & tali animo ſimus, vt noſtri ingenij tenuitatis conſcij, eò quò nos huius mundi ornatus, quaſi manu ducit, ingrediamur, plurimum profectò mali erit de humana conditione deiectum. Quamobrem Salomon, ex iis quæ dixerat, ſe comperiſſe aſſerit, nihil in communi vita, ab iis hominibus, qui opibus affluunt, & hæc infima ſingulari ſtudio ſectantur, vel præclariùs, vel commodiùs agi, quàm reiecta opum augendarum cura, quæ animos vehementer extorquet, in iis, quæ victum cultúmque neceſſarium ſuppeditant, lætari, & aliis, vt poterint, prodeſſe.

Præclara quidem & digna Salomone ſententia, quam ſi amplecterentur, non quidem tot tantáque mala, eos vndique ſeptos oppugnarent. Nam cùm tanta ſit animi capacitas, vt his infimis rebus, ne minima quidem illius pars expleri poſſit; ſi nihil ampliùs eo infundant, in egeſtate quidem erit, & fame contabeſcet: at ſi rerum earum curam deponant, veluti cupiditatem fluctibus quodammodo ſedatis, quibus iactabantur, tranquillitas eis, vt humana conditio fert, ſingularis aderit, quæ iucunditatem dignitatémque affert, tunc eis lætitia, vt fas eſt, in hac vita perfrui licebit, cùm, vt vidimus, è rerum terrenarum ſtudio, nihil niſi triſtitiam dolorémque percipiant.

Prou. 13. Hac ductus ratione Salomon, *Iuſtus*, inquit, *comedit, & replet animã ſuam, venter autem impiorum inſaturabilis.* Quamuis enim ij, qui harum rerum ſtudio flagrat, opes ſibi maximas cõgerat, dignitates honoréſque obtineat, ſemper quidem egens, inſatiabili cupiditati ſeruit, huiuſcéque ſeruitutis acerbi-
Greg. Eccl. 3. tate propè intolerabili cruciatur; Quare Gregorius Neocæſarienſis, his verbis, à Salomone putat, animi tranquillitatem, & beneficentiam com-
men

mendari:illius enim animus, quem rerum humanarum cupiditas non exagitat, hac maxima perturbatione animorum caret, & quietis tranquillitatisque compos, aliis salutaris existit:

Ne quis autem Salomonem putaret, ita de vita hominis sensisse, vt id, quod in ea præstantissimum esset, voluptate, quæ percipitur gustu, metiretur, eum, vt explicuimus, de his rebus infimis & perituris, de ijsque hominibus, qui earum sunt studio incensi, de quibus hactenus orationem habuerat sententiam tulisse, Hebræus, & Septuaginta & duo interpretes indicant, sic enim orationem ab eo institutam hoc in loco referunt, *Cognoui, quòd non est bonum, in eis, nisi lætari, & facere bonum in vita sua.* In eis scilicet hominibus, qui veræ sapientiæ studio minimè ducuntur, hoc eximium erit existimandum, adeo vt diuino munere id fieri Salomon putet; qua de re nos iam luculentiùs disseruimus. Eccles. 2.

*Didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum, non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus, vt timeatur. Quod factum est, ipsum permanet: quæ futura sunt, iam fuerunt, & Deus instaurat, quod abijt.*

Si ea, quæ Salomon hactenus disseruit, attentiùs animaduertas, in rerum omnium varietate, summam constantiam retineri perspicies: quæ quidem seruari minimè potuisset, nisi infinita mentis diuinæ vis, in omnium naturas commearet, eásque ita connecteret, vt inter se inuicem partim dissiderent, partim mirificè congruerent, ac se ipsas, dissidio, & sui consumptione alerent. Ex dissimilibus mundi partibus inter se concinentibus, prima enim vltimis, & media vtrisque respondent, eximia quædam mundi species, formáque oritur, qua nihil pulchrius, nihil aptius fieri, aut excogitari potest; eam ipse altor, & conditor rerum omnium Deus, ab initio rerum tuetur, & seruat, vt tot seculis, semper sibi constans eadem permaneat, in eo autem statu minimè consisteret, nisi eius quoque partes singulas, quæ sensim labuntur, ipse rerum omnium princeps, admirandis rationibus reficeret, *Instaurat*, inquit Salomon, *quod abijt.* Ex his autem postremis Salomonis verbis, manifestè percipimus, illum non de mentibus corporis expertibus, neque de constituto à Deo iustis hominibus præmio, & iniustis supplicio, disserere. *Didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus perseuerent in perpetuum.* Ita hoc de omnibus asserit, vt neque ea prætermittat, temporis diuturnitate pereunt.

Quamobrem nomen Hebræum עולם siue perpetuum, de seculo quoque, vt Septuaginta & duo interpretes fecerunt, ob subiectam ei notionem, de qua iam disseruimus, interpretamur. Sic autem illi Græcè verterunt, *Cognoui quòd omnia, quæcumque fecit Deus, ipsa erunt in æuum.* Nam & hæc rerum vniuersitas, iam à sui ipsius initio, adhuc duratura permanet. Quod factum est, ipsum permanet. Et ea, quæ illius complexu continentur, vt sensim ætas conficit, admirabilis rerum vicissitudo, ortúsque restituit. Ea quæ futura sunt, iam fuerunt. Quidquid enim ex ijs fuit, vetustate, aut naturæ vi detractum aliunde suppeditatur, aut extinctis illis, Eccles. 1.

noua integráque alia ſuccedunt. In his verò, quæ intereunt, & occidunt, & ſi vanitas inſit, illis tamen nihil poterat, ad totius mundi pulchritudinem, vt inter ſe membra illius, parteſque mirificè concinerent, aptius effingi: non poſſumus eis quidquam addere, nec auferre. Quamuis enim hæ infimæ res imperfectæ, nec abſolutæ eſſe videantur, & ab optimi perfectione longè abſint, vt mundi tamen ſpecies formáque ſit præſtantiſſima, eas oportuit ſic imperfectas effingi, vt ipſe omnium conditor, ſupera cum infimis, extrema cum mediis temperans, admirabilem concentum efficeret, qui vt faciliùs ſuauiúſque percipi poſſet, in illarum qualibet, inchoatam totius pulchritudinem impreſſit: vnde homines tantæ fabricæ conditorem agnoſcerent: ſic enim conueniebat ad ſummi eos principis cultum amoremque excitari, vt qui rationis eſſent participes, rerum naturas contemplando earumque rationes inueſtigando, ad omnium artificis cognitionem ducerentur, ſi artificium quo ſunt hæc omnia fabricata, conſideres, opificis profectò ſapientiam admirabere: quòd autem ea, ad hominis vitæ commoditatem perfecerit, illius benignitatem, & in genus noſtrum ſingularem beneuolentiã, ſummis laudibus prædicabis: ſplendor verò ſapientiæ autoritatem conſtituit, & beneuolentia, amorem conciliat.

Cur igitur Salomon hæc tam affabrè à Deo facta fuiſſe, vt timeatur, aſſerit? Nefas eſt autem dictu, ſapientiſſimum virum, fuiſſe in re grauiſſima per errorem lapſum, nam & ſi *metus, non ſit bonus*, vt aiunt, *cuſtos diuturnitatis*, & officia timore expreſſa, non diu permanent; ne tamen omnino deſerantur, inſitam in homine poſt peccatum libidinem coërcet, ne toto illa impetu erumpat, ſtrageſque edat, quæ reſarciri non poſſint. Eſt autem optima imperij adminiſtrandi ratio, quæ ex amore timoréque temperatur: eſt enim ad diuturnitatem ſtabilis, quia animos ſecum amore deuincit, & ſenſuum vim, in rectam rationem nefario conatu inuadentem, ſupplicij metu comprimit: Ex iis enim diſſimilibus rebus eſt natura hominis mixta, quas decens, imò & conueniens fuit, à ſummo imperatore rerum omnium Deo, ſtatim cùm eas condidit, temperari, & ad omnem ſic officij rationem informari, ne fortè ſi genus hominum, ſolo voluiſſet timore, in officio tenere, eorum à ſe animos alienaret, & quæ ab illis ei officia exhiberentur, ad breue & exiguum eſſent tempus duratura, vel, ſi metu ſupplicij ſenſuum impetum non cohiberet, illorum vehemens terrenarum rerum apprehenſio, omnia rationis repagula effringeret: quamobrem cùm Adamum generis noſtri principem legibus in vita moderanda inſtitueret, primùm ſuam erga eum benignitatem commendauit, *Ex omni*, inquit, *ligno paradiſi comede*. Deinde, vt illius, in ſanctiſſimum, & beneuolentiſſimum dominum, grati animi officia conſtarent, ne fructum arboris ſcientiæ boni & mali, guſtaret, præcepit, mortíſque ſupplicio ſanxit, *De ligno* inquit *ſciẽtia boni & mali, ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*.

Metus non eſt bonus diuturnitatis cuſtos.

Optima imperij adminiſtrãdi ratio.

Gen. 2.

Hanc diuini in homines imperij rationem, rerum omnium naturæ prædicant, illarum enim inter ſe conſenſus, diuerſæque tum ad ſui perfectionẽ, tum ad interitum, certæ definitæque progreſſiones, ſummi principis prouidentiam, qua omnia in ordinem rediguntur, oſtendunt: is autem, cùm vniuerſo generi hominum, non ſolùm, ſed ſingulis etiam conſulit, animos ad ſe omnium allicit: dum verò præpotentem ſe rerum omnium principem

eſſe.

esse declarat, animis obiicitur metus, ne illum ex cuius benignitate pendent, vt conseruentur, aut pereant, scelere offendant: *illorum* enim, vt docet Aristoteles, *offensam metuimus, qui viribus longè prastant, & perniciem si velint, inferre poterunt*. Quamobrem sapienter quidem Dauid, cùm à Deo postularet, vt se in viam, qua sibi ad beatam vitam, erat ingrediendum, deduceret, ne à diuinis vnquã præceptis, in vita moderanda discederet adiunxit, *latetur cor meũ, vt timeat nomen tuũ*: nemo enim ex iis beneficiis, quæ Deus in genus hominum confert, singularem non percipit voluptatem, ne tamẽ ea ipse vel liquefiat, vel gaudio gestiat, necesse est metu intra officij rationes contineri. Arist. Rhet. 2. Psal. 85.

Etsi autem summum erga Deum, hæc omnia in nobis, amorem excitant, quia tamen genus nostrum, postquam peccato concidit, libidine præcipitat, reliquum fuit, vt illud in officio, supplicij metus, potiùs quàm amor contineret, donec Christi meritis, nouo & inaudito modo renasceretur: adeo vt dũ Hebręorum ille rempublicam componeret, & puram in ea religionem constitueret, eas leges sancierit, quæ illis potiùs metum obiicerent, quàm amorem commouerent, easque merito, *spiritum seruitutis in timore*, Paulus appellat. Rom. 8.

Quamobrem Salomon hanc rerum vniuersitatem tot distinctam generibus à Deo fuisse conditam affirmat, vt homines illius iudicium perhorrescant, ne officij tuendi studium deserant; forè enim iure optimo erat sperandum, vt diuini iudicij metu, ex hominum animis sublato vitiorum omnium genera in eis exorta, ad vitæ communis perniciem, maximorum malorum sementem facerent. *Timor* est etiam animi affectio, qua parentem quisque reueretur, & colit; eam fortasse Salomon *timendi* verbo indicauit, quemadmodum Moses illud vsurpat cùm ad pietatem erga parentes Hebræos hortatur, *Vnusquisque* inquit, *patrem suum, & matrem suam timeat.* Leuit. 19.

*Vide sub sole in loco iudicij impietatem & in loco iustitia iniquitatem.*

Ius & æquitas postulat, vt qui legitimo Dei imperio parere nolunt, ij tyrannidem acerbissimam patiantur, vt malis vexati, nihil ea obedientia salutarius esse discant, qua ad imperij diuini normam viri sancti vitam instituunt: dum enim malis à Tyranno sibi illatis opprimuntur, diuini imperij æquitatem lenitatémque prædicant, & se natura fragiles, plurimisque mentis erroribus imbutos esse fatentur. Huius boni causa, Dauid à Deo precabatur, vt improbis & sceleratis hominibus, legislatorem, qui eos vexaret Tyrannide, constitueret, *qui* enim *veritatem Dei*, vt inquit Paulus, in *iniustitia detinent*, illis potentium iudicio calumniisque peruerti, meritò contingit: inde malorum omnium, quæ genus nostrum opprimunt, initium sumitur; nam cùm Dei timorem homines omittunt, quẽ rerum hæc vniuersitas, tot seculis in eodem statu permanẽs, illorum animis obiicit; fontem bonorum omnium improbè sibi claudunt, & è riuulis, quos sensuum libidine obcæcati sectantur, grauissima & propè infinita mala sibi hauriunt, quorum est illud caput, cuius hoc in loco Salomon meminit. Psal. 9. ad Rom. 1.

Cùm ergo rerum omnium naturas Deus, ideo tam affabrè condiderit, vt genus hominum, cum summo studio coleret, & nihil magis quàm illius offensam pertimesceret, idque contrà euenerit, in tanti sceleris pœnam, *Vidi*

inquit Salomon, *sub sole in loco iudicij impietatē, & in loco iustitiæ iniquitatem.* Nomen Hebræum הרשע interpres Latinus, vt sententiam Salomonis perspicuam faceret, *impietatis* & *iniquitatis* nominibus explicuit, nam apud Hebræum, vtroque in loco, cùm iudicij, tum etiam iustitiæ, legimus impietatem dominari. Est autem locus iudicij, & iustitiæ, vbi ius dicebatur, & iudicia fiebant, illum autem iudicum libido & auaritia peruerterat. Supplicium etiam, quod sceleratis imponitur, Moses *iudicium* vocat, *Ego dominus,* inquit, *qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute, ac redimam in brachio excelso, & in iudicijs magnis.* Et alio in loco *In cunctis Diis Ægypti faciam iudicia.* Hoc est, Ægyptiis ob sceleris magnitudinem supplicio cæsis, filios Iacob in libertatem vindicabo. Etsi verò omnes dum scelus aliquod in nos committimus, diuinum numen offendimus, & ideo impij meritò habendi sumus: *impietatis* enim nomine, scelus omne significari, Mosis autoritate constat, sic enim ille dum Hebræis leges præscribit, orationem habet, *si fuerit causa inter aliquos, & interpellauerint iudices, quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt, quem impium, condemnabunt impietatis.* Ij tamen, quibus est in alios imperium commissum, & in eo administrando, officium desertum, singulari quadam ratione impij appellātur, impium est enim, eos, quos Deus iuri dicundo præesse voluit, vt veluti si Dij essent, cæteris hominibus ius dicerent, præstantissimæ dignitatis, & officij munere, in eorumdem perniciem abiecti; tum quia nata est à Deo omnis potestas, quam ipse in alios his hominibus dedit, vt omni studio, iis, qui in eorū sunt ditione, & potestate, cōsulant, ipsi verò delegati sibi à Deo muneris officium spernunt: tum quia dum iurisdictionem, qua rempublicam sustinere debuissent, venalem habent, Dei, qui alios sub eorum iurisdictionem subegit, vel prouidentiam negant, vel impiè contemnunt.

Exod.6. Exod.12. Impietatis nomine scelus cur cōprehensum. Deut.15. Rom.13. Sap.6.

Salomō igitur, Dei timore sublato, ius omne & iustitiæ decus, fuisse apud homines extinctum, commemorat, vt si ea mala, quæ in genus nostrum iniustitia inuexit, effugere velimus, Dei nos timore, quasi firmissima munitione sepiamus.

*Et dixi in corde meo, Iustum & impium iudicabit Deus, & tempus omni rei, tunc erit.*

Plat.l.1.& 2. de republica. Psal.72. Ierem. 12.

Cùm potentiam libido tantopere se, peccandi impunitate proripiat, & in omne scelus effrenatè proiiciat, philosophis in dubium Dei prouidentia venit, ac de iustitia ita disserebant, vt iniustitiam, longè multúmque iustitiæ præferrent: nec non & sanctissimis viris hic fuit scrupulus iniectus, quē Salomon hac oratione tollit. Quia verò improbi, dum viuunt, ita sui sceleris pœnas luunt, vt non eas, quas merentur, persoluant, illæque in occulto sæpe lateant, infinitæ sapientiæ, qua mundnm hunc Deus moderatur, & regit, fuit maximè conueniens, vt ipse de omnibus non solùm cùm primùm à vita discedunt, sed in generis nostri occasu, grauissimum, in omnium conspectu, iudicium constitueret, illudque multis antè seculis, futurum hominibus prædiceret, ne cui peccandi impunitas dari videretur.

Iam verò à rerum humanarum initio, hominum animis innata vis quædam, de sceleratis futuri Dei iudicij, cognitionē inseuit; eámque ab Adamo

vt

vt suspicor generis nostri principe traditam, sceleris, quo ipse Dei numen offenderat supplicio, funestæque totius orbis clade confirmatam, à maioribus suis singulæ quæque ætates acceptam, multis licèt erroribus imbutam conseruarunt. Hinc inferorum sedes, tartaream plagam, & inexorabiles iudices Minoëm, & Radamanthum poëtæ finxerunt.

*Iustum, & impium iudicabit Deus.* Iustitię decus tunc maximè elucet, cùm vnicuique dignitatem suam tribuimus, & ideo sinu suo, & complexu virtutes omnes coërcet & continet. Ea erga Deum, religio; erga parentes, pietas, vulgò autem bonitas; creditis in rebus, fides; in moderatione animaduertendi, lenitas; amicitia in beneuolentia nominatur. Scelus autem, cùm optimi principis, qui in hominum animis legem, quæ sceleris turpitudinem vetaret, & honestatem iuberet, inserit, sanctissimum numen offendat, impietas, vt iam disseruimus nuncupatur, & vt vir bonus, iustus, sic & sceleratus impius esse dicitur. *Iustum* igitur, hoc est, virum bonum, *& impium*, hoc est, improbum, & sceleratum, *iudicabit Deus*, Vtrunque scilicet, iustis ponderibus examinabit, vt & virtuti, præmium persoluat, & sceleri supplicium imponat.

*Iudicare* in sacris literis sæpe causam alterius agere significat, vt cùm Rachel aduersus suæ dignitatis æmulas, optatum à Deo filium impetrasset, *iudicauit*, inquit, *mihi Dominus & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium*: Et supplicio imposito aliquem excruciare, vt eo in loco, in quo Moses, Deum cum Abrahamo de illius posteritate loquutum fuisse commemorat, *Veruntamen*, inquit, *gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo*: nec non & damnare, vt est illud in libro Exodi, *si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos, & si illi iudicauerint, duplum restituet proximo suo.* Et reum, cui fuerat pœna constituta, eámque damnatus pendebat, sententia absoluere, & ab eo, in quo erat statu, miseriarum plenissimo vindicare, quemadmodum Moses postquam de supplicio, quo gens Hebræa ob perfidiæ scelus, erat afficienda disseruisset. *Iudicabit*, inquit, *populum suum, & in seruis suis miserebitur.*

Indicandi verbi variæ significationes. Gen. 31. Gen. 15. Exod. 22. Deut. 32.

Verùm hoc in loco de re aliqua, iustis priùs ponderibus examinatâ, iudicium facere proferréque significat, vt est illud, *Occurrerúntque Mosi & Aaron, qui stabant ex aduerso egredientes à Pharaone, & dixerunt ad eos, videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere fecisti odorem nostrum coram Pharaone.* Et illud, *Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum, iusto iudicio, nec in alteram partem declinent.* Hoc autem de omnibus iudicium, tunc erit constituendum cùm res ipsa æquitásque postulauerint. Humanæ quidem cogitationes, in obscuro latent, & multis simulationum inuolucris improbitas tegitur, & quasi velis quibusdam ita obtenditur, vt difficilè sit virtutem vitiúmque internoscere, ij quoque, qui opibus præstant, impune in scelere versantur, quamobrem aliquibus videri poterat, iudicium, tum potentium vi, tum humanæ mentis ignoratione de illis omnino tolli. Verùm, vt arbor, quæ in loco irriguo radices emisit, fructum, cùm tempus est, vberrimum edit; & Eliphas, in libro Iobi, *Ingredieris*, inquit, *in abundantia sepulchrum sicut infertur aceruus tritici in tempore suo*; hoc est, illatus in sepulchrum eris, vt aceruus tritici conditus, vt inde cùm opportunum fuerit, promaris: ita in tempus ea, quæ in animi latebris, & quibusdam quasi recessibus agitauimus, ante omnium

Exod. 5. Deut. 15. Psal. 1. Iob. 5.

omnium oculos proposita erunt, & simulationum inuolucris reiectis virtutis decus, & sceleris turpitudo apparebit, *Omnes enim nos*, inquit Paulus,
2.Cor.5. *manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum siue malum.*
1.Cor.3. *Vniuscuiusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.*

Hæc autem acerrimi de hominum actionibus iudicij faciendi tum opportunitas, tum illarum in medio positarum percepta ab omnibus cognitio, quæ suum cuique tribuet, & ipsa præmij, suppliciive, instar fructuum, quos quælibet illarum tulit, perceptio, *Tempus rei*, à Salomone dicitur: in
Psal.74. sacris enim litteris, non solùm cùm decet aliquid fieri, & oportet, tunc ei
Prou.25. *tempus esse suum* dicitur, vt est illud, *Cùm accepero tempus, ego iustitias indicabo.*
Isai.14. *Et mala aurea, in lectis argenteis, qui loquitur verbum, in tempore suo.* Sed cùm
Ioan.7. enitet omnibus, & elucet, vt *prope est vt veniat tempus eius.* Et, *Tempus meum nondum aduenit.* *Tempus* igitur *omni rei tunc erit*, quia dum in hac vita sumus, quidquid cogitamus, volumus, & gerimus, tunc in eo iudicio, quid sit apparebit, & à summo iudice merita recipiet.

*Dixi in corde meo de filiis hominum, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestijs.*

Hominem Deus è nihilo condidit, eúmque ijs ornamentis excoluit, quibus omnium animantium, sibi traditum principatum tueretur, & diuina intueri posset, vnde sibi sapientiam asciisceret, qua supera cum inferis, prima cum vltimis, & media cum vtrisque ita coniungeret, vt suum cuique tribueret, & Deum horum omnium effectorem autorémque ardentissimo studio coleret. Res autem, vt iam disseruimus non ita, vt erat sperandum, cecidit; homines enim superis rebus spretis, inferas suspiciunt, earúmque studio, officium metiuntur, vt ius & religionem tandiu colendam esse ducant, quandiu eos ab illarum cupiditate perceptionéque non auocet. Inde vis in iudicijs, & auaritia cœpit dominari, & religio extingui: inde exortæ tyrannides, potentium calumniæ, ciuium seditiones, fraudes, rapinæ, veneficia, cædésque, genus humanum, opprimunt, vexant, & extorquent. Eos, qui ferro alios cædunt, qui veneficio necant, qui aliorum bona, in domum suam, vi dolóque auertunt, & alia infinita scelera committunt sanctissimus iudex, inultos & impunitos minimè feret; *Iustum* enim, dixit Salomon, *& impium iudicabit.*

Verùm dum in vita manent, ita in scelere versantur, vt peccandi impunitatem assecuti esse videantur: eos autem Deus tandiu scelera sceleribus addere, impune patitur, quemadmodum docet hoc in loco Salomon, vt eos, quos à cæteris animantibus diuinis excultos muneribus secreuerat, ad virtutis decus, & honestatem, à sceleris turpitudine seuocet: Innata enim hominum animis lex, à malo prohibens, & ad honestum decorúmque impellens, interim eos à flagitio deterret, *ostendunt* enim, vt inquit Paulus, *opus*
Rom.2. *legis, scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationem accusantium, aut etiam defendentium.* Quin etiam ipsum Dei numen, animos quodammodo pulsat, ad virtutem excitat, & impellit, vt virtutis decus splendorémque suspiciant; lege itaque, quam in

in eorum animis inseuit, & impulsu, quo eos mouet, vt resipiscant, dum eos patitur in scelere versari, illorum ægritudinibus animi mederi curat, & labes eluere: quod hac oratione Salomon affirmat. *Vt probaret eos Deus*: vt scilicet mundaret, mundosque eos, ex multis eligeret, in quos diuina beneficia conferret, vtrumque enim verbum Hebræum significat: nec multùm quidem verbi Latini notio, ab hac differt, sic enim Tullius. Non tu quidem oderis, sed certè non probes. Hoc Senatus probat, nec populus est in alia voluntate.

Vt igitur eos aliquando probet, qui se flagitiis contaminant, non eos statim punit, sed supplicium, in aliud tempus differt, vt eam tãdem viuendi rationem, quam legi, sibi innatæ, contrariam viderint, & ipse rerum humanarum cursus innumeris miseriis replet, & secum in interitum trahit, diuino instinctu impulsi deserant, & aliam sectentur, quam recta ratio, sequendam esse præscribit. 1. de finib. cont. Rud.

Dum verò hac Sanctissimi iudicis patientia abutuntur, illorum in scelere obstinationem, maximum illud dedecus necessariò consequitur, vt animantibus, quæ ratione carent, similes existant, &, vt loquimur more communi, quia ipse sanctissimus iudex, vt ipsi resipiscant, nolit nunc in eos acerbiùs animaduertere eis misericordiam impertiens, inter eos, cæterasque animantes, nihil interesse ostendit. Si enim diuinam naturalemque legem homo negligat, sensibus, vt rationis expers animal mouetur; quod Dauid eleganter his versibus affirmat, *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus nõ est* Psal. 31. *intellectus, in camo, & freno maxillas eorũ constringe, qui non approximãt ad te.*

*Idcirco vnus interitus est hominis, & iumentorum, & æqua vtriúsq; conditio, sicut moritur homo, sic illa moriuntur; similiter spirant omnia, & nihil habet homo, iumento amplius.*

Si ab homine rationem tollas, quid ei reliqui facis, quo à iumentis differat? nam si eorum interitum respicias, eadem moriendi necessitas, iumenta & homines astringit; quemadmodum enim eundem spiritum ducunt, vt viuant, similiter eo sublato concidunt. Si igitur ad vitæ eorum principium finemque considerandum, animum conferas, eandem ab eis conditionem sustineri, comperies.

Verùm quis homini, conditionem adeo miseram constituit? aut quis eum illam subire compulit? luculenter Salomon, postquam improbitatẽ, in republica dominari, & homines sensuum iudicio, ac si iumenta essent, omnia metiri asseruisset, id, quod quęrimus, nobis ante oculos proponit, *Idcirco*, inquit, *vnus interitus est hominis, & iumentorum*. Quia scilicet, ad diuinæ mentis normam, vnde recta ratio omnis, quæ genus nostrum, à cæterarum animantium genere diuidit, initium ducit, vitam non instituit. Recta autem ratione sublata, quæ hominem Deo similem reddit; is ad cæterarum animantiũ genus, dũ sensuũ iudicio ducitur, in vita moderãda aggregatur.

Eleganter quidem sapiens, in libro, qui inscribitur Sapientia, mortẽ fuisse Sap. 1. nobis ab ipso, quod commisimus, scelere, paratam, his verbis affirmat, *in iustitia autem mortis est acquisitio, impij autẽ manibus, & verbis accersierũt illam:* Sap. 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ.*

*fecit illum, inuidia autem diaboli, mors introiuit in orbem terrarum.* Eum verò ita fuisse prolapsum, vt iumentorum similitudinem gerat, eandem Dauid

Psal.48. sententiam secutus, testatur, *Homo*, inquit, *cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, sicut oues, in inferno positi sunt, & mors depascet eos.*

*Cuncta subiacent vanitati: & omnia pergunt ad vnum locum, de terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur. Quis nouit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum: & si spiritus iumentorum descendat deorsum?*

Omnia, quæ percipiuntur sensu, cùm è tellure effecta sint, in eandem tellurem, vis quædam in natura insita conuertit, vt eò, vnde principium sumpserunt, aliquando redeant. Quamobrem in cursu sunt omnia, & nunquam in eodem statu permanent, ideoque in eis vanitas inest. Verùm, etsi corpora omnia, in telluris sinu, & quasi quodam matris gremio sepulta, in vnum sint coacta locum, hinc tamen humanus animus, aliò, vt iucundiùs, & commodiùs viuat, extincto corpore, proficiscitur, vt illius è corpore discessus, quædam quasi migratio potiùs, & commutatio vitæ, esse videatur.

Hoc autem adeo in obscuro latet, vt rarum fuerit, ætate Salomonis, illud hominũ genus, qui mente & ratione id consequerentur, ideo inquit, *Quis nouit si spiritus filiorum hominum ascendat sursum? et si spiritus iumentorum descendat deorsum?* Quemadmodum Dauid, vt eorum, qui Dei timore, à scelere se continent, miram paucitatem indicaret: *Quis*, inquit, *est homo, qui timet Dominum*? & Isaias, *Quis credidit auditui nostro?* Dum autem in hac ignoratione versantur, & sensuum iudicio vitam moderantur, quid poterit in illis præstans inueniri, quo ipsi à iumentis differant. Eisdem quoque verbis Salomon, improbos ita se in vita gerere affirmat, vt humani animi immortalitatem, aut omnino negent, aut valde quidem de ea dubitent, quos sapiens eleganter, in libro sapientiæ, de hac, in qua sunt opinione, ita disserentes inducit, *Dixerunt impij, cogitantes apud se non rectè, Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis: & non est, qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus quoniam fumus afflatus est in naribus nostris, & sermo scintillæ ad commouendum cor nostrum: quia extinctus cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aer.*

Psal. 14.

Isa. 53.

Sap. 2.

*Et deprehendi nihil esse melius, quàm lætari hominem, in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, vt post se futura cognoscat?*

Cùm improbi ita viuant, vt animum simul cum corpore funditus interire putent, aut saltem id in dubium reuocent, & vita, si quam esse post corporis interitum existimant, quæ, & qualis futura sit, vel ignorent, vel minimè cogitent, consequens est, beatitudinem ab illis in voluptate poni: *Et deprehendi nihil esse melius, quàm lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem*

tem

*tem illius.* Nihil enim ſapienti poterat eſſe clarius,quàm illos,cùm nulla ſibi de animi immortalitate fuerit iniecta cogitatio, ſecum conſtituiſſe, natos ſe ad voluptatem fuiſſe, & in ea felicitatem, quam natura omnes ardenter appetunt,eſſe collocandam.

Hanc eſſe huius orationis ſententiam, erit manifeſtum, ſi antecedentis orationis verba extrema,cum conſequentibus primis coniunxeris. Hoc de illis Salomonem ſenſiſſe, ea, quam ipſe, vel quicumque ſit libri ſapientiæ autor,illis tribuit,oratio demonſtrat:ſic enim illi, poſt ea verba,quæ paulò antè commemorauimus,dicendo progrediuntur: *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioſo,& vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis,coronemus nos roſis, antequam marceſcant, nullúmque pratum ſit,quod non tranſeat luxuria noſtra; nemo veſtrûm ſit exſors luxuriæ noſtræ; vbique relinquamus ſigna lætitiæ,quoniam hæc eſt pars noſtra,& hæc eſt ſors noſtra.* Cùm igitur illi ita ſe gerant,vt nullam ſibi,poſt corporis obitum, aut vitam fore exiſtiment, aut ita ſe arbitrari,factis oſtendant,meritò,hanc illis,de hominis felicitate opinionem tribuit, & in eorum vita, nihil, niſi corporis voluptatem, quod momenti aliquid habeat,ſe reperiſſe affirmat. *Deprehendi nihil eſſe* (in his ſcilicet hominibus,ſi eorum mores,& de animi natura,opinionem ſpectes)*melius,quàm lætari hominem in opere ſuo,& hanc eſſe partem illius.* Sap.2.

*Pars* autem,id quod hæreditatis, vel alio quocumque iure alicui obuenit,apùd Hebræos dicitur, vt eſt illud apud Moſem, *Sumes quoque pectuſculum de ariete, quo initiatus eſt Aaron,ſanctificabíſque illud, eleuatum coram Domino,& cedet in partem ſuam.Ego pars,& hæreditas tua.Pars autem Domini populus eius.* Exod 29. Num.18. Deut.32.

Quid de illorum ſit viuendi ratione, & moribus ſentiendum,Salomon ſe diſſerere,non autem ſuam, de re grauiſſima ferre ſententiam,vt demonſtret,cur hi ita ſe abiiciant,vt nihil excellens, nihil æternum moliantur,ſed vnam voluptatem ſectentur,ſtatim his verbis declarat. *Quis enim,cum adducet,vt poſt ſe futura cognoſcat?* Nõ enim homines tanto ſtudio,voluptuaria quærerent, ſi in futuræ vitæ ignoratione minimè verſarentur, aut cùm animos viuere corporibus ſolutos credant,vitam illam amplecti cogitatione voluiſſent. Quis enim ſi paulò attentiùs de ea cogitaſſet, non hæc infima,& breui poſt peritura deſpiceret,& aliò migraturus,non ea pararet,quæ ibi pro futura ſibi arbitraretur? Hoc quidem voluptatis ſtudium, quo homines flagrant, ignorationem futuræ vitæ, vel eam ſibi in ſuis quotidianis cogitationibus non propoſuiſſe,conſequitur,vt Paulus ad Corinthios ſcribens affirmat, *Si ſecundùm hominem,* inquit,*ad beſtias pugnaui Epheſi,quid mihi prodeſt,ſi mortui non reſurgunt?manducemus,& bibamus, cras enim moriemur.* Huic autem eorum morbo mederi quis poterit? Si enim animorum immortalitatem ignorant, quis eorum mentibus poterit lumen præferre,quo illam poſſint,quam ſenſus minimè percepit,intueri?Si verò eam fore ſibi perſuadeant,rerum tamen terrenarum ſtudio aſtricti, cùm nolint vltra progredi quàm ſenſuum iudicium præſcripſerit, quis eos à ſenſuum conſuetudine ad rerum immortalium conſiderationem auocabit? 1.Cor.15. Iſa.22.

Ab ignoratione igitur, & futuræ vitæ obliuione, quæ horum hominum animos ceperat, eorum tum mores, tum voluptatis studium, initium sumpsit, quorum viuendi rationem, & cur ita viuant, breui hac oratione Salomon nobis ante oculos posuit.

## CAPVT IV.

*Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos. Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes. Et feliciorem vtroque iudicaui, qui nec dum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole sunt.*



EO' Salomon, vnde paululum digressus fuerat, reuertitur, hãc enim rerum vniuersitatẽ, asseruit ideo fuisse ante oculos hominibus propositam, vt eam considerantes, illius quasi parentem Deum inuenirent, eumque summo studio colerent: cuius officij munus in eo docuit metu apparere, quo illum offendere perhorrescunt: deinde eo salutari metu sublato, mala, quæ inde, quasi è fonte deducta, in hominum vitam peruaserant, cœpit luculentiùs enumerare, corrupta nempe iudicia, scelus erecta ceruice volitare, & iustitiam conticescere. Nunc autem potentium effrenatam libidinem, qua in eos irruunt, qui non tantùm opibus valent, & horum miseram conditionem refert. Abiecto igitur diuini numinis metu, potentium libido effrænata, in tenuium perniciem erupit.

Calumniam verò, non litium; Salomon, hic in malis numerat; parum enim erat, si cætera consideres, calumniam in litibus adhiberi: latiùs autem *calumniæ* nomen in sacra scriptura patet, verbum enim Hebræum עשק, nõ fraudem adhibendo calumniari, sed *opprimere* significat, & inde exortum nomen, quod noster Latinus de calumnia est interpretatus, *oppressionem* significat, vt illud Dauidis planè demonstrat, *Redime me Domine à calumniis hominum, vt custodiam mandata tua.* Non quidem in eum virum sanctitatis laude præstantem, his aliqua illata fuerat, quam litigiosus accusator calumniis extraheret, quas ille adeo iniquo animo ferret, vt Deum precaretur, vt eas coërceret, ne à legis diuinæ norma, & præscriptione aberraret: verùm quia potentes, in vi potentiam ponunt, ne ab illis opprimeretur, à Deo, vt sibi opitularetur efflagitabat, vt in vita manens, regno stabilito, religionem, vt cupiebat, ardentissimo studio coleret; & Ieremias, *Hæc est,* inquit, *ciuitas visitationis, omnis calumnia in medio eius.* Hæc autẽ quæ & qualis calumnia fuerit, consequens oratio explicat. *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam iniquitas, & vastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas & plaga.* Eorum nempe, qui tenues & exiguas opes habent, bona, in domus suas potentes auertebant, hãc autem iniquitatem, eorundem sequetur oppressio, siue vastitas, & animo ægri, plagisque confecti

Ps. 118.

Ier. 6.

confecti in miseriis iacebunt: hæc autẽ calumnia, quia Ierosolymã occuparat, *ciuitas visitationis*, erat, in quã scilicet Deus animaduertere constituerat. Calumniæ mala.

Quocumque tamen modo calumniam interpretere, malum est, ex Menandri sententia grauissimum; scelus enim innocenti affingit, & supplicium sceleri constitutum, eum sustinere cogit: si verò ei principum gratia & auctoritas accedat, quãtas, Deus bone, edit strages? Eas eleganter Salomon describit, & dicendo amplificat.

Eorum autem, qui in hæc tempora, & mores inciderunt, adeo miseram fuisse conditionem affirmat, vt eis mortuos longè præferat, vtrisq; verò eos, qui numquam in lucem editi fuere, feliciores habendos esse ducit. Hominẽ præclara quadam, si consideres fuisse conditione generatum, vt mundum contemplaretur, in eóque Deum sanctissimum sui generis parentem imitaretur, eos quidem, qui in vita manent, iis qui ex ea discesserunt, hac vna ratione præferes.

Præclarè quidem, Anaxagoras, eum qui ab eo quæsierat, Cur vita potiùs esset, quàm mors expetenda, cœlum mundíque pulchritudinem intueri iussit, vt vitam ideo esse desiderandam significaret, quia dum viuimus aliquid præclarum discimus, ex iis quæ sensu percipimus. Quid cùm Deũ, siue in nos mala incurrant, siue bonis simus abundantes, imitamur? Viuus etiam canis, vt ipse docet, est mortuo leone melior, natura enim leo, dum vixit, extitit, mortuus autem, natura minimè constat, id autem quod non est nullum momentum habet, & quidquid, id quod est naturã existere, in se boni complectitur, cum iis quæ nos mala circumsepiũt, nulla est ratione conferendum: illud quoque non esse, quod subtili inuestigandi ratione Philosophi disserunt nullo nos sensu percipimus, nec quidem nos, ac si id minimè ad nos pertineat, attingit. Arist. mor. Eud. l. 1. c. 1. Anaxagoras vitam potiùs quã mortem expetendam cur diceret. Eccles. 9.

Is tamen qui è vita discedit, in his, quibus nos vexamur, malis, minimè versatur, vt non tam è vita exiisse, quàm iis, quibus affligebatur, miseriis, videatur finem imposuisse, vt si conditionem hãc consideres, multò quidẽ cum illo meliùs sit actum, quàm cum eo, qui in vita manet: quod eleganter quidem Iob, hac oratione explicat, *Quare misero data est lux, & vita eis, qui in amaritudine animæ sunt, qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudéntque vehementer, cùm inuenerint sepulchrum*? Iob. 3. *Mare*, inquit, *Domine, tolle quæso animam meam à me, quia melior est mihi mors, quàm vita.* 3. Reg. 19. Ioan. 4.

Iam verò felicitate vti nemo potest, quia malis non careat, imò in eo philosophi beatitudinem posuerunt: at qui natus numquam fuit, earum miseriarum, quibus afflictatur, is, qui adhuc viuit, & ille, qui mortem obiit, fuerat affectus, est omnino expers: tum igitur, qui inter viuos numquam fuit, cæteris feliciorem ducimus, quia eam beatitudinis conditionem quam hi consequi non valuerunt, ei mente affingimus. Hinc illud Euripidis in Bellerophonte, ego sanè secundùm vulgo celebratam sententiam, optimũ esse aio, *non nasci hominem.*

Quare Salomon, & vt miseriarum, in quibus ob potentium Tyrannidem versamur, magnitudinem ostendat, mortuos, & eos potius, qui numquam nati sunt, iis, qui viuunt, si ea solùm sit humanæ animaduertenda conditio anteponit.

*Rursus contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi, & in hoc ergo vanitas & cura superflua est.*

Ex eodem fonte, tum inter eos qui opibus abundant, tum etiam inter eos qui tenuiores sunt, inuidia exoritur, cùm enim numinis sanctissimi metum sustulerint, rerum terrenarum studio flagrãtes, iis qui parem sibi viuẽdi conditionem assecuti sint, inuident, si quid, in illis suspiciãt, quo ipsi careant. Nam Deum cùm in vita moderanda minimè intueantur, sensuum iudicio omnia metiuntur & ita se abiiciunt, vt nihil nisi humile & mortale admirentur. Si igitur opulenti, si in honore sint, cùm aliquem sui ordinis hominem vel opibus præstare, vel honoribus antecellere intuentur, ac si ea fuerint sibi extorta vi, intolerabili dolore cruciantur; ea enim ardẽter appetunt, & sibi deberi putant. Nec quidem eodem inuidiæ motu, tenuiores homines carent, sibi enim eandem ob rationem inuident, vnde illud, *figulus figulo*, in prouerbij consuetudinem venit. Quãuis enim animorum sit excellens quædam vis, & propè diuina, eam tamen cùm ad hæc infima homines intendant, & nihil nisi mortale, & caducũ spectent, ea animus consuetudine imbutus, frangitur quodammodo, & debilitatur, vt qui natura erat excelsus, & præstans, sit moribus abiectus, & pusillus: & ideo nihil despicit, omnia suspicit, nihil contemnit, omnia magna & eximia esse putat: hinc aliorum inuidus excruciatur, & mœrore conficitur. Est enim illud animi pusilli, minus sibi, quàm decet, & oportet, tribuere: sic nempe rerum terrenarum studium amplecti, vt illud, quasi normam, ad quam vitam dirigat, & momenta dignitatis perpendat, sibi ante oculos proponat, cùm ipse longè illis omnibus excellat. Qui autem ita est animo affectus, aliis inuidet, vt Eliphas hac breui, sed diserta quidẽ oratione docuit, *Paruulum occidit inuidia*. Hunc enim Latinus noster *paruulum* appellat, quia Hebræus eum פתה nominat, hominem scilicet, qui ad hæc infima oculos cupiditatis adiicit, quos à sempiternis rebus auertit.

[Arist. 2. Rhe.] [Arist. ibid.] [Arist. Mor. Eud. 2. c. 15.] [Iob. 5.]

Est autem inuidentia, animi ægritudo cum dolore suscepta, propter alterius res secundas: nec quidem vnquam dolore vacat, cùm cæteræ animi ægritudines, non omnino voluptate careant, sunt enim dolore & voluptate mistæ, quam sibi misceri inuidentia non patitur, quia aliorum prosperis rebus inuidus dolet, à quibus nullam voluptatem capit, quam si percipit, haud inuidet. Præclarè Salomon, *vita carnium*, inquit, *sanitas cordis, putredo ossium, inuidia*.

[Arist. Eth. 2. c. 7.] [Prou. 14.]

Si igitur ad hanc animi ægritudinem quæ omnes ferè homines premit, animum conferas quàm sit ea vanitati coniuncta, & quibus inuidi exeduntur curis, senties: si verò ad eos, quibus inuidetur, illos quidem opinionis vanitate torqueri, perspicies, dum enim singularem in eo industriam ponunt, vt re aliqua excellant, ipsi in se ipsos inuidiam quærunt; iam, ex iis, quæ diximus, Salomonis sententiam noueris.

***Stultus complicat manus, & comedit carnes suas, dicens, Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi.***

Si

Si diuinarum rerum ignoratione fit, vt numinis metu sublato, nauorum hominum industria, aliorum sibi, inuidiam conflet, num illis est melior cõstitutæ vitæ conditio, qui otium iners amplectuntur? Minimè. Hi enim, & si nemo reperiri possit, quẽ aliqua cura non solicitet, ita otio torpent, vt ne manum quidem moueant, hoc est, ne minimum sibi laborẽ suscipiendum esse persuadeant, otio diffluunt, officium spernunt, & in rerũ omnium penuriam incidunt. Tales Salomon stultos vocat, quia nec in ijs, quæ ad vitã sibi sunt necessaria, comparandis, operam nauãt, nec otium sibi datum, ad veræ sapientiæ studiũ conferunt: Sed in otio inertissimo, & desidiosissimo hebescunt, & ad omnẽ officij rationem languent: quod illis minimè contingeret, si gubernatricem omnium sapientiã sectarentur: aut, si metu sanctissimi numinis ducti, præclaram aliquam oportere otij sui rationem extare arbitrarentur.

*Stultus complicat manus.* Stultus, inquam, quia ob desidiam sit in otio, & rem familiarem, vt libidini seruiat, minimè curet. In eo enim humanæ sapientiæ splendor maximè enitet, si hæreditatem à parentibus relictã, maximis accessionibus augeas, & nominis auctoritatẽ honoribus cumulatã, maiorẽ consequaris. Est autem iners, stultus, quia veræ sapientiæ laudem spreuerit, & fucatã prudentiæ speciẽ, quã homines tantopere admirantur, adeo contemnit, vt ne manũ quidẽ ob illius causam verset. Est nãque *complicare manus*, nihil honestũ, & decorũ moliri: eas enim aptas ad opus, & omniũ artiũ ministras, Deus homini dedit, vnde earũ nomine, omnia, quæ agunt homines, appellamus, vt est illud Abimelech, *in simplicitate cordis & munditia manuũ mearũ feci hoc.* Et illud Dauidis ad Saulem, *Quod est malũ in manu mea?* Qui igitur nullũ opus nauat, *manus* à Salomone *cõplicare* dicitur. Gen. 20. 1. Reg. 26.

*Comedit carnes suas.* Desidem, & libidinosum hominem inopia ponè sequitur, vt eum minùs cogitantem opprimat, ea enim dissipat, vnde sibi victus suppetit. *Carnes* autem *suas comedere*, summam inopiam significat, vt est illud apud Mosem, *Comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum.* Et apud Isaiam, *Et declinabit ad dexteram, & esuriet, & comedet ad sinistram, & nõ saturabitur, vnusquisque carnẽ brachij sui vorabit.* Et apud Ieremiam, *& cibabo eos carnibus filiorum suorum, & carnibus filiarum suarum, & vnusquisque carnem amici sui comedet, in obsidione, & angustia, in qua concludent eos inimici eorum.* Hanc desidis, & inertis hominis conditionem luculenter quidem Salomon, in Prouerbiorum libro descripsit, *Vsquequò*, inquit, *piger dormies, quando consurges è somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas, vt dormias, & veniet tibi, quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Dixit piger, leo est in via, & leana in itineribus, sicut ostium versatur in cardine suo, ita piger in lectulo suo abscondit manus sub ascella sua, & laborat, si ad os suum, eas conuerterit; sapientior sibi videtur septem viris loquentibus sapientiam.* Deut. 28. Isai. 9. Ierem. 15. Prou. 6. Prou. 26.

Est autem illud insitum, & innatum hominibus, vt decorum, rebus omnibus præferant, quod etsi in actionibus sæpenumerò nõ seruent, se tamen illud in vita moderanda sequi, videri volunt, quamobrem iners, inertiam reprehendit, temperantiam verò, & moderationem laudat, vt desidiam suam à reprehensione vindicet: Est autem maximè sapienti conueniens, in omnibus vitæ partibus, moderatum, & temperantem esse, hanc sapientiæ laudem

laudem sibi iners affingit, vt in otio inertissimo, decorum seruare videatur: quamobrem præclaram illam, cæteris hominibus, sententiam prædicat, *Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus, cum labore, & afflictione animi.*

Moderato quidem victu, & cultu, sapiens se quieti tradit, vt datum sibi otium, ad sapientiæ studium conferat, non autem, vt in eo hebescat, & langueat. Sapientiæ verò studio, plurimum tum diuitiæ, tum etiam egestas obest, nam illæ animos, insolentiùs efferunt, hæc autem nimis ad turpidinem abijcit, vt difficillimũ sit, moderationem illam teneri, in qua maximè sapientiæ splendor apparet. Vnde illæ ad Deum Salomonis preces, Prou 30. *Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar; vanitatem, & verba mendacia longe fac à me, mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria.* Diuitias, *plena vtraque manus,* victum verò moderatum, *pugillus cum requie* significat. Hoc autem quod Salomon à Deo enixè postulat, iners homo, & desidiosus, vt vitæ suæ turpitudinem, quónam sapientiæ velo tegat, sibi votis omnibus optasse affirmat, ideóque eam, quam tenet vitæ rationem, cæteris omnibus potiorem duxisse.

Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta & duo interpretes, hanc orationem in duas partes diuidunt, vt posterior, si velis, à superiori sit omnino distincta, sic enim eam referunt, *stultus complicat manus, & comedit carnes suas,* (omisso verbo, *dicens*) *melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi.* Desidioso quidem primùm stultitiam obijcit, quia inertiam egestas consequitur: deinde in opibus mediocritatẽ optimam esse asserit, vt inde auaritiam reprehendi, initium sumat, in eam enim sequenti oratione, quasi gradum faciens, inuehitur. Verùm hanc posteriorem orationis partem, desidioso quoque poteris homini tribuere. Hebræorum enim more, verbum aliquod in oratione sæpe omittitur, quod ab interprete, vt eam luculentiùs explicet, necesse est apponi.

*Considerans reperi: & aliam vanitatem sub sole: vnus est & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis, nec recogitat dicens, cui laboro, & fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.*

In rerum diuinarum studio, est semper vltra progrediendum, quia in eo nihil sit nimium, & vltra quàm oportet, progredi non possit: in rebus verò terrenis, corporisque voluptatibus, mediocritatem teneri ab eo necesse est, qui hominis dignitatem tueri concupiscit. Sunt enim illæ dignitate & virtute excellentes, & nullis terminis circunscriptæ, hæ verò, quia sensu percipi possunt, definitæ. Quarũ etsi contemplatio, hominũ mẽtes, ad Dei cõtemplationem deducat, & dum illarũ naturas sensibus inuestigamus, in infinitatem quãdam, quæ nulla possit ratione comprehẽdi, procurramus, hanc tamẽ illarũ contemplationẽ, mediocritate quadã oportet moderari, vt mẽs nostra, inde quasi gradũ faciẽs vnum illud infinitũ intueri incipiat, in quo

in quo nunquam vltra quàm satis sit, progredimur; quælibet enim illarum extremum habet, vltra quod si progredimur, in vitium necessariò dilabimur.

Si ergo terrenarum rerum naturas perscrutamur, non ita nimis in earum inuestigatione mentem figamus, vt eam inde ad diuinarum contemplationem minimè abducamus; néve id diligentiùs cauendo, ab omni naturæ inuestigatione distracti, otio torpeamus. Quid igitur si in rerum terrenarum naturam inquirendo, ne is, præclarus quidem, animi conatus, nobis vitio vertatur, est mediocritas tenenda, illarum cupiditas non erit ad mediocritatem reuocáda? illud profectò, *Nihil nimis*, erit singulari cura seruandum: si otium amplectimur ne simus in illo otiosi, & inertes; si in victu vestitúque comparando diligentes, & industrij sumus, ne auaritia ferueamus, & illius æstu, eò nos, quò minimè hominem decet, ferri patiamur. In his itaque cæterísque rebus omnibus mediocritas est optima, quam in desidioso homine, vt vidimus, & nunc in industrio, Salomon desiderat.

Duplex est autem auaritiæ forma & species: altera in eo enitet, qui alienorum est appetens: altera in eo, qui nec quando, nec quantum ratio postulat, tribuit: ille hiante, & imminentissima sæpenumerò auaritia, aliena deuorat, nec sitim cupiditatémque explet, *Nec satiantur*, inquit, Salomon, *oculi eius diuitijs*. Hic autem pecuniam tantopere sibi deuincit, & vinculis quasi quibusdam coërcet, vt inde nec sibi sumptus necessarios suppeditet, *Fraudo*, inquit Salomon, *animam meam bonis*. In homine igitur auaro hinc, & inde à mediocritate defectum Salomon eleganter explicat, tam enim ille, auarus habendus est, qui alienum appetit, quàm ille, qui suum ita retinet, vt eos, quos ratio præscribit, sumptus faciendos esse, in animum minimè inducat: auarissimus autem ille erit existimandus, qui tum aliena appetendo, tum etiam non dando cùm oportet, à mediocritate deficit. Arist. Ethic. 4. cap. 1.

Diuersæ hominum conditiones, in singulis diuersam constituunt officij rationem, si quis enim sit pater-familias, & liberos habeat, maiorem in eorum industriam ad familiam sustentandam, tum etiam curam, & solicitudinem in bonis acquirendis, vt amplum filiis patrimonium relinquat, requirimus: at si liberis, & iure hæreditario careat, id erit in eo non immeritò reprehendendum. Quemadmodum verò Salomon, vt inertiam desidiosi hominis explicaret, eum qui nec manum quidem operi aliquando admoueret, commemorauit, eodem modo, vt eam, quæ officium imminuit, in conseruanda pecunia, solicitudinem reprehendat, hominem, cui nec liberi, neque hæredes sint, auaritia tamen flagrantem, nobis ante oculos proponit. *Vnus est*, id est, solus, nemini sanguine coniunctus: ab vno enim numerus initium sumit, ideo & *solum* Hebræi, *vnum*, & *paruos*, *vnos*, meritò nuncuparunt. Eleganter quidem Moses, vt Rachelis amoris vim, quo Iacob ardebat, explicaret, septem annos, quos ille, operam suam Labano diligenter nauauerat, vt Rachelem eius filiam haberet vxorem, *vnos dies*, vt Hebræorum more loquamur, visos illi fuisse narrat: Eodem enim nomine אחד Moses cùm hæc commemorat, & Salomon hoc in loco vtuntur: quod perdoctè quidem Latinus interpres, cùm Mosem latinè redderet, est ita interpretatus, *Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*. Idem interpres hoc loco illius vim

mirificè expressit, & paulo pòst, cùm inquit, *Va soli, & vnus quomodo calesiet?* Quemadmodū verò is, *vnus* dicitur, quem nec vlla sanguinis coniunctio, nec beneuolentia, alicui charitate deuinxit, sic ille dicitur *secundus*, cui vel secundo loco hæreditas obueniet, vel cum aliquo necessitudo, & consuetudo intercedit.

Oculi autem, rerum cognitioni, etsi plurimum conferant, ob eámque rationem, prouidentiam, scientiam, iudicium, & benignitatem, in literis sacris designent: amorem tamen, & cupiditatem vehementiùs excitant; hæc enim gignuntur aspectu. Quamobrem Moses, vt omnem libidinem eis, qui se Deo moderandos committunt, coërcendam esse ostendat, hanc ad eos orationem habet, *Recordentur omnium mandatorum domini, nec sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes.* Hanc communis consuetudinē sermonis hoc in loco Salomon tenet, cùm inquit, *Nec satiantur oculi eius diuitijs.* Orationē verò illius, & sententiā Ecclesiasticus mirificè his verbis explanat, *Viro cupido & tenaci, sine ratione est substantia, & homini liuido ad quid aurum? qui aceruat ex animo suo iniustè, aliis congregat, & in bonis illius, alius luxuriabitur; qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? & non iucundabitur in bonis suis: qui sibi inuidet, nihil est eo nequius, & hæc redditio est malitia illius, & si bene fecerit, ignoranter & non volens facit, & in nouißimo manifestat malitiam suam: nequam est oculus liuidi, & auertens faciem suam, & despiciens animam suam: insatiabiles oculi cupidi in parte iniquitatis, non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam.*

Num. 14.

Eccles. 14.

*Melius est ergo duos esse simul, quàm vnum, habent enim emolumentum societatis suæ; si vnus ceciderit, ab altero fulcietur: væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se: & si dormierint duo, fouebuntur mutuò, vnus quomodo calefiet? & si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistunt ei, funiculus triplex difficilè rumpitur.*

Qui mentē diuinam, in vita moderanda, non intuetur, in his rebus infimis, vt diximus, mediocritatē tenere non potest: hinc auarus vndiq; pecuniam colligit, & sibiipsi inhumanus, sumptus denegat necessarios, vt collectā, multis accessionibus augeat, eámq; grauiùs semper, & ardētiùs sitit: at si à mediocritate non deficeret, his quidē malis, quibus affligitur, caruisset, & bonis affluētiùs abūdaret. Nam ex vehemēti pecuniæ cupiditate, animus non ægrotaret, & plurima, quæ iucunditatem, & voluptatem eximiam afferunt, vitæ sibi præsidia compararet. Hæc Salomon eleganter quidem, postquam auari conditionem explicuit, commemorat: vt non solùm auaritiæ vim, & rationem, quæ in aliena appetendo consistit, & in non dando cùm oportet, cognoscamus, verùm etiam, quàm sit auarus in vita instituenda ineptus, videamus.

Est autem homo ad societatē natus, & à natura institutus, & informatus: semper enim vt viuat, alterius auxilio indiget, & rationis est compos, vt hanc sibi innatam quodammodo indigentiam, & inopiam propulset. Hoc autem cùm sit homini præter cætera animantia præcipuū, inde ius illud,

illud, quod inter se homines deuincit, oritur, ex eóque, quasi è perenni fonte, societates, & amicitiæ omnes initium ducunt. Ius autẽ hoc à natura institutũ auarus contemnit, cùm nihil sibi cum aliis cõmune esse censeat, quamobrẽ bona, quæ ex illo proueniunt, à se longius reiicit, nam ad pecuniam colligendã, ita totum se confert, vt eam sibiipsi longè præferat. In quo miser vehementer errat, tum quia se in pecuniæ seruitutẽ tradat, tum quia bona, quæ communitatem illam consequuntur, quæ ex beneficiis vltro citróque datis, & acceptis conficitur, temere contemnat: ex ea enim plurima, & non parua hominibus emolumenta oriuntur. In rebus enim aduersis, qui multorum animos sibi beneficiis deuinxit, plurimorũ ope, & subsidio leuatur, at auarus, qui non solùm aliorum animos sibi minimè conciliandos esse duxit, sed omnium bona, vt aliqua posset ratione, sitim auaritiæ restinguere, ardenter appetebat, numquid poterit, aliquid leuationis sibi polliceri? Arist. mor. ad Nic. l. 8. c. 12.

Sapientiùs villicus ille quidã apud Lucam, qui negligentiæ, & perfidię apud dominum, offensionẽ susceperat, vt sibi vitæ subsidia pararet, debitoribus, non mediocrem debiti partem cõdonarat. Nihil est enim in vita firmũ, & stabile, nihil calamitatũ immune, *visus* namque, vt ait Salomon, *dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Quia verò vt ipse suo dicẽdi more asserit, *Vijs suis replebitur stultus:* auaritiæ profectò tunc fructus, auarus percipiet, cùm aduersa ei acciderint, qui enim omni officio pecuniam antepósuit, omnium præsidio destitutus, fractus, & afflictus calamitate iacebit, & qui in neminem vnquam beneficium contulit, nemo ei afflicto dexteram porriget. Luc. 16. Prou. 14. Ibid.

Quamobrem prudenter quidem Salomon in prouerbiorum libro famam bonam argento, & auro esse præferendam prædicat, illa enim boni viri statũ tuetur: diuitiæ verò bonitatis sunt instrumenta, ad plurimorum gratiam assequendam, *gratia* autem, inquit ille, *& amicitia liberant, quas tibi serua, ne exprobrabilis fias.* Eas igitur cùm auarus spreuerit, væ illi, cùm eum casus infestus perculerit, prostratum enim se, & abiectum, ab eis tutari frustra, & conseruari volet. Si verò res prosperè cadunt ad illarum etiam amplitudinem, & splendorem, hęc rerum communicatio, societas, & amicitia; plurimum quidem conferunt. Prou. 22. Prou. 25.

Vt iam non de splendore, sed de vtilitate differamus, quemadmodum, inquit Salomon, *si dormierint duo, fouebuntur mutuò, vnus quomodo calefiet?* eodem modo, si bona, quibus affluis, cum aliis communices, ac si sementem feceris, seuerísque beneficium, fructus vberrimos metes, aliorũ enim bonorum particeps quoque fies, ad participandum namque alium ab alio, nos Deus è nihilo condidit: cùm enim Adamum effinxisset, visum sibi fuit, illi fore perniciosum, maximis licèt esset ornamentis excultus, si solus degeret, quamobrem ei Euam adiutricem adhibuit, vt iam in nostri generis principe cernere possemus, vnde societatis ius omne sit ortũ, & ad communicandum inter se homines fuisse eiusmodi naturæ participes effectos; permagna quoque ea esse emolumenta, quæ hæc inter se iuris communio, & beneficiorum communicatio, in communem vitam inuehunt, & his sublatis genus hominum simul fore interiturum. Gen. 2.

Auarus igitur, etsi in coaceruanda pecunia, res sibi prosperè succedant,

multis tamen emolumentis caret, quæ non mediocrem pecuniæ accessionem attulissent, si enim beneficus esset, multorum quidem opera, ad eam cumulandam vteretur, & iucundiùs viueret. Prosperæ etiam & secundæ res inuidiam conflant, quam improbi homines suis rationibus inflammant, vt vix sine magnis amicorum præsidiis, is, cui inuidetur, ea leuari possit. Si ergo in auarum potentes homines irruant, illorum profectò cupiditati, inuitus cedet, atque succumbet: hoc autem ei non eueniret, si præsidia, ad pericula propulsanda, sibi multorum animos conciliando, pararet, *funiculus enim triplex difficilè rumpitur.*

Prou. 24. Est autem hoc in loco memoria tenendum, in sacris litteris, quancunque calamitatem, hoc vno verbo *cadendi*, significari; vt est illud, *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas,*

*Melior est puer pauper, & sapiens, Rege sene, & stulto, qui nescit prouidere imposterum; quòd de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum, & alius natus in regno, inopia, consumatur.*

Si auarus Deum sibi sequendum proponeret, & inde sapientiam, quæ vitam posset rectè moderari, adiutricem sibi aduocaret, non quidem in pecuniarum aceruis omne vitæ præsidium collocaret, illæ enim, nisi adsit sapientia, nullum possidenti emolumentum afferunt, cùm magna ex illis, si eas sapientia moderetur, commoda consequantur. Hæc autem Salomon, vt vidimus, commemorauit. Nunc exemplo, id quod asseruerat, confirmat. Si enim pecuniæ, sine sapientia possint alicui esse adiumento ne in rebus aduersis corruat; & secundas, splendidiores facerent, potentisque aduersarij impetum comprimerent, illæ quidem non cuiuscunque opulenti hominis, sed Regum, quorum maximæ sunt opes, existerent: at in Rege paupertas cum sapientia coniuncta, non mediocre reipublicæ emolumentum affert, & immanes auri argentique aceruì in Rege insipiente, plurimum nocent: hic enim eos, aut libidine dissipat, aut, velut si gladium insanienti homini tradas, horribiles edit strages: ille verò moderatione rempublicam subleuat, cura & studio bonis auget, & beatam efficit,

*Melior est puer pauper & sapiens, Rege sene & stulto.* Illud autem est consideratione dignum, quod Salomon in Rege stulto reprehendit: quid verò illud sit, tum ex Hebræo, tum ex Latino interprete inuestigabimus. *Melior*, inquit Hebræus, *est puer pauper, & sapiens Rege sene & stulto*, qui nescit admoneri adhuc, quia è domo vinctorum egressus est, ad regnandum, quia etiam in regno suo natus est pauper. Nihil magis hominis animum effert, quàm imperij decus, & regia maiestas, adeo vt suæ conditionis tot miseriis obnoxiæ, obliuisci omnino videatur: in hac autem animi elatione, superbia, & pertinacia innascitur, vt intolerabili fastidio cæteros contemnat, admonitorem odio habeat, & cùm infans, & ineptus sit, summam sibi sapientiam in regno moderando tribuat: nec id mirum quidem, cùm se diuinis

diuinis prope honoribus coli videat, numénque è cœlo se in terram delapsum existimet. Hunc autem insaniæ morbum depelleret quidem admonitio, si ei locum reliquisset.

Verùm is quæso, qua de re à nobis est admonendus, vt tantam possit animi ægritudinem sedare? vt scilicet, eodem, quo cæteros homines, ortu se fuisse procreatum cogitet, & quanuis à patre Rege sit genitus, è matris tamen vtero, tanquam è vinctorum domo, id est, è carcere, rerum omnium inopem fuisse in lucem editum, vt ea possit cogitatione superbiam cohibere, temeritatis impetum reprimere, & ea ediscere, quæ reipublicæ salutem, opibus accessionem, & regiæ dignitati splendorem afferunt. Nam si hominem se esse sciret, omnes homines sibi, iure naturæ coniunctos esse putaret, eorúmque salutem cæteris rebus omnibus, cum quibus nullum sibi ius necessitudinis intercedit, anteponeret, ingeniíque humani tenuitatem animaduertens, nemini magis quàm sibi, vt tanto munere fungi possit, multorum opus esse admonitionibus intelligeret.

Latinus autem interpres pauperem sapientem, stulto Regi ideo præfert, quia is, in stultitiæ quibusdam quasi tenebris, futura minimè prospicit, Regi enim multò antè videndum esse asserit, quò illa gubernandi ratio, quam in regno moderando sequitur, tendat, & quò tandem perueniet, ne sibi, id, quod alijs contigit, eueniat, vt scilicet libidine ductus, in apertam perniciem incurrat, & rerum omnium inops videat hominem è vinculis, quibus fuerat immeritò astrictus, & è carcere emissum, sibi in regnũ substitui. Nam vir sapiens ea diligenter cauet, quæ alijs aliquando interitum attulerunt, & factorum suorum exempla, ex summis viris petit, se enim ad illorum memoriam, in imperio administrando reuocat. At stultus cùm sit in tenebris, nullum in regno moderando, exemplum virtutis intuetur.

Quamobrem mirum videri non debet, si regiæ opes, quæ regnum tueri, & alias sub illius imperium gentes subiungere potuissent, ei perniciem afferant; sapientia verò, etsi pecuniæ sit præsidio destituta, ad imperium tamen euecta, rempublicam bonis omnibus florentem efficiat.

*Vidi cunctos viuentes, qui ambulant sub sole, cum adolescente secundo, qui consurget pro eo: Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum, & qui postea futuri sunt: non lætabuntur in eo, sed & hoc vanitas & afflictio spiritus.*

Eandem sententiam Salomon dicendo explicat, & vanitatem in his quoque inesse luculenter ostendit, ita enim fert humanæ naturæ conditio, vt ij, qui insipiẽtis Regis imperium oderant, illúdque à suis ceruicibus depulerant, sapientem Regem, quem in locum illius substituerant, singulari affecti lætitia colant, & diligenter obseruent: verùm illorum posteri, qui propter ætatem, quantum reipublicæ detrimenti, Regis insipientis imperium attulerit, non viderant, sapientis Regis, sub cuius ditione degunt, imperium nimis acerbum esse, & durum existimant. Nam cùm nulla possit

conditio hominis in hac vita constitui, quæ malis vacet, ea, in quibus versantur, maxima esse ducunt, quia ea, quæ maiores illorum subierunt, etsi aliquando ex natu grandioribus audierint, illa pro nihilo ducunt, cùm eorum nullum perferant, nullúmque videant.

*Vidi cunctos viuentes, qui ambulāt sub sole, cū adolescente secūdo, qui consurget pro eo;* Qui scilicet Regi insipienti, cui pauperem sapientem prætulerunt, successerat. *Secundi* enim nomen, non hæredem solum, sed successorem significat. Verbum quoque *consurget*, Chaldæus illius gentis more, vertit, *successerit*. Ij igitur, qui antea insipientis Regis in republica moderanda libidinem execrabantur, sese omni studio, ad successorem, virum sapientiæ ornamentis excultum, adiunxerunt. Horum studium Salomon vt significet, *Infinitus*, inquit, *numerus est populi, omnium, qui fuerunt ante eum.* Qui nempe ad illius nutum præstò erant, vt est illud, *Puer autem erat minister in conspectu domini, ante faciem Heli sacerdotis.* Cùm verò ætas ætati succedat, his vita functis, eorum posteri, sub sapiente Rege, quem maiores suis summis laudibus efferebant, vitæ suæ conditionem querentur. *Et qui postea,* inquit, Salomon, *futuri sunt, non latabuntur in eo.*

1.Reg.2.

Quid autem magis rerum humanarum poterit inconstantiam, & nostri ingenij tenuitatem, & leuitatem ostendere, quàm insipientem nos hominem, qui Rempublicam dissipet, execrari, & illius successorem, virum sapientem, qui eam labentem confirmet, detestari? nihil igitur insipientem, ne bonis omnibus odio esset, opes iuuarunt, nec sapientem, quin non mediocre apud suos odium haberet, eximius sapientiæ splendor vindicauit. Et hoc ergo, vt inquit Salomon, *vanitas & afflictio spiritus.* Hanc autem Salomonis sententiam, ita vt, nos hactenus disseruimus, Gregorius Neocæsariensis explicat.

Verùm vt iam non de sapiente Rege verba faciamus, sed de stulto, qui malè se, & perditè, in imperio gerit: siquidem, vt solet, cùm adolescens, viuente patre, regni hæreditatem adhuc non adiit, omnium ad se animos, ob certam futuri regni spem, allicit, eos verò postquam est imperium adeptus, multis iniurijs vexat. Senem igitur eum sui oderunt, quem in adolescentia diligenter obseruauerant. Horum autem hominum multitudinem nemo poterit numerando recensere, *Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum.* Eorum verò posteri, iisdem studiis, futuri regis gratiam adipisci curabunt qui eadem cùm sit disciplina, qua pater fuerat institutus, ad libidinem suam, rempublicam geret, & odium bonorum contrahet. Regibus igitur, qui se veræ sapientiæ studio minimè tradunt, nihil ad virtutis laudem, ad nominis famæ immortalitatem consequendam, ad suorum amorem conciliandum, & ad rempublicam moderandam, opes adiumenti afferunt, cùm illæ in causa sint potiùs, vt multa per eos detrimenta rebuspublicis importentur. Verùm bonorum erga eos hominum studia, quam parum illis, & Reipublicæ proficiant, nemo non videt, qui illorum, qui sine sapientia, diuitiis tamen affluentes imperium tenuerunt vitam moréisque in memoriam reuocauerit: nec minùs quidem sunt adulatorum, quos etiam Salomon hac oratione designat, spes fallaces, est enim stultitia in Regibus inconstans, nullo in loco consistens,

ea,

ea, quæ ſibi ineſſe putat, ſuſpiciens, cætera omnia intolerabili faſtidio deſpiciens, & illos in alterius ſeruitutem redigens, qui adulationis arte, omnibus ſui ſimilibus excellat. Quàm verò hoc ſit inane, quam adulatoribus graue, quàm bonis omnibus acerbum, quàm reipublicæ pernicioſum, nec rationibus, nec exemplis ex omni antiquitate ſumptis explicari à nobis oportet.

*Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua vt audias, multò enim melior eſt obedientia, quàm ſtultorum victimæ, qui neſciunt, quid faciunt mali.*

Quia hæc, quæ hactenus Salomon commemorauit, ex illa naſcuntur, vt diximus, Dei ignoratione, in qua genus hominum verſatur (& ſi enim natura duce, Deum eſſe, omnes ferè nationes aſſerant, eum tamen, omnium rerũ moderatorem, flagitiorumq; , & ſceleris vindicem, vel eſſe negant, vel ſi fateantur, illius timorem abijciunt, ac ſi eum, in hominum rebus ſopitum conuiuere putent) hanc malorum, & vanitatis, quæ in rebus humanis, ineſt radicem euellere conatur.

Primum igitur, quia eſt omnibus hominibus, non ſolùm inſitum, ſed innatum, vt ſuperiorem illam ac diuinam naturam ſingulari religione, & ceremonia venerentur, quid vera, puráque erga Deum Religio, præcipuè contineat, oſtendit. *Cuſtodi pedem tuum, ingrediens domum Dei, & appropinqua, vt audias*. Duo præcipit, quorum alterum, dum volumus rebus diuinis fungi, à nobis requirit: alterum verò, vt præcipuam religionis partem, commemorat. *Ingrediens domum Dei*: Id eſt, dum rebus diuinis operam nauaueris: Sic enim erat lege ſancitum. *Ad locum, quem elegerit dominus Deus veſter, de cunctis tribubus veſtris, vt ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocauſta, & victimas veſtras: Caue ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris, ſed in eo, quem elegerit dominus, in vna tribuum tuarum offeres hoſtias, & facies omnia, quæ præcipio tibi.* Cùm igitur ne alio in loco, res diuinas Hebræi facerent, lex diuina cauiſſet, Salomon de religione differens, *Ingrediens*, inquit, *domum Dei*: Verùm quia ille à quo omnis lex oritur, illam à Moſe latã ſuſtulit, & hanc illius loco ſanxit, *Venit hora quando nec in monte hoc, nec in Hieroſolymis adorabitis patrẽ, ſed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu, & veritate, nam & pater tales quærit, qui adorent eum*. Ideo ſiue in Dei templis, ab hominibus dedicatis, ſiue in nobis ipſis, templa enim Dei ſumus, quæ ſibi Chriſtus. O. M. proprio ſanguine conſecrauit, cùm volumus ſacra conficere, primum eſt illud nobis ſummo ſtudio curandum, nequid in eo munere offendamus. Tunc enim *pedem cuſtodimus*, cùm in officio minimè labimur, vt eſt illud apud eundem Salomonem. *Probibe pedem tuum à ſemitis eorum, pedes enim illorum ad malum currunt. Et, Dominus erit in latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum, ne capiaris.* Et, *Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram, auerte pedem tuum à malo.*

Deut. 12. Ioan. 14. 1. Cor. 3. 2. Cor. 6. Prou. 1. Prou. 3. Prou. 4.

Quandocunque igitur Deum veneramur, ab eóque pacem, & bona

precamur, ita in eo munere versemur, vt illius gratiam consequamur, ne dum quid agimus, non animaduertimus, officio nostro minimè fungamur: & is, quem beneuolum nobis facere volebamus, culpa, & scelere nostro, sit à nobis alienus. Etsi enim illi sit gratum, à nobis ei preces, cultus, & honores adhiberi, cùm hæc nihil ei emolumenti afferant, ea, si animus sit scelere contaminatus spernit, nisi prece, & obseruatione supplici, veniam precemur; tunc enim & scelus prius detestamur, & *pedem custodire* dicimur, dum domum Dei ingredimur.

Isai. 1. Luculenter quidem Isaias Deum cum Iudæis hac de re expostulantem, & quid ab eis, in rebus diuinis requirat, explicantem inducit: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus: plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atrijs meis? ne offeratis vltra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi, neomeniam, & Sabbatum, & festiuitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri, calendas vestras, & solemnitates vestras; odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens: & cùm extenderitis manus vestras auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, ab oculis meis.*

Hoc igitur Salomon, à nobis flagitat, vt prius quàm Deum veneremur, precemurque, singulari studio, quid illius possit oculos offendere, ex animis nostris depellamus. Deinde vt religionem ostendat, præcipuè obedientia contineri, *Appropinqua*, inquit, *vt audias*. Vt singulari cura religionem procuremus, diuinis nos præceptis vt obtemperemus, hortatur: in eo enim nisi omne nos studium collocemus, Deo minimè appropinquabimus. Hanc nanque appropinquationem, non mediocris semper cura, & studium antecedit, ita vt ipsa appropinquatio, cum studio appropinquandi, & solicitudine cohæreat.

Hanc huius verbi vim eleganter quidem, Septuaginta interpretes explicarunt, cùm pro verbo קרב quo Salomon hoc in loco vtitur, & noster Latinus vertit, *appropinqua*, illi in ea oratione quam apud Dauidem, Chri-
Psalm. 68. stus, omni à Iudæis crudelitate laceratus, ad patrem Deum habuit, reddiderunt, *Intende animæ meæ.* Etsi namque huic verbo Hebræo, appropinquandi sit notio subiecta, non mediocre tamen in id, cui appropinquare
Isa. 58. nitimur, studium significat. Ita etiam Isaias, *Rogant me iudicia iustitiæ, &*
Deut. 4. *appropinquare Deo volunt.* & Moses, *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat*
Psalm. 26. *Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest, cunctis obsecrationibus nostris.* Et Dauid, *Dum appropiant super me nocentes vt edant carnes meas.* Et illud eius-
Psalm. 72. dem viri sapientissimi, & sanctissimi dictum, *Bonum mihi est appropinquatio Dei*, quod Septuaginta & duo interpretes prudenter satis explicarunt, cùm in ea appropinquatione, singularem quandam cum Deo coniunctionem, contineri putauerunt; sic enim ex Hebræo verterunt, *Mihi autem adhærere Deo bonum est.*

Primum igitur, vt in re grauissima, minimè labamur, dum rebus diuinis fungimur, curandum est, ne quid in nobis turpitudinis: sit quod Dei oculos

oculos offendat: Deinde, *appropinqua vt audias*, hoc eſt, omni ſtudio præceptis diuinis adhæreſce. Verbum enim *Appropinqua*, vt diximus, ſtudium ad coniunctionem & adhæſionem ſignificat. *Vt audias*. Non vt aures ſolùm iis, qui à Deo ſunt conſtituti, vt hominum moribus moderandis præſint, libenter præbeas, non enim in eo ſtudio, tanta eſt opera & cura collocanda, quantam, cùm inquit, *Appropinqua*, Salomon ponendam eſſe cenſuit, ſed vt præceptis, & inſtitutis diuinis obedias, id enim oratio illa, *vt audias*, ſignificat: nam Moſes cùm in Adami ſcelus, quónam ſupplicij genere Deus animaduerterit, commemorat, verbum hoc, pro *obtemperare* vſurpat, ſic enim ille, Dei ad Adamum orationem refert, *Quia audiſti vocem vxoris tuæ*. Eſt enim verbum Hebræum שׁמע quod prudenter quidem in eodem libro, noſter Latinus explicuit, cùm illud de obediētia interpretatur, ſic enim Dei cum Abrahamo ſermonem Latinè vertit, *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ*. In libro verò Iudicum, quemadmodum cùm de Adami ſupplicio ageret, eandem interpretandi rationem tenuit, *Vocem*, inquit, *meam audire contempſit*. Et in Prouerbiorum libro, *Nec audiui vocem docentium me*. Gen. 3. Gen. 22. Iud. 2. Prou. 5.

Ad obedientiam ergo Salomoni, cultum, quem Deo tribuimus, preceſque, cùm ab eo pacem, & ſcelerū veniam ſummiſsè petimus, & omnem denique veræ religionis rationem, dirigit. Hanc fuiſſe Salomonis ſententiam, ipſe ſequenti oratione confirmat. *Multò enim melior eſt obedientia, quàm ſtultorum victima, qui neſciunt, quid faciunt mali*. Qui enim, ea quæ diximus, in religione procuranda, minimè curant, arietes quidem cædunt, ſed victimam ſe Deo minimè præbent, in quo longè à legis diuinæ ſententia, & præſcriptione aberrant, nam Moſes non his victimis, ſed animi ſtudio Deum placari, dum Hebræos ad religionem erudiit, eos his verbis admonuit: *Cùm quæſieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Et nunc Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, & ſeruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua: Circuncidite igitur præputium cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne induretis ampliùs*. Deut. 4. Deut. 10.

Qui igitur obedientiam abiiciunt, etſi quàmplurimas mactent victimas, legi minimè parent, & obcæcati ſcelere, religionem à ſe violari non animaduertunt; ducti enim conſuetudine, victimas cædunt; id verò in quo religio maximè enitet, impiè repudiant. Hanc animorum cæcitatem Salomon indicat, cùm ait, *Qui neſciunt, quid faciunt mali*.

## CAPVT V.

*Ne temere quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu ſuper terram, idcirco ſint pauci ſermones tui. Multas curas ſequuntur ſomnia, & in multis ſermonibus inuenietur ſtultitia.*

RELIGIONEM ritè procuramus, ſi peccatorum ſordes eluimus, & vitam ad legis diuinæ præſcriptionem dirigimus. Hanc autem

obedientiam etsi nemo, sine grauissimi, in se ipsum commissi sceleris, crimine relinquat, ille tamen, qui mentis errore secus quàm debet, de Deo iudicat, eam ita abiicit, vt nihil loci ad resipiscendum ipse sibi reliquisse videatur. Hoc autem summo studio, vt caueamus, Salomon hac oratione admonet.

Quia verò in hoc grauissimum malum, audax, & temerarius homo, qui iudicio suo omnia metitur, incidit, dum eum audacia, & temeritas in id, quod ipse verum sibi esse persuasit, impellit, & trahit, primùm vt temeritatem, in dicendo de Deo, cohibeamus, hortatur; deinde, vt eam ab omni possimus lapsu continere, consulit vt ea quæ de Deo mens nostra percipit, ne ipsa præcipitet, ad diuinæ mentis normam diligenter perpendamus. *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo.* Vtrunque coram Deo esse valde fugiendum præcipit: primùm ne de illo temere differendo; deinde, iis, quæ neque ipse, neque illi, quos hominum moribus instituendis præfecit, diuini spiritus instinctu afferuerunt, inconsideratè assentiendo, in illius offensionem incurras: Hæc enim assensio cùm sit maximè sustinenda, si temere procedat, impiè facimus: nam *temere*, hoc in loco, *coram Deo loqui, sermonémque proferre*, est de eo, impiam orationem habere, & ea, quæ sensus, illi affingunt, assensu comprobare, quo grauissimè illius numen offenditur.

Est autem hic dicendi modus, à sacris scriptoribus minimè alienus, sic enim ille qui debitam patri obedientiam abiecerat, multis postea miseriis vexatus, cùm eum sceleris à se commissi pœniteret, veniámque
Luc. 15. à patre precaretur, *Pater*, inquit, *peccaui in cælum & coram te.* Vt significaret, ad ea, quæ commiserat, impietatem quoque adiunxisse: & Da-
Dan. 6. niel, *Deus meus misit angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo iustitia inuenta est in me, sed & coram te rex delictum non feci.* Id est, in meo erga te officio, ô rex, minimè deliqui, neque aliquid
Num. 15. commisi, quo maiestatem tuam minuerem. Et Moses, *si anima nesciens peccauerit, offeret capram anniculam pro peccato suo, & deprecabitur pro ea Sacerdos, quia insciens peccauerit coram Domino.*

Cur autem nos Salomon de his admonitos esse voluerit, adiungit. *Deus enim in cælo & tu super terram, idcirco pauci sint sermones tui.* Cùm enim ex terrena, mortalíque natura simus concreti, nonnisi sensibus ad rerum cognitionem ducimur: at illæ, quæ à sensibus ducuntur rationes, ad terrena & caduca spectant; etsi nanque rerum naturæ omnes Deum esse prædicent, & illarum contemplatione hominum genus ad Dei
Rom. 1. cognitionem peruenire possit, quia, *quod notum est Dei*, inquit Paulus, *manifestum est in illis*: Naturæ enim suæ, quædam quasi vestigia ipse, in illis impressit, vt qui ea singulari studio persequerentur, illum & existere, & rerum omnium esse principem cognoscerent: quod Tul-
Tull. Diu. 2. lius ætatis suæ philosophorum princeps, se fuisse consecutum hac oratione testatur, *Præstantem, aliquam æternámque naturam, & eam suspiciendam, admirandámque hominum generi, pulchritudo mundi, ordóque rerum cælestium*

*lestium cogit confiteri.* Et noster Paulus, id fuisse omnibus à Deo hominibus præstitutum asseruit, hæc enim ad Romanos scribit, *Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas:* Verùm si in eo studio velint longiùs progredi, sensuum iudicio, quasi offusa caligine obcæcati, corruent, *Euanuerunt*, inquit Paulus, *in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Rom. 1. Rom. 1.

Cùm igitur tales simus, nisi à sensuum nos consuetudine seuocemus, plura de Deo inquirere non oportet, vt sapienter quidem Plato, quid Deus sit, non inquirendum esse censuit, hoc enim viderat esse altius, quàm vt id, nos humi strati suspicere possemus. Non minùs erat Hebræis illud obseruandum, etsi namque plura de Deo fuerint illis tradita, multis tamen erant obscuritatibus inuoluta, quæ suo erant tempore, diuinitus explicanda: *Vmbram*, inquit Paulus, *habere lex, futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos, eisdem ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere.* Ioannes quoque Baptista, ac si hæc Salomonis verba Iudæis interpretari voluisset apertè explanauit, sic enim apud illos disseruit, *Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur; qui de cœlo venit, super omnes est, & quod vidit, & audiuit hoc testatur.* Hoc etiam Ecclesiæ Christi ordo, & ratio postulat, in ea nanque nemo Aaronis munus, quin priùs à Deo sit Sacerdos constitutus, vsurpat, ísque, vt cuique nostrum conueniens esse viderit, eousque in rebus diuinis explicandis progreditur. *Tanquam paruulis in Christo*, inquit Paulus, *lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, perfectorum autem est solidus cibus.* Et, vt ipse asserit, *Vnicuique nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi, & ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Et dico per gratiam Dei, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei.* Plat. de leg. Heb. 10. Ioan. 3. Heb. 5. 1. Cor. 3. Ephes. 4. Rom. 12.

Si ergo naturæ nostræ, legísque veteris vim, & Euangelij splendorem spectes, nunquam si sana mente fueris, vltra quàm homini mortali, humi strato, abiectóque concessum sit, de Deo disseres; quanuis enim diuinæ sis sapientiæ muneribus cumulatus, hominis te imbecillæ naturæ, & conditionis regula metiri oportet, vt Paulus, qui de seipso ita refert, *Non in immensum gloriabimur, sed secundùm mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi vsque ad vos.* 2. Cor. 10.

Quamobrem Salomon, cùm ad rectam, Deum precandi rationem, illud maximè pertineat, nempe, vt illi supplicemus submissè,

eáque de re ageret, omnem animi elationem, in rebus diuinis admonet esse omni studio fugiendam: ille enim qui de iis, quæ ad Dei numen, Sapientiam, benignitatem, & iustitiam spectant, secus vel vltra quàm ipse, & ij, quos, vt suæ religioni præessent, initiauit, hominibus tradiderunt, proprio ingenij acumine exquirit, & iudicat, elatus arrogantia est optimo iure censendus, cùm ipse humi iaceat; ille autem cœlo dicat, *sedes mea est*, terræ autem, *scabellum pedum meorum*.

Isa. 66. Matt. 5.

Similitudines Salomon deinde adiungit, vt sententiam suam luculentiùs explicet. *Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur stultitia.* Cùm animus, per somnum, corpore & sensibus vti non potest, & motu minimè vacet, in varia & incerta incidit visa, ex reliquiis inhærentibus earum rerum, quas vigilans gessit, aut cogitauit, quarum perturbatione, multæ mirabilésque existunt species somniorum, simili quoque ferè ratione, qui nimiùm est loquax, plures habet stultitiæ suæ testes, nam, vt inquit alio in loco Salomon, *In multiloquio non deerit peccatum.* Quemadmodum igitur, si animus sit variis curis implicitus, cùm eum somnus occupat, eduntur somnia, & cùm in dicendo, longiùs quàm oportet progredimur, loquacis stultitiæ notâ nobis inurimus; ita dum fractis moderationis Christianæ repagulis, nimiam de religione disserendi nobis ipsi licentiam damus, stultissimi meritò iudicamur: & dum curiosiùs de rebus diuinis exquirimus, in varia quædam, & erroris plenissima visa incidimus: quibus nihil inconstantius, nihil inanius, nihil possit turbulentius excogitari. *Somniat* enim, inquit Isaias, *esuriens, & comedit; cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius, & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est.*

Ari. prob. sec. 30. Prou. 10. Isai. 25.

Hoc illis semper accidit, qui Petri & illius successorum disciplinam, à Deo sibi traditam spernunt; ad eam verò, quam à propriis moribus accipiunt, quasi tempestate delati, adhærescunt. Quid autem isti, reipublicæ vtilitatis afferant, Ieremias eleganter explicat, cùm Deum ita loquentem inducit, *Volunt facere, vt obliuiscatur populus meus nominis mei, propter somnia eorum, quæ narrat vnusquisque ad proximum suum.* Hæc autem Salomonis verba, sic etiam non ineptè explicari possunt. Nam cùm ad salutem Deum precibus venerari, & hoc peccandi studium, si fieri posset, nobis sit opus nunquam intermittere, quod singulari cura seruandum Paulus censuit, ad Colossenses, & ad Romanos, in hanc sententiam scripsit, *orationi instate, vigilantes in ea, in gratiarum actione.*

Ierem. 23. Coloss. 4. Rom. 12.

Ne autem in re grauissima errore laberemur, orandi nos doctrina, tum Salomon hoc in loco, tum ipse qui Salomonis animo lumen prætulit, Christus ita instituit: *Nolite multùm loqui, sicut Ethnici: putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur: Nolite ergo assimilari eis, scit enim pater vester, quid opus sit vobis antequam petatis eum.* Est enim omnis in dicendo temeritas remouenda, quæ in aliarum gentium, ad Deos suos precibus apparet, quam *multiloquium* Christus appellauit; non enim ad Dei, qui omnibus adest, dignitatem, aptè & decorè loquuntur; multa enim loquendo effutiunt, & Venerem impudicam, Iouem libidinosum, Martem adulterum,

Matth. 6.

rum, cæteróſque Deos omnium contagione ſcelerum contaminatos, obſecrare ſe ipſa precatione inconſideratiſſima fatentur: etſi præclarè illi quidem orationem luminibus ornent, vt turpitudo lateat, eámque, vt permulceat aptam & maximè conſentaneam, arte curáque inſtituunt.

Chriſtiani verò hominis oratio, ita inſtituitur, & locis etiam communibus illuſtratur, vt diuinis rebus, quo ad eius fieri poſſit, ſit æqualis. Eſt enim, in hoc genere dicendi, modus quidam: imò & rationes ſunt, præceptáque ſeruanda, quæ dat, vt ita dicam, ars, à diuino Chriſti ſpiritu proficiſcens, qui in hominibus veram Chriſtianámque eloquentiam, in plures ſpecies diuiſam gignit: in qua excellens quoddam fidei robur, primùm requiritur, qua orator Deum, intentum, & commeantem per naturam rerum omnium, cúmque rebus omnibus conſulentem, firmiſſimè credat, vt in oratione Chriſtiana, quidam quaſi verborum, & ſententiarum nitor Deo conueniens, cum quo inſtituitur oratio, inſit, & illud ſit ante oculos ſemper habendum, nos abiectos, ex terrena, mortalíque natura, & caduca concretos, & ſcelere aſtrictos, cum Deo beneuolentiſſimo, rerum omnium parente, omnia intuente, virtutum autore, flagitiorum vindice, orationem habere, vt ex iis, quaſi locis, ea depromantur, quibus ornata fluat oratio, & perſuadeat.

Ne verò in ea vlla poſſit eſſe temeritas, omni præterea eſt ſtudio curandum, vt res ſibi æqualis, & decora ſubſit. Quamobrem Salomon nó ſolùm in dicendo, cohibendam eſſe temeritatem præcipit, quæ gentes, in precibus diis ſuis adhibendis delectat, ſed omni cura & ſolicitudine nobis cauendum eſſe admonet, ne præcipites amentia ad precandum id, quod ſenſus optimum eſſe iudicant, feramur, id eſt, *Neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo.* Hæc autem ſi minùs curabimus, illud nobis continget, quod iis, qui curis ſunt impliciti, dum ſomno tenentur, accidit, vt in varia, incerta, & horrenda ſæpe viſa incidant; & iis qui in dicendo multi ſunt, de rebus non mediocris momenti, effutiant.

*Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere; diſplicet enim ei, infidelis & ſtulta promiſſio: ſed quodcunque voueris, redde; multóque melius eſt, non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere.*

Religionem, obedientia contineri, Salomon docuit; & ſuos, ſi vellent diuini cultus rationem colere, antequam illum, ſanctiſſimo Dei numini adhiberent, omnes animi ſordes, vt eluerent, & diuinis inſtitutis viuerent, meminit: ídque vt conſequi poſſent, ne de Deo aliter quàm ipſe ſenſit, affirmare aliquid auderent, neque ingenij humani tenuitate, rem diuinam metirentur, vetuit. Perſeuerat quidem, & in eadem ſententia permanet. Nam etſi dum vota nuncupamus, Deum nos venerari meritò videmur, excellens enim quoddam erga Deum animi noſtri ſtu-

dium patefacimus,& quodammodo proferimus. Si ea tamen minimè soluimus,illius numẽ offendimus, adeo vt multò quidem satius fuisset, ea numquam nos fecisse. Nam,cùm religio sit iustitia erga Deum, si ea, quæ illi debentur, minimè soluantur, religionem, dicimus, violari.

Quamobrem religionis vim omnem,vna obedientia comprehendit: Etenim si orationem, qua nobis à Deo veniam fælicitatémque precamur, si cultum, cerimoniásque summo illius numini adhibendas spectes, nisi te obedientem illius institutis præbeas, in dicendo, vt diximus,non solùm infans, sed impius eris,& in cultu Deo tribuendo,non veritatis cultor, sed nefarius sceleris autor existes. *Si quid* igitur *vouisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim Deo,infidelis,& stulta promissio.* Id quod ad religionem pertinet, ne in Dei offensionem incurrat, diuinis erit institutis conformandum. Deo siquis pro sua, reipublicæque salute aliquid vouet, optimi quidem & religiosi hominis incipit officio fungi; hoc autem inchoatum officium, & opus,haud perficit, qui moram interponit,quin Deo vota nuncupata persoluat:hæc enim neglectio,contemptum numinis,& animi improbitatem coarguit. *Cùm votum voueris,*
Deut. 23. inquit Moses,*Domino Deo tuo,non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus,& si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Quorsum verò votum Deo nũcupatum,quamuis sit è singulari quadam ergaDeum pietate profectũ,si tamẽ minimè soluas,sit potiùs vitio dandum, rationem Salomon adiungit. *Displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* Qui Deo fidem adhibet,si in officio delinquat,perfidiæ scelus admittit, & infidelis à Salomone dicitur: partim enim fidelis, quia per omnia Deo assentitur:quia verò fidẽ,qua Deo,vouendo, se astrinxerat, impiè frangit, infidelis est habendus: vt, si Euangelio firmissima assensione credas,& vitam ad illius normam minimè dirigas,etsi in illo quasi inchoato sis officio fidelis, in communi tamen & quotidiana vita moderanda, non mediocre perfidiæ scelus in Deum suscipis; quemadmo-
1. Tim. 5. dum Paulus ad Timotheum,his verbis scribit, *si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit,& est infideli deterior.* Stultam verò promissionem reprehendit,& cum perfidia coniungit,quia temeraria,& inconsiderata fuerit:est enim stultitiæ fructus perfidia; nam, vt
Prou. 1. docet Salomon, *sapientiam atque doctrinam, stulti despiciunt, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient.*

Quare *stultitia* meritò *perfidia* dicitur:vtraque enim doctrinam contemnit,fidem datam violat, vt ea quæ sibi blandiuntur,assequatur. *Multóque melius est non vouere,quàm post votum promissa non reddere.* Nam vitio ei non verteretur,quòd non vouisset,quemadmodum Moses, Hebræos
Deut. 23. his verbis docet, *Si nolueris polliceri,absque peccato eris.* At quia fidem fugit, & voti religionẽ polluit, non mediocris sceleris crimen suscepit. Præclarum quidem, & excellẽns est, se Deo vouisse, sed si votum solutum non fuisse consideres,quia id,tanti sceleris occasio patrandi fuit,multò quidem meliùs egisset,si voto se non obstrinxisset:quemadmodũ Pau-
Rom. 7. lus de lege disserit, *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non*

*concu*

*concupisces: occasione autem accepta, peccatum per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam.* Ita & voti sponsio, quo obligamur Deo, etsi præstantissima sit hominis actio, est in causa, si illud non persoluas, vt religionem violes.

*Ne dederis os tuum. Vt peccare facias carnẽ tuam, nec dicas coram Angelo, non est prouidẽtia. Ne fortè iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.*

Non mediocris culpa commissa fuit, cùm in voto soluendo, officium erga Deum fuerat prætermissum. Eam verò vehementer auget is, qui, vt voti se religione soluat, & extra perfidiæ culpam esse probet, inscitiæ excusationem affert. Nam infidelis non solùm, quia fidem datã violat, sed impius, & sceleratus existit, quia Deo, ac si causas apud iudices calumniis ludificari velit, turpi excusatione illudat; quod Salomon singulari nunc studio cauendum esse præcipit, ne Deus tanto sceleri, debitum suppliciũ imponat. Quandiu enim is, qui vouit, causas moræ quærit, quamuis fidem minimè præstet, adhuc se voti religione obstrictum esse confitetur. verùm cùm perfidiæ scelus, eò fuerit perductum, vt omni se religione solutum esse asserat, nihil iam sceleris in eo officij genere, ad id quod fuerat susceptum, addi poterit. Quamobrem & iustitiæ ratio tunc exigit, vt in illud diuinum numen animaduertat.

*Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam.* Etsi namque dum votum minimè soluis, perfidiæ sis scelere obstrictus, illud tibi est maximè cauendum, ne interim tibi veniat in mentem, causam tuam, nulli fuisse sceleri affinem, apud sanctissimum iudicem, velle dicendo probare, sic enim, nec te expurgabis, neque perfidiæ suspicionem dimouebis, sed ad pristinum perfidiæ crimen, huiusce flagitij accessionem facies. *Ne igitur dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam.* Hoc est, ne postquam in voto soluendo, tandiu officium intermiseris, eò dicendo prorumpas, vbi sine summo scelere consistere non possis. Quemadmodum Salomon Eccles. 1.
dixerat, *Dedi cor meum vt scirem prudentiam:* ita & hoc in loco, *Ne dederis,* inquit, *os tuum, vt peccare facias carnem tuam,*

In sacris litteris *homo* sæpe *caro* nuncupatur, vt est illud Mosis, *Omnis* Gen. 6.
*caro corruperat viam suam super terram:* Eodem quoque nomine Labanus summã sanguinis coniũctionem, sibi cum Iacobo intercedere significauit, quẽ sic alloquitur, *Os meũ es, & caro mea.* Et Iosephũ ne à fratribus necaretur, *carnem eorum omnium esse,* Iudas cõmemorat. Hinc vt se ipsum Dauid diuino beneficio, è malis, quibus vexabatur, emersisse, & diuinis fuisse muneribus cumulatum significaret, *refloruit*, aiebat, *caro mea.* Psal. 27.
Hanc dicendi apud Hebræos consuetudinẽ Salomon secutus, dixit, *Vt peccare facias carnẽ tuam.* Ne scilicet, tu ipse in sceleris flagitium incurras: quemadmodum hoc etiam in libello, *Amoue,* inquit, *malitiam à carne tua.*

Gen. 29. Gen. 37.

*Ne dicas coram Angelo, non est prouidentia.* Siue, vt Hebræus refert, *Ne* Eccles. 11.
*dicas coram Angelo, est ignoratio.* Ne tuæ in non soluendo voto, perfidiæ crimen,

crimen, à te dilui posse existimes, si dicas, non est prouidentia: hoc est si imprudenter asseras, cùm primum illud nuncupares, quantum ve difficultatis, vel detrimenti esset tibi allaturum, minimè te prouidisse, & singularem voti religionem omnino nescisse. Si verò te occultè sine teste, sine vllo consilio, aut vouisse, aut hanc sceleri tuo, excusationem afferre cogitas, longè quidem opinione falleris. Adest enim præsens tibi Angelus, cuius te, beneuolentissimus rerum omnium parens, custodia muniuit, vt nihil de sanctissimo illius numine dicam, qui in rebus omnibus interest, & ea, quæ in intimis recessibus animorum molimur, præsens videt. Quorsum igitur perfidiam hanc tuam, his niteris inuolucris tegere? cùm Deo, ea, quæ inuoluta hominibus obscuritate latent, prompta sint, & aperta, & quæ dixeris, non poteris ita velis obtendere, vt Angeli mentis aciem fugiant.

Eam verò apud priscos Theologos opinionem viguisse cernimus, quòd vnusquisque nostrûm Angeli custodia, aduersus teterrimi hostis insidias, sepiatur: illas enim Deus mentes solutas, & segregatas ab omni concretione mortali, ita condidit, vt hominibus ad Dei cognitionem, & veræ virtutis decus assequendum, ministrarent: vnde etsi non naturæ, muneris tamen à Deo illis impositi vocabulo Angeli appellantur. Quamobrem Paulus de illis ita disseruit. *Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capient salutis?* Non autem imperij sui, ita eas Deus ministras esse voluit, vt ea solùm, quibus humano generi, vel genti alicui, ad salutem opus essent, ministrarent, sed singulorum etiam hominum saluti consulerent, in eóque operam diligenter collocarent. Non solùm enim Mosi legem, quam tulit Hebræis, Angelus tradidit, sed Abrahamo futura prædixit, & ad omne religionis officium instituit: Ismaëli etiam iam morituro sitim restinxit: Lot ab incendio, quo Sodomorum vrbes conflagrarunt, eripuit: omitto cæteros viros sanctitate præstantes, quibus illæ vel ad rerum diuinarum cognitionem, vel ad pericula propulsanda operam studiúmque præstiterunt. Denique ita eas generi nostro deuinxit, vt vnicuique nostrûm, ex illis, sicut Basilius asserit, pædagogum custodémque daret: hinc illa Christi Dei admonitio, *Videte ne contemnatis vnum, ex iis pusillis, dico enim vobis, quia Angeli eorum, in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.*

Areop. cæl. Hier. 4. Hæb. 2. Angelorum ministeria. Act. 7. Gal. 3. Basil. de spir. s. Matth. 18. 1. Cor. 2.

Si ob Angelorum præsentiam Paulus, ita fœminis præcipit, viris suis parere, & subiici, vt id à se diligenter obseruari, velato capite indicarent, quid cùm sit votum, in præsentia Angeli nuncupatum, quem vitæ salutísque tuæ custodem habes, faciendum tibi præciperet? Tanto perfidiæ sceleri supplicium constitutum, deinde Salomon commemorat: *Ne fortè iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum;* Dum is, qui vouit, & non soluit, voti se religione obstrictum esse existimat, illius quidem solutionem, humanæ naturæ imbecillitate, corrupteláque, in aliud tempus differt, etsi in non mediocri sit perfidiæ scelere, ad officium tamen redeundi, sibi aditum minimè conclusit: quamobrem sanctissimus ille iudex, vt tandem is, soluendi datam fidem præstet,

ſtet, benignè expectans, debitum illi ſupplicium non imponit: at cùm nullo iure ſe ad ſoluendum teneri aſſerit, nullum profectò, vt ita dicam, reſipiſcendi, ſpei locum relinquit, & meritò in ſe diuini numinis iram excitat. Hoc autem inter vtrunque intereſſe Salomon oſtendit, cùm inquit, *Ne fortè iratus Deus contra ſermones tuos.* Illum ſcilicet benignè ſuſtinet, hunc corripit: & malis vexat, vt corrigat. Sed ſupplicij genus animaduerte, *Ne fortè diſſipet cuncta opera manuum tuarum.*

Præclarè quidem Salomon in voto ſoluendo, religionis inconſtantiam, hominis infidelis ruinam eſſe prædicat, quod breui hac in Prouerbiorum libro, oratione docuit: *Ruina eſt homini deuorare ſanctos, & poſt vota retractare.* Laqueo enim ſeipſum quodammodò irretitum tenet, vt miſerè concidat, & ruinam fortunarum ſuarum videat, qui *ſanctos deuorat,* hoc eſt, ea quæ in rebus aduerſis conſtitutus, voto Deo dedicarat, ex illis emerſus repetit, & in vſum proprium ſacrilegus reuocat. Quemadmodum igitur, id quod ſponte Deo vouerat, impio & ingrato in eum animo, ſibi retinet, & bona, quæ Dei ſunt, in domum ſuam auertit, &, vt ita dicam, conuellit, & diſſipat: ita & Deus, qui, vt inquit Dauid, *cum peruerſo peruertetur,* illius opera, licèt ſint altiſſimis defixa radicibus, labefactabit.

Prou. 20.

Pſal. 17.

## *Vbi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates, & ſermones innumeri. Tu verò Deum time.*

Ex earum rerum, vt diximus, quas vel egimus, vel cogitauimus, ſpeciebus inhærentibus, ſomnia exiſtunt. Is igitur, qui dum cubitum ierit, multa animo molitur, eadem dormiens, licèt præpoſterè, & inconditè, atque monſtroſè, ſomniabit. Quamobrem Salomon, vt illius qui voti, quod nuncupauerat, religione ſolutum ſe, inſcitiæ excuſatione probare conabatur, perfidiam, è mentis inſania, vanitatéque oriri, oſtendat, adiungit: *Vbi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates, & ſermones innumeri.*

Primùm hanc eandem, quam ſomniorum retulimus, cauſam commemorat, vanitatem enim & loquacitatem, ſomniorum eſſe comites, duces, & miniſtras aſſerit, ſiquidem magno ſatis argumento eſſe debet, dormientem dum vigilat, loquacem, & multis variiſque, & inanibus curis eſſe implicitum, quia dormiens, in varia viſa, plurimáque inciderit. Deinde, eſt ita cum antecedente, hæc oratio connectenda: Hæc tua, quã ad diluendum perfidiæ ſcelus, affers, excuſatio, ſomniorum inſtar obtinet: nam vt hæc ex loquacitate, & inanibus cogitationibus exiſtunt, ſic & illa è mentis minùs ſanæ ad res terrenas affectione proficiſcitur.

Poſtremò, vt ipſi nos in officiorum ratione, ſenſuum iudicio ſeuocemus regulam, qua noſtra ſtudia metiamur, adhibet: *Tu verò Deum time.* Hanc cum lacte nutricis, Salomon doctrinam ſuxit, quam pater illius ſapientiſſimus vir, cùm ſuos, ad ſe dicentem de rebus grauiſſimis, audiendum inuitaret, ſolam ſe traditurum ad bene beatéque viuendum profitetur. Pſalm. 33.

Longiorem hac de re sermonem, in libelli huius extrema oratione instituemus. Verùm illud non erit prætermittendum, à Salomone hoc in loco, aliquos existimasse, suos admoneri, ne fidem somniis adhibeant, nam etsi, plurima à Deo, sanctis hominibus somno captis, ederentur; multa tamen scelerati homines, quasi à Deo effunderentur, populo nũtiabant; neque deerant, qui in illis, etsi ea ex nimio potu ciboque existerent, diuinitatem quandam inesse arbitrarentur.

*Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negocio, quia excelso, excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper, vniuersæ terræ, rex imperat seruienti.*

Vt nihil eorum, quæ agimus, Deo possit esse offensioni, ad illius numinis timorem, tanquam ad certam rationis, & mentis diuinæ normam, vt omnia dirigamus, illis Salomon verbis præceperat, *Tu verò Deum time.* Hunc autem virtutis & honestatis custodem altorémque metum, homines prauis opinionibus imbuti, non minori studio, quàm si à ceruicibus
Psal. 72. suis iugum seruitutis auerterent, omittunt. Id verò vt persuadeant, ea ratione pugnant, quæ illos apud Dauidem, vt prouidentiam Dei, sapientiámque negarent, adducebat. Ea igitur Salomon primùm commemorat, quibus improbi homines ducti, diuinum iudicium minimè perhorrescunt. Deinde, eos ab errore hoc animi, conatur euellere.

Legitima in alios imperij potestas, à Deo, qui dominationem potestatémque omnium rerum solus habet, certis fuit hominibus conces-
Rom. 13. sa, vt cæterorum peccandi licentiam coërcerent, quod Paulus hac oratione Romanos docet, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt: itaque qui resistit potestati; Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam principes non sunt timori boni operis, sed mali: vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa; Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Verùm cùm hoc sit omnibus magistratibus, à Deo munus impositum, illud obcæcati libidine, ambitionéque, non explent, imò peccandi impunitatem quodammodo assecuti, ius omne propria libidine metiuntur.

In hos autem maximis sceleribus contaminatos, etsi diuinum numen non animaduertat, nos tamen Salomon, vt ad officium reuocet, Dei timore perculit. Nunc autem illius singularem in genus humanum benignitatem, cum iustitia coniunctam prædicat, vtriusque enim hac in re splendor hominibus lucet. Nam infinitam illius benignitatem meritò suspicimus, & admiramur, quia nocentes non statim suppliciis, quæ meruerunt,

ruerunt, impositis excruciat, sed benignè sustinet, vt aliquando ad officium redeant. Præclarè quidem Paulus de re hac ad Romanos scribens, disserit, & in eos, qui Dei benignitatem contemnentes, in veteri viuendi ratione perseuerant, his verbis inuehitur, *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Rom. 2.

Iustitiam verò, quis non laudibus veris, & propriis tanti principis laudet? Primùm enim, vt hominum scelera coërceat, permittit iis, qui reipublicæ personam nequeant sustinere, & leges minimè seruent, magistratus committi: id enim Isaias, cùm de Iudæorum moribus, orationem haberet, maximi supplicij loco posuit; eas enim illis Dei minas proponit, *Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* Quo in supplicio irrogando, summæ lenitatis & misericordiæ partes agit; nam ij, qui à suis magistratibus, quibus fuerat eorum salus commissa, omni scelere vexantur, se id malum, sibi ipsis, suis flagitiis inuexisse lamentantur, Deúmque sibi iratum esse sentiunt. (Præclarè quidem & sapienter Dauid, vt se homines à scelere, ad virtutis studium auocent, Deum precatur, vt eis tyrannum imponat.) Deinde ea ita permittit, vt ipsi iudices principésque, scelerum pœnas luant, ea enim, quæ aliis inferunt, ab iis, qui illis superiores sunt, excipiunt. Isai. 3. Psalm. 91

Cùm igitur Dei permissu, egenos, ab iis, qui opibus præstant, opprimi, iudicia corrumpi, & nihil nisi vi, aut potentium gratia, in republica fieri videmus, illius benignitatem oportet à nobis summis laudibus efferri, & iudicium magnopere timeri. Magistratuum verò inter se ordo, quo est ab his ad potestates maiores, prouocatio, (*Quia excelso excelsior est alius,*) In rebus causisque ciuium, ad æqualitatis conseruationem pertinet: vt iniuriis iactata æquitas, aliquo posit in loco consistere: si verò, ij etiam, à quibus prouocari non licet, æquitatem reiiciant, num hi impune iura violabunt? minimè. *Et insuper vniuersa terra rex imperat seruienti.* Ad eum enim vltimo loco est prouocatio, cuius summa est rerum omnium potestas, *Per quem*, vt ait Salomon, *reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, & principes imperant, & potentes decernunt iustitiam:* Vt eò, vnde defluxit omnis potestas redeat, ne quis eam legibus solutam liberámque se habere existimet. Prou. 8.

Hæc autem postrema huius, quam explicamus, orationis verba, Hebræus, quemadmodum Hieronymus interpretanda esse existimat, ita refert, *& amplius terra in omnibus est rex in agro culto.* Septuaginta verò, *Et abundantia terræ, in omni, est rex agri laborati.* Sic nempe Deus ius à magistratibus violari, & homines vexari malis permittit, quia hæc ita fieri nostro generi, est opus, & oportet, vt ipse summus omnium rerum princeps, hanc ei quasi curationem, cultúmque adhibeat; quemadmodum agricolæ, cùm id tempus postulat, diligenter adhibent; vt mollitus hic animorum ager, & oblimatus, semen excipiat, vnde fructus vberrimos efferat.

*Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis, & hoc ergo vanitas. Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori: nisi quòd cernit diuitias oculis suis?*

Quamuis in eos qui iura omnia peruertunt, ex iis, quæ disseruit, animaduersionem à Deo constitutam esse, quam illi non effugient, appareat; quia tamen id totum à diuina prouidentia pendet, non ita clarè apertéque dici poterat, oratione nunc ad vulgarem popularémque sensum accommodata, Salomon affirmat, eos in hac vita dum manent, sceleris sui pœnas non mediocres sustinere. Omnia, quæ in vitam communem mala sunt inuecta, à cupiditate gignuntur: *Radix* enim *omnium malorum*, inquit Paulus, *est cupiditas*. Hæc iudices, & principes ad iura diuina humanáque violanda impellit.

1. Tim. 6.

Ex cupiditate autem cùm aliæ animorum ægritudines, tum maximè auaritia oritur, quæ omne officium, quantúmuis sanctum & solemne comminuit. Quamobrem nullum vitium, in principibus, & rempublicam gubernantibus, ea poterit tetrius cogitari. Nam vt pecuniarum sitim, qua flagrant, latrociniis restinguant, iuris mercatum, aliarúmque rerum, domi instituunt, vt omnes, quorum intererit, ius honorésque ad vtilitatem suam nundinentur. Diuinitus quidem Iethro, cùm Mosem de republica Hebræorum, multò quàm, ad id vsque temporis fecerat, faciliùs moderanda consuleret, eos qui inter alios principes habebantur, & nullis essent auaritiæ maculis aspersi, ad ius dicendum, vt tribubus, centuriis, decuriísque præficeret, ei persuasit; filios quoque Samuëlis, patris vestigiis, in iudicis officio, muneréque præstando, quod à patre senectute confecto susceperant, sacer historicus ob auaritiam non institisse commemorat:

Exod. 18.

1. Reg. 8.

Cùm igitur auaritia legibus interitum afferat, innocentes turpibus iudiciis, nocentium pœnas sustinere cogat, nónne ipsa, vt impiorum hominum de Deo sermo, conticescat, de iniustis principibus, iudicibúsque supplicium sumit? imò & eos excruciat? Nam etsi vt pecunias augeant, omnia iuris repagula euellant, nunquam illorum poterit cupiditas expleri, quin eos auaritia indies crescens grauiter angat, & excruciet. Et dum se rei familiari putant optimè consulere, eam euertunt: nam eam rapinis amplificatam, sibi ad vitam subsidio, & filiis, posteritatíque suæ ad dignitatem, & familiæ decus præsidio fore existimant, quæ sanctissimo Dei iudicio sibi insperantibus, ad perniciem sæpe labitur, vel hæredum libidine dissipatur, vel illis extinctis ad alienos tandem peruenit. *Conturbat*, inquit alio in loco Salomon, *domum suã, qui sectatur auaritiam: qui autem odit munera, viuet. Domus* nomen in sacris literis familiam posteritatémque significat, vt est illud, *Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini*. Et, *Annunciauerunt domui Dauid*. Et, *Audite ergo domus Dauid*. Cùm autem Salomõ adiũgat, *qui autem odit munera*

Domus nomen pro familia seu posteritate.

Prou. 15.

Isaiæ 2.

Isaiæ 7.

*nera, viuet*: apertè de iis, quibus est reipublicæ gubernandæ munus delegatum, sententiam se protulisse ostendit. Quamobrem, *Auarus non implebitur pecunia. & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* Dum enim vndecunque affluentiùs pecuniam haurit, eas ardentiùs sitit: non enim vlli quæstus sibi sufficiunt, cuius nunquam poterit auaritiæ sitis restingui, & in eadem semper animi egestate viuet, cùm non sibi, sed hæredibus diues existat.

Quem igitur fructum, principes & iudices, postquam ciuitates, & prouincias, quarum salus, illis fuerat commissa, compilarunt, ex confecta pecunia, percipiunt? Maximum quidem, & eorum dignissimum studio, vt Euripides homo doctrina Christiana non imbutus, rectæ tamen rationis instinctu, & imperio ductus, affirmat, miseriarum omnium fruges, cùm talem sementem fecerint, metent. Quid igitur? nónne vides, in eorum studio, opibus & diuitiis inesse vanitatem? Quorsum ergo, solicitudines, quibus anguntur, curæ, quibus confecti, iactantur, auaritiæ incendium, quo deflagrant, mœrores, quibus, spe diuturnitatis omnino sublata, exeduntur, ad Dei sanctissimum iudicium, referenda non erunt? Eur. in Ino.

At inquies, omnium rerum copiam, illis pecunia suppeditat, quarum ij, qui iustitiam colunt, indigent. *Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas.* Non enim auarus, diuitiarum est copiâ locuples, cùm animi egestatem, atque inopiam, nulla rerum satietate abundantiáque propulsauerit: eos potiùs locupletes dixerim, quorum ille opera, ad pecuniam coaceruandam vtitur; his enim cùm in egestate vitam degerent, hæc auari copia, omnia quæ ad victum cultúmque sunt necessaria præbet: auarus autem cùm pecuniam, quam in prouincia, dum magistratum gereret, iniustè ceperat, vel alia quauis ratione, quæsierat, omni cura, & studio, sibi custodiendam esse existimat, eam, ne aliquando in angustias adduci posit, minimè tangit, nec alium ex ea fructum percipit, nisi vt in eam, cui manus iniici nefas esse putat, oculos coniiciat, in carcerem enim illam contrusit; & ipse solus quasi ianitor carceris, hanc tanti laboris mercedem accipit.

*Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat. Saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.*

Si principibus, & iudicibus auaris is labor, quem in coaceruandam pecuniam, insumpserunt, alicuius vtilitatis fructum præberet, aut ille in animo quidem, aut in corpore inesset. Cùm autem, vt diximus, illorum animus, cui nihil satis esse potest, omnibus rebus indigeat, illum profectò totum, ad corporis voluptatem & valetudinem referent. Vt igitur in voluptate viuant, & valetudini seruiant, nullis sumptibus parcant: maiorîne cum iucunditate aliquid sensu percipient, quàm tenues, & egeni solent, suauiter percepta voluptate moueri? Verùm id nec vnquam consequi poterunt, nec illud sibi, vlla pecuniæ magnitudine præstabunt,

vt voluptatem, quam egeni è rerum suarum tenuitate percipiunt, ipsi è vitæ suæ lautitia & splendore capiant; *Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue malum comedebat.* Eos qui arte manúque victum quotidianum quærunt, iucundissimo vti somno experimur, lautos verò, qui vndecũque voluptates hauriunt, cùm cibo potúque se compleant, quem stomachi calore concoquere non possint, somno priuari.

Hoc autem etsi hæc Salomonis verba significent, omnia tamen, quæ ad voluptatem spectant, complectuntur. *Somnus* enim in sacris literis non solùm communi loquendi more *soporem* significat, quo sopitum corpus languet, sed animi quoque, & vitæ tranquillitatem, tanquam placidum quendam, quietúmque statum indicat: nam dum somnum capimus animus curis vacat. Cur enim hominis voluptas ea dici poterit, quæ mentem de statu deiicit? quæ illa erit iucunditas, quæ animum pungit? quæ suauitas, quæ animum liquefacit vt diffluat, & ægritudine conficit? Eleganter quidem Oseas propheta, cùm eorum, qui
Ose.2. se ab impietate, & scelere ad Dei cultum, & virtutis studium auocarunt, rebus omnibus affluentem statum prædiceret, *& dormire*, inquit, *eos faciam fiducialiter. Si dormieris,* ait Salomon, *non timebis, quiesces &*
Prou.3. *suauis erit somnus tuus.*

Luculenter igitur, id quod dixerat, *Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis?* dum egenorum vitæ voluptates, cum diuitum voluptatibus confert, ostendit. Nam illi cùm sint egentissimi, quia tranquillo sunt animo, ex iis, quæ vel natura gignit, & omnibus, ipsa omnium altrix, è sinu quasi suo profert, vel ipsi sibi proprio labore parauerunt, curis soluti voluptatem capiunt: diuites verò quia huc & illuc curis iactantur, & solicitudinibus vexantur, in voluptate haud esse possunt. *Saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.* Ea quidem, quibus locupletes abundant, egeno voluptati fuissent, quia nullam ei solicitudinem afferant: locupletes verò eæ, quæ ex illis oriuntur solicitudines exedunt.

Quemadmodum cibus communis, egeno, fame depulsa, voluptatem affert, & somnum conciliat, locupleti verò, qui opes ad corporis voluptates omnes confert, epulæ conquisitissimæ, iucundæ non sunt, & somnum ei adimunt; ita & res aliæ, quæ sensum, si integer sit, suauiter mouent, egenum delectant, locupleti verò & opulento fastidium, aut molestiam exhibent. Nam cùm is in vmbratili vita, otio langueat, nullam, cibo adhuc onustus, poterit ex suauissimo cibo voluptatem percipere: Est autem gustatus ex omnibus sensus maximè voluptuarius, quíque dulcedine præter cæteros sensus commouetur, quamobrem *saturitatis* nomen, omnia voluptatum genera, quæ sensu percipiuntur, significat. Gustatu verò cibi suauitatem sentimus, quem si stupor oppresserit, nullius licèt conquisitissimi, gustum habebimus. Diuitum verò sensus quodammodò stupent; nam vt de gustatu breuiter dicam, inde ciborum voluptatẽ gustamus, vnde & illos vt appetamus, impellimur.
Hippoc. de morb.l.4. Sunt autem in humano corpore humores infusi, eorúmque loci quidam instar vasorum, constituti: qui si compleantur, nullus erit cibi appetitus.

petitus in corpore, nec gustatus, vllis esculentis, & potulentis suauiter moueri poterit; Quamobrem, ne in gustatu, stupor sit, & vt cibi appetitum habeamus, labore, aut modicis nos oportet exercitationibus vti, vt è locis illis quodammodò humores hauriantur, vt vacui compleri appetant. Cùm autem diuites voluptuarij, vt eleganter quidem in eos Xenophon inuehitur, nunquam famem ad cibum afferant, nullam quidem ex suauissimis etiam cibis voluptatem percipiunt, onustique cibo, quem cùm coquere non possint, noctem vigilant. Hinc autem corporum ægritudines, & dolores oriuntur, qui eos vehementer affligunt, & debilitant. Hipppoc. de dict. l. 1. Clem. Alex. stro m. 2.

Si igitur ad corporis voluptates, quibus tantopere student, respiciant, se in eo voluptatum genere cognoscent, ab egentissimis hominibus, lõgè multúmque superari. Si verò solicitudines, in quibus versantur, animaduertant, cùm illæ nullam eos partem capere quietis sinant, egenísque liceat, quieto animo, tranquillóque frui: pecuniam manifestè comperient, nihil nisi, vt eam oculis vsurpent, sibi magis, quàm egenis, alienísque hominibus prodesse, in iis denique quæ tam ardenter appetunt, ab eis scelerum pœnas, diuino experti iudicio sentient.

*Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui: pereunt in afflictione pessima: generauit filium, qui in summa egestate erit.*

Ij quibus Deus populi moderandi, regendíque potestatem tradidit, & ea illi ad quæstum abutuntur, quanto supplicio in hac vita in his ipsis opibus, quas diuini humaníque iuris religioni præferunt puniantur, aliqua ex parte Salomon, vti vidimus, explicuit. Pluribus adhuc verbis in eo commoratur, & simul de auaro, qui magistratus personam minimè sustinet, eadem oratione disserit. Cùm itaque opes, auari cupiditatem explere nequeant, neque animi aliquem statum collocent, & corpori potiùs obsint, si ad voluptates intemperanter, vt fieri solet, conferantur, reliquum est, vt spes sit auaro, aliquando eas, ad salutem, dignitatémque conseruandam, sibi posteritatíque suæ fore præsidio.

Verùm vt auari fert conditio, & animi ægritudo maxima, ei perniciem sæpenumerò, & exitium afferunt. Nam cùm animum, auaritiæ morbus de statu deiiciat, duo sibi, omni studio perficienda proponit, alterum est vt de coaceruata pecunia, nulla vnquam possit ratione diminui: alterum verò, vt eam multis accessionibus augeat. Primùm igitur, ne pecuniæ aliqua fiat diminutio, sibi ipse sumptus ad vitæ cultum necessarios denegat, vt rerum omnium indigens, in summa viuat egestate. *Diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.* Illa quoque ei pernicies accedit, qua nulla ei poterit maior afferri, vt ij, qui viribus, aut ingenij acumine præstant, in pecuniam illius oculos adiiciant, eámque diripiant. *Et pereant* (diuitiæ scilicet) *in afflictione pessima.* Eleganter id quidem Euclio auarus senex, Plau. in Aul.

quia aulam auro plenam quam in sylua defoderat, non inuenisset, ostendit, sic enim plangere & lamentatione omnia complet.

*Perij, interij, occidi; quò curram? quò non curram? tene tene.*
*Quem? quis? nescio. nihil video, cæcus eo, atque*
*Equidem quò eam, aut vbi sim, aut qui sim,*
*Nequeo cum animo certum inuestigare. Obsecro vos ego mihi auxilio,*
*Oro, obtestor, sitis, & hominem demonstretis, qui eam abstulerit.*
*Qui vestitu, & creta occultant sese, atque sedent, quasi sint frugi.*
*Quid ais tu? tibi credere certum est, nam esse bonum te vultu cognosco,*
*Quid est? Quid videtis? noui omnes. Scio fures esse hic complures.*
*Hem nemo habet eorum? occidisti. dic igitur, quis habet, nescis?*
*Heu me miserum, miserum. Perij malè perditus, pessumè ornatus eo,*
*Tantum gemiti, & malæ mæstitiæ, hic dies mihi obtulit famem & pauperiem,*
*Perditissimus sum ego omnium in terra.*
*Nam quid mihi opus vita est, qui tantum auri,*
*Perdidi, quod custodiui sedulò? egomet me fraudaui.*
*Animúmque meum, geniumq́ meum, nunc eo alij lætificantur meo malo &*
*Damno. Pati nequeo.*

Inuidiam prætereo, quam in eum pecunia quærit, venenum, quod, vt eum de medio tollat, spargit, insidias; & innumera alia prætermitto, quæ ad illius perniciem & interitum parat. Hoc autem ipsa hæc communis, & quotidiana vita comprobat, vt minimè opus sit nobis, memoriam temporum replicare, vt inde repetitis exemplis, illud confirmemus. Deinde, vt aliqua fiat pecuniæ accessio, nullum negotium non suscipit. Insperanti autem ei, vt sæpenumerò contigisse vidimus, accidit, vt ipsa eam negotiatio dissipet, vnde singularis tristitia dolórque emergit, qui illum maximo cruciatu conficit: est enim apud Hebræum, nomen עִנְיָן quod tum *negotiationem*, tum etiam *afflictationem* significat, quemadmodum noster interpres hoc in libello, Latinè vertit, pro eo enim, in capite primo, *occupationem*; hoc autem in loco, *afflictationem* reddidit, *Pereunt in afflictione pessima.*

Prou. 1. Hanc auari miseram conditionem Salomon in prouerbiorum libro luculenter hac similitudine explicat, *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum*, ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas, sic semitæ omnis auari, animas possidentium rapiunt. Etenim quemadmodum, si plagas volucribus tendas, etsi eas ipsæ videant, vt esca vescantur, in eas incidunt, ita & auari studia ei mentem eripiunt, vt ruinam fortunarum suarum impendentem minimè caueat, & vt magnos, & vberes, quos sibi proposuerat, quæstus faciat, in interitum sæpè ruat voluntarium.

Illam quoque sibi culpa sua miseriam quærit, *Generauit filium, qui in summa egestate erit.* Hoc enim illud consequitur, vt eodem studio, & opera, quam in augenda pecunia auarus diligenter nauauit, ipsa dilabatur, & posteritas illius, rerum omnium, quæ ad vitæ cultum sunt necessariæ, indigeat.

*Sicut*

*Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas, quomodo venit sic reuertetur. Quid ergo prodest ei, quod laborauit in ventum?*

Hæc autem, quam sibi auarus affert, pernicies, quamuis non semper illum, & posteritatem illius opprimat, quemadmodum neque illud videamus, quod Eliphas Themanites asserit, in sceleratos principes, esse supplicium constitutum, ab illis, vt in officio delinquunt, exsolui: sæpenumerò tamen auarus, & illius posteritas, sanctissimo Dei iudicio corruunt: variis enim suppliciorum generibus, ad salutem eos reuocat, vt beneficia, quæ illis præstat, & supplicia, quæ irrogat, ad hanc vnam salutis illorum normam dirigantur. Hæc autem Dei benignitas, quæ sceleratis hominibus consulit, vt beneficiis prouocati, ad eum, à quo illa accipiunt, aliquando respiciant, est illis in causa, culpa nempe sua, & scelere, vt quo plura debent minùs beneficiis grati, píque esse studeant, dicentes, vt ait Petrus, *omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.* Illud igitur, quod velint nolint principes, & auari, omnes supplicium perferent, Salomon ante eorum oculos proponit. Etsi namque potentia, diuitiisque ad iniuriam inferendam, plurimùm valeant, quin moriendi necessitati pareant, consequi nulla ratione poterunt. Quemadmodum igitur ex omnibus rebus nudi, editi sunt in lucem, ita ad telluris veluti matris gremium, hinc rebus omnibus vacui commigrabunt. Iob 15. 1.Pet.3.

Amentiam denique eorum, qui omnem officij rationem, pecunia metiuntur, ne dicam stuporem, attendamus. Mirum profectò nemini videri debet, si is, qui pecuniam paruipendat, nudus hinc discedat; illum autem, qui tanto studio, argentum in thesauros congessit, nudum, ac si mendicus extitisset, hinc abire quis non cum admiratione videat? Hic autem auari casus, adeò miserabilis visus est Salomoni, vt illius animi infirmitatem, imbecillitatémque flere lamentaríque cogeretur, ob eam enim causam eandem sententiam repetens, inquit, *Miserabilis prorsus infirmitas, quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei, quòd laborauit in ventum? Venti* nomine, summam studiorum, quæ ad pecuniam vndique colligendam conferuntur, inanitatem significat: vt est illud, *Nunquid sapiens respondebit, quasi in ventum loquens?* Et *qui nititur mendaciis, hic pascit ventos.* Iob 15. Prou.10.

Plura quidem & eleganter in Prouerbiorum libro, Salomon in eandem sententiam disputat, cámque vt apertè & planè explicet, eos qui in auari vitam casus incurrunt, cum iis, qui probis hominibus accidunt, diligenter & attentè confert, sic igitur orationem instituit. *Alij diuidunt propria & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt: anima quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur:* (hoc est, eorum opes, qui liberales sunt, & benefici, Deus multis accessionibus auget) *qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium: qui confidit in diuitiis suis, corruet, iusti autem* Prouerb. 11.

*qui confidit in diuitiis suis corruet, iusti autem quasi virens folium, germinabunt: qui conturbat domum suam, possidet ventos* ( hoc est, qui nihil ordine gerit, qui non rem suam præsentem administrat, sed inania tantùm meditatur, & solidas opes contemnit, vt inanes exquirat, is vt auram persequitur, auram possidebit.) Hanc autem orationem in hæc verba concludit, quibus nos de sanctissimo Dei iudicio admonet. *Si iustus in terra recipit, quantò magis impius, & peccator?*

Osor. res in Prou. 11.

Non igitur Deus in hominum sceleribus conniuet, nam cùm ei, viri iusti, si quid in vita delinquunt, pœnas pendunt, quid de auaris iniustísque sentiendum erit? *Tempus est*, inquit Petrus, *vt incipiat iudicium, à Domo Dei, si autem primùm à nobis quis finis eorum, qui non credunt Euangelio?* Ita quidem sanctissimus iudex, præsentis cuiusque sceleris pœnas in diem reseruat, vt eas aliqua ex parte, dum in vita manent, de impiis & sceleratis hominibus repetat.

1. Petr. 4.

*Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna, atque tristitia.*

Vt planiùs & apertiùs auari miseriam & ærumnam explicaret, illius conditionem certis signis describit. *Comedit in tenebris.* Quemadmodum Latini dicunt, *in tenebris iacere, in tenebris habitare, & è tenebris vocare*, ita Hebræus, vt in summa rei familiaris sorde, auarum esse significet. *Comedit*, inquit, *in tenebris.* Offusæ enim tenebræ, ea, quæ sub aspectum natura sua cadunt, ne videantur, occultant; diuitiarum etsi non exiguus sit splendor, auari tamen moribus obsolescit. Non solùm autem mentis cæcitatem, sed vt infamiam alicuius, & miseram conditionem significent, sacri scriptores, *tenebrarum* nomen vsurpant, vt est illud, *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam cùm sedero in tenebris.* Et illud, *Circundedit eum Deus tenebris.* Et, *Non recedit à tenebris.* Addit deinde Salomon auarum ad has vitæ sordes, solicitudines sibi, ærumnam, & tristitiam adiunxisse: vt miseram, quam sibi ipse conditionem constituit, cámque Deo ita permittente subit, ante oculos propositam haberemus; & illius, qui tandem hinc nudus discedet, amentiam, si non detestari vellemus, saltem lamentaremur, & Dei iudicium subire timeremus.

Mich. 6. Iob. 3. Iob. 15.

*Hoc itaque visum est mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laborauit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus; & hæc est pars illius.*

Cùm auari cupiditas expleri non possit, & eo conatu, atque studio, quo apud se nummorum aceruos constituit, in apertam ipse perniciem incurrat, & hinc tandem, ex iis rebus omnibus, quas tanto labore quæsierat,

fierat, nudus, in sepulchrum sit inferendus: erit quidem consentaneum, & consequens illius vitam esse miseram: cámque nobis esse expetendam, quæ ab ea longissimè abhorreat. Quamobrem Salomon, quod verissimum sibi videbatur, de vita moderanda, quæ diuitiis affluit, consilium præstat. *Hoc itaque, inquit, visum est mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo.*

Quemadmodum paulo antè, vt auari vitam sordidam, & miseriis esse plenissimam significaret, dixit, *cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, in curis multis, & in ærumna, atque tristitia.* Ita hoc in loco, hominis liberalis, & beneficij vitam, quam potiorem, & amplectendam esse ducit, per potum, & cibum, lætitiámque è diuitiis perceptam describit. Non igitur cibi potúsque suauitatem omnibus rebus præfert: verùm cùm homo tenax, & restrictus, nemini cibum suppeditet, & nullum licèt honestum, & moderatum agat conuiuium, & multis, variísque curis, vt pecuniam amplificet, iactetur: liberalis profectò, & beneficus, iis, qui victus, cultúsque indigent, ex suo largietur, conuiuas, vt ius communis inter homines Societatis exigit, bene accipiet, vnde singularem capiet animi voluptatem.

Iis ergo, qui opulenti sunt, vt auaritiam præsertim fugiant, & liberalitatem amplectantur, præcipit: hæc est enim officij eorum pars præcipua, vt pecuniarum vsum, & vtilitatem spectent. *Quare & hæc est pars illius.* Est autem in sacris literis, *pars*, vt diximus, illa agri, siue hæreditatis portio, quæ cuique obuenit, *In terra eorum*, inquit Dominus ad Aaron, *nihil possidebitis, neque habebitis partem inter eos, ego pars, & hæreditas tua.* Eodem Num. 18.
quoque nomine, cùm de aliarum rerum, inter aliquos partitione agunt, sacri scriptores vtuntur, quemadmodum & Latini, cùm prædam, fugatis hostibus, captam inter se partiuntur, quod cuiusque partis esset, traditum fuisse dicunt. Sic Moses interfectis Madianitis, cùm spolia, quæ ab eis filij Israël ceperant, inter eos, qui in acie cum hoste manu conflixerant, & eos, qui in aciem, dimicationémque non venerant, & Deum, Num. 31.
partita fuisse commemorat: *Data est*, inquit, *media pars iis, qui in prælio fuerant, ouium trecenta triginta septem millia, quingenta, è quibus in partem Domini, supputata sunt oues sexcenta septuaginta quinque.*

Si auari mores, & vitam excutimus, eum pecuniæ, quam vndique collegit, ita seruire comperiemus, vt ipsa nihil ad eum, nisi vt cæca, atque temeraria dominatrix pertineat: at si benefici, & liberalis hominis vitam consideres, pecuniam ad eum, vt Dominum spectare perspicies; eam enim, cuius auarus seruitutem patitur, ad beneficentiam ille, & ad liberalitatem confert. Cùm ergo diuitiæ tum auaro, tum liberali suppetant, ille quia in earum seruitute viuit, nullum ex eis fructum colligit, hic autem, quidquid illæ boni in se continent, liberalitate, & beneficentia, in suam, & aliorum vtilitatem deriuat, *quare, & hæc est*, inquit Salomon, *pars illius.* Nam diuiti, si non sit beneficus, pecunia minimè prodest, & plus ipsa, absque liberalitate, & beneficentia, detrimenti, quàm emolumenti affert.

Quàm verò sit hoc prudens Salomonis consilium apparet, tum quia
hic

hic pecuniarum vsus, quem ad sui,& ad multorum vtilitatem beneficus habet, omnium sibi animos conciliat, & opes, vt Salomon in Prouerbiorum libro docet, accessionibus auget,tum etiam, quia sibiipsi sumptus necessarios adhibet,& ex donationibus,quas facit,eximiam,vt docet Aristoteles, voluptatem percipit; Euangelij quoque doctrinæ est valde conueniens: hæc enim naturam non odit, cùm eundem cum illa ipsa sui habeat auctorem,qui hominibus gustatum, quo ciborum suauitatem sentirent,in ore dedit, & ad hunc insitum in natura sensum temperantiam adiungit.

Prou.11.

Arist.Mor.ad Nic l 4.c.1.

Quia verò in prætermittendis voluptatibus, temperantia cernitur, eos, qui voluptatem, vt malorum omnium escam, singulari studio fugiunt, cæteris esse præferendos, Euangelium ostendit, non tamen eos reprehendit, sed potiùs laudat, qui in victu ita temperantes existunt,vt in eis species quædam liberalis appareat:non enim hic victus cultúsque moderatus,animi studium conturbat, aut incitat,sed temperat,vt neque se à recta ratione, neque à præscripto diuinæ legis auertat. Ipse Euangelij naturæque autor,omnia quæ tellus gignit,Noë,vt inde sibi victum pararet,tradidit;neque ita de victus ratione præscripsit,vt omnem conuiuij vitæque splendorem prohiberet: Abrahamum,& Lot parasse conuiuiū legimus:& Petrus, vt simus in omnes hospitales præcepit: illúdque officij Christiani munus, tanti fuit Paulo, vt ab iis, qui Episcopi personam sustinerent, singulari esse studio seruandum, lege sanciret: Quin & ipsum Christum O. M. in conuiuiis fuisse versatū ab Euangeliis commemoratur,& ab eo hospitem, à quo fuerat exceptus, notatum Lucas fuisse refert,quòd aliqua, quæ in conuiuiis obseruari consueuerant,erga se officia prætermiserit.

Gen. 9.
Honesta cōuiuiorum recreationis licentia.
Gen. 18. & 19.
1.Petr.4.
1.Tim.3.
Tit 1.
Matt.9.
Mar.2.
Ioan. 12.
Luc.7.

Prudenter ergo Salomon consulit diuitibus, quomodo diuitiis vti eos oporteat,vt aliqua ex parte iucundè viuant;temporum quoque rationem distinxit,cùm id, quod in hominis vita,perfectio est,*Vende*, scilicet,*quod habes, & da pauperibus*, vnde ipse longè aberat,ei præstandum reliquit,qui humano corpore indutus, multa post sæcula, quemadmodum omnia imperio continebat, ita in se ipso,omnia, quasi inchoata, perficeret,

Mat.19.

Eph.1.

*Et omni homini,cui dedit Deus diuitias,atque substantiam, potestatémque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua,& lætetur de labore suo;hoc est donum Dei.*

2.Cor.3.

Cùm propriis viribus, ne cogitare quidem aliquid possimus, quod sit laude dignum, & in quo veræ virtutis lumen appareat: diuino munere fit,vt diuites,hoc quod eis Salomon consilium dedit, singulari studio persequantur. Est enim id non solùm difficile, sed supra hominem putandum,& Deo,qui mentes hominum, ad moderationem, in omni vita

vita retinendam deducit, tribuendum. Hoc enim Isaias, cùm de Tyriorum reipublicæ futura conuersione ageret, in maximi à Deo accepti beneficij loco posuit: futurum enim posteris prodidit, vt Tyrus, amplissimum tunc temporis emporium, quæ ex multis nationibus pecuniam colligebat, nec vllo vnquam quæstu satiata, auaritia flagrabat, cùm primùm religionem Christianam coleret, simul & opes ad beneficentiam conferret, *Et erunt*, inquit, *negotiationes eius, & mercedes eius sanctificatæ domino: non condentur, neque reponentur, quia his, qui habitauerint coram domino, erit negotiatio eius, vt manducent in saturitatem, & vestiantur vsque ad vetustatem.* Isaiæ 23.

Hoc autem munus acceptum, quare Salomon clementiæ diuinæ referat, satis ni fallor in hoc eodem libello antea explicuimus. Ecclesi. 2.

*Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quòd Deus occupet deliciis cor eius.*

Cur pecuniarum vsum, cùm illæ ad beneficentiam & dignitatem conferuntur, rebus omnibus, quæ in opulenti hominis vita maximè enitent, antetulerit, breuiter exponit. Ea est autem nostri generis conditio, & hominis vita tam multis vndique circumsepta malis, vt nulla pars illius nullo vnquam temporis momento, miseriis careat: quibus ne contabescat, opus est animum cogitationémque ab eis parumper auertere. Id autem, non vt Epicurei asserebant, cùm nos in malis non esse cogitamus, accidit, dum enim illa nos lacerant, hoc propriis viribus à nobis præstari non potest, &, si posset, quonam quæso modo, dum te miseriæ vexant, & respirare non sinunt, ab earum te cogitationibus abstrahendo, & mente contrectando voluptates, miseriarum non te acerbitates pungent, & exulcerabunt?

Est id quidem diuinæ sapientiæ opus præstantissimum: quod Plato, cùm veram & expressam sapientiæ effigiem non teneret, illius vmbras consectatus, obscurè tetigit, in malis enim, eum, qui virtutum sit muneribus cumulatus, miserum haud quaquam esse docuit. Paulus autem rem ipsam fontémque ipsius aperuit. *Non solùm autem*, inquit, *sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, deiicimur sed non perimus, semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Hæc Paulus suo more multa præclara, & diuina perstringens, disserit, solus enim diuinus Christi Spiritus, earum quibus se genus nostrum peccando miseriis subiecit, veram nobis leuationem affert, quam Salomon hoc in loco, obscurè commemorat. Etenim cùm beneficentia, nihil sit naturæ hominis accommoda- Rom. 5. 2. Cor. 4.

tius, eam diuinus spiritus; eximiis muneribus donat, quibus animus humanus excultus, ea, quæ secum inuehit hominis conditio, pro nihilo
Sap.7. ducit. *Est enim ille,* inquit sapiens, *Suauis, & amans bonum.*
1.Reg.2. Is igitur, qui ad benignitatem pecuniam confert, non solùm à Deo, qui ex paupere diuitem, & ex diuite pauperem facit, sibi pecuniam fuisse traditam existimet, sed beneficentiam ex eodem bonorum omnium fonte, ad se quoque permanasse. Hoc autem in singularis beneficij loco, si hominis conditionem animaduertat, sine dubio ponet: nam cùm ea sit plena miseriis, mirum est, quàm eas beneficentia leuet; illis enim, dum ipse naturæ necessitatique nullos sumptus denegat, quantum potest medetur, multorum quippe sibi studia componat, quæ non mediocri sunt ei, ad voluptatem capiendam adiumento, & singulari leuamento miseriarum: magnum præterea ad id, pondus accedit, animi voluptas, quam ex beneficiis collatis percipit: nec illud pauci refert, quod
Prou.31. Salomon iis, qui in mœrore sunt, remedium adhiberi præcipit, *Date siceram,* inquit, *mærentibus, & vinum iis, qui amaro sunt animo, bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur ampliùs,*

Dum igitur diues, opes, quas à Deo accepit, ad benignitatem confert, sibi quidem plurimum ad lenienda vitæ incommoda proficit, tum quia spiritus Christi, qui in hominum animis beneficentiam, temperantiámque inserit, ei auram in miseriis suauissimam afflat, tum etiam, quia eam illi mentem iniicit, vt ex diuitiis fructus, quos honestè po-
Ecclesf.1. tuerit, colligat. Hoc est autem, quod Salomon inquit, *Deus occupet deliciis cor eius.* Etenim, vt hoc in libello antea dixerat, *Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea:* Ita nunc diuitis animum à Deo occupari dicit, cùm ille in iis, quæ ad beneficentiam, & ad moderatum victus cultúsque sui splendorem spectant, diuino munere occupatur. Hac enim honestissima occupatione, aditum miseriis quodammodo intercludit, vt non ita facilè ad animi illius statum conuellendum aspirare possint. *Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ.* Non quia eas, quæ hominis naturam comitantur, miserias, obliuione conterat, sed quia non multum temporis in illis pertractandis collocabit, cùm iucundissima sit occupatione distentus.

Psl.16. Psl.136. Dies pro tempore miseeriarum. *Dierum* autem nomine, temporis, vitæque miserias significat, vt est illud, *Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quòd veniet dies eius.* Et illud. *Memor esto Domine filiorum Edon, in die Hierusalem.* Aliam verò huic orationi, in paraphrasi, sententiam subiecimus, quæ nobis satis quoque, visa fuit conueniens.

CAPVT

# CAPVT VI.

*Est, & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines. Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas & miseria magna est.*

BEneficentiam, & liberalitatem, quæ in opulenti hominis vita eminet, acceptam Deo referri oportere Salomon docuit: auaritiam quoque, Deo, quo hominem diuitiis auget, & fortunis locupletat, minimè conniuente in illius animo inhærere prædicat: vt Dei prouidentia omnia constitui, ij etiam homines intelligant, qui vt vidimus, eam negant, quòd iura diuina, & humana peruerti videant. Quid verò boni in homine insit, qui diuitiis affluit, si tantùm eas respicias, Salomon commemorauit, ídque in Deum retulit: huic autem bono, quid vehementiùs repugnet, consequens erat, vt explanaret.

De auaritia igitur longiorem instituit orationem, in qua primùm Dei prouidentiam omnium esse moderationem prædicat: homines enim non solùm diuites facit, sed eorum quosdam, beneficentia', dono quasi quodam singulari munerat, plures verò auaritiæ sordibus obsolescere permittit. Illud nulla est admiratione dignum, cùm sit ipse fons sanctissimus, & augustissimus, ex quo omnia bona fluunt; Hoc autem, auaritiæ scilicet, illum autorem dicere, quis non perhorrescat? *Nemo*, inquit Iacobus, *cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat, vnusquisque verò tentatur, à concupiscentia sua abstractus, & illectus: omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum.* Cùm enim ipse non possit seipsum non diligere, sui quidem similes amabit, & eorum dignitas chara sibi erit, eámque tuendam singulari cura suscipiet. Non igitur in hominem, in quo sui similitudo extat, odium habebit, neque diuinæ naturæ suæ imagini, quam ipse in illius animo impressit, auaritiæ labem asperget. Quemadmodum enim hominem è luto effinxit, maximísque muneribus cumulatum, immortalitate donauit; ita & Diaboli fraude lapsum, à scelere reuocauit, & quæ in illius animo erant sordes eluit. Non ergo eum vitiis, ac si ea, in illius animum infundat, & à virtutis studio, ad scelus auocet, contaminat. Verùm cùm homo, coniunctionem, quæ cum Deo illi erat, dirimit, ad teterrimũ nostri generis hostem, violata fœderis religione transit, illiúsque mores imitatur, *Vos*, inquit Christus O. M. *ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Hoc vitiorum est nostri generis caput, & origo.

[Iac. 1. | Sapien. 11. | Sapien. 2. | Ioan. 8.]

Quorsum igitur Salomon Deum ingentes auaro diuitias dedisse, eidémque asserit facultaté, vt illis vteretur, ademisse? Primùm quidé, quia

mundum hunc, & omnes illius partes ipse constituit, & eas omni tempore administrat. Nónne, inquit ipse, *duo passeres asse veneunt? & vnus ex illis non cadet super terram sine patre meo?* Deinde, cùm ipse omnia prouideat, quid cuique sit opus ad seruãdam, in officio colendo, honestatem, tribuit: quod cùm mens humana prospicere non possit, etsi Dei prouidentiam minimè reprehendat, ab ea tamen hæc curari dubitat: propria enim sui imbecillitate eam metitur: quo in iudicio, quantum à veritate absit, diuinæ naturæ præstantia, & ipsius tenuitas ostẽdit, id enim, quod mentis aciem fugit, à se comprehendi, stultè sibi arrogat.

Matth. 10.

Verùm cùm Deus ad honestatẽ, virtutísque laudem, genus nostrum condiderit, nec illa possit in eo reperiri, qui in sua potestate non sit, ita res hominum curæ sibi sunt, vt illis numquam arbitrij libertatem eripiat. Nónne, inquit, *si bene egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Eleganter quidem vir sapiens, in eo, quem de sapientia scripsit libello, *Quoniam*, inquit, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, creauit enim vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis medicaméntum exterminij, nec inferorum regnum in terra: iustitia enim perpetua est, & immortalis: impij autem manibus & verbis accersierunt illam: & æstimantes illam amicam defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam, quoniam digni sunt, qui sint ex parte illius.* Quia igitur suo se homo arbitrio gerit, ne in exitium præcipitet, eum Deus diligenter instituit, & ea, quæ sibi vt caueat, oportet, lege præscribit. Vbicúmque enim ille terrarum sit, eum ad se diuina sapientia inuitat, à scelere auocat, ad honestũ, decorúmque hortatur: hoc enim singulare illius in genus humanum studium in omnibus apparet, & Salomon in Prouerbiorum libro ornatè quidẽ, & dilucidè nobis ante oculos posuit.

Genes. 4.

Sap. 1.

Prou. 1.

Non igitur rerum omnium princeps, de illius, quem opibus locupletat, exitio cogitat, sed materiam ei subiicit, quam singulari cum laude pertractet. Verùm cùm diuitiis affluat, & sordes à se auaritiæ minimè repellat, nónne potius erat, illum rerum esse omnium indigentẽ? Summæ est quidẽ stultitiæ, de re, quæ in obscuro latet, tam confidenter decernere: num mens humana longiùs, quàm diuina prospicit, vt huic indigentiam, ad virtutis laudem assequendam, adiumenti plus, quàm opulentiã, allaturam videat? At quorsum, inquies, vt diues fieret, non prohibuit, & ne ad scelus eum paupertas impelleret, ea tantummodo quæ ad victum cultúmque sibi essent necessaria, tribuit? Num quæso, qui in magna pecunia sit auarus, in parua futurum beneficum, & liberalẽ, est tibi certum & definitum? rerum quidẽ copia animos erigit, & eorum, si qua sit, istarum rerum, sitim restinguere, aliqua ex parte potest, etsi explere omnino nequeat: erat igitur meritò sperandum eum ab auaritia retrahi posse ob rerum copiam, & ferè desperãdum, fore, vt qui in magnis opibus adhuc maiores ardenter appetit, in illa mediocritate, quã sibi, quísque vir sapiens optaret, non multò eas ardentiùs cupiat.

Dum igitur ei, prouidẽs naturæ autor diuitias benignè tribuit, vt præsidia vitæ comparet, & viam sibi, beneficentia, ad beatitudinem muniat, plura

plura in eo simul beneficia collocat: primùm, quia nō ei paupertatis onus, ne opprimeretur, imposuit: deinde, quia in illa rerum mediocritate, vt eam augeret, solicitudine illum non mediocri, & cura vexandum prouidebat; hinc vt is recederet, curauit, & ab illius ceruice, quæ ei imminebant mala, repulit. Ni autem Deus ita ei prospiceret, non tam manifestè hominis auaritia appareret. Quamobrem dum in eo Deus tot beneficiis positis, ne in exitium præcipitet, eumque in officio continere nititur, is autem occasionem ad pecuniam vndique colligendam sibi datam existimans, ita se gerit, vt in eo emineat auaritia, quæ non ita quidem eminens fuisset, si in eum Deus non tam benignus extitisset; non solùm permittere, sed ei, vt diuitiis vtatur, facultatem Deus dicitur ademisse. Sic etiam cùm Deus multò ante Pharaonis, vt Moses refert, insolentiam, superbiam, & contumaciam vidisset, nihil quod illius animum ad obedientiam molliret, aut illi ad salutem opitulari posset, ipseque beneuolentissimi, in genus humanum principis officio vt fungeretur, prætermisit: cumque, vt sacer regum historicus testatur, &, vt autor est Moses, Pharao ad Dei vocē, proprio scelere obduruisset, incredibilem tamen illam animi duritiem, Pharaonem à Deo, idem autor habuisse commemorat: Sponte quisque auaritiæ sordibus obsolescit, si tamen, iis bonis, quibus eum Deus ad beneficentiam cumulauit, omnino careret, non tantopere in eo auaritia emineret: quemadmodum nec Pharaonis scelus tantis esset accessionibus amplificatum, nisi in eum tam eximia Dei benignitas fuisset. Exod. 3. 1. Reg. 6. Exod. 8. Exod. 4. 7. 9. 10.

Accedit illa rerum aptis & accommodatis locis compositio, quam huius vniuersitatis, quam mundum appellamus, pulchritudo subsequitur: nec non & earum rerum, quæ aguntur, aut dicuntur, loco suo collocandarum scientia, qua Deus omnia in ordinem adducit: vt si ad diuinæ mentis vim, quæ omnia non solùm ordine, sed momento quodam, atque iudicio disponit, oculos conuertas, hanc eandem auaritiam, hos, inquam, illiberales & sordidos quæstus, & actiones, quibus officij religio violatur, & Dei numen offenditur, ita suis locis disponi perspicies, & in ordinem redigi, vt etsi ob auaritiam deformitas animi in auaro, offensionem habet, in hanc tamen rerum vniuersitatem, mirum sit, quàm aptè & concinnè cadat, & cum iis, in quibus lucet virtutis splendor, cohæreat. Aug. l. 2. de ord. c. 4.

Nam sicut ex iis, quæ supra subterque sunt, & medium tenent locum, huius vniuersitatis, qua omnia continentur, pulchritudo, & concinnitas efficitur, quia vna sint naturæ consensione constricta: ita & generis humani vniuersitas, quæ est mundi pars, ex variis hominum generibus constituitur: singulorum autem distinctæ actiones, & variæ, etsi earum plurimæ ab honestate sint alienæ, & ideo inordinatæ, ad totius tamen pulchritudinem, in ordinem rediguntur, & vt diuersi, & contrarij syderum cursus, quasi acuti soni cum grauibus temporati, concentum efficiunt: *Attingit* enim, vt inquit Sapiēs, *à fine, vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Summa nanque potentia, principium & finem naturæ vniuersæ complectitur, & summo consilio, rerum omnium statum, & salutem constituit, ita vt nihil sit in quolibet genere, quantum rei vniuscuiusque conditio postulat, quo me- Sap. 8. Osor. Epis. tom. 3. Sap. 8.

lius ad vtilitatem, aut elegantius ad pulchritudinem, aut valentius ad stabilitatem excogitari possit.

Auaritia igitur in hoc genere rerum, cum liberalitate & beneficentia, in totius vtilitatem & pulchritudinem aptè conuenit; in illius enim à recta ratione defectu, & istius ad eam quasi accessu, liberalis & illiberalis distinctio apparet, vnde illud decoris lumen exoritur, quod ad liberalitatem pertinet: hoc autem & aliis, nostri generis vniuersitatem Deus luminibus ornat.

Postremò quidem, vt arbitrij libertas in homine eluceret, vitiis vt daretur locus, oportuit, & singularis illa à Deo œconomia institueretur, quam
2.Tim.2. Paulus his verbis commemorat, *In magna domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Hæc autem in causa sunt, cur Salomon, hoc in loco inquit, *Nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo.* Cur verò diuitum animos, si non semper, plerunque tamē occupet auaritia, alio in loco explicuimus. Vt autem diuinæ iustitiæ vim, quæ est pars prouidentiæ, in auari vita, rebusque vigere Salomon ostendat, inquit, *Sed homo extraneus vorabit illud.*

Tanto igitur Deus in omnes studio animaduertit, & res humanas eo iudicio disponit, vt in illarum curatione dispensationéque iustitiam semper retineat: auarum enim dupliciter sæpenumerò punit: nam dum is sibi ipsi sumptus denegat, & cura solicitudineque afflictatur, pœnas quidem luit: si quid verò in vita luendum superest, tandem persoluit, cùm eam, quam tanto labore coaceruarat pecuniam, in alieni hominis domum sanctissimo numinis iudicio illatam, gurges ille, & vorago patrimonij heluatur. Hoc autem, quia nullum poterat auaro supplicium imponi acerbius, in illius Salomon eum memoriam reuocat.

Verùm infinita Dei prouidentia, vt tempori, loco, & personæ conuenit, in auarum supplicia constituit; fieri enim sæpenumerò videmus, occulto id quidem Dei iudicio, cuius mens humana rationem minimè comprehendit, vt auari, & impiorum posteritas, & proles per aliquot ætates diuitiis, af-
Psal.16. fluat & bonis: *Saturati sunt*, inquit Dauid, cùm de improbis apud Deum orationem habet, *filiis, & dimiserunt reliquias suas paruulis suis.* Cùm verò eorum soboles, in vita moderanda, parentum vestigia sectetur, eam Deus vt opportunum est, à libidine coërcet, & in scelere contumacem extinguit,
Psal.36. *Iniusti*, inquit idem vir sanctus, *punientur, & semen impiorum peribit, & iniusti disperibunt, & reliquiæ impiorum interibunt:* & cùm oportet ipsum quoque
Habac.2. auarum diuitiis spoliatum, egestate premit, *Væ*, dixit Habacuc, *qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat, de manu mali, cogitasti confusionem domui tuæ.* omnia nanque Deus ad hominum salutem dirigit, vt hæc vna, eorum, quæ agit, norma esse videatur, quæ quidem ob morum dissimilitudines, est in causa, vt auari non eandem semper conditionem sustineant, sed in varios & dissimiles casus incidant, qui eos dissimiliter excruciant, Hoc, inquit Salomon, nempè diuitiis affluere, illis autem nec quidem manus admouere, & in alienam denique domum, eas, vt dissipentur, auerti, *vanitas & magna miseria est.*

*Si*

*Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturáque careat: de hoc ego pronuntio, quòd melior illo sit abortiuus, frustra enim venit, & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius. Non vidit Solem, neque cognouit distantiam boni, & mali, etiamsi duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis.*

Liberorum procreationem tum natura duce, tum etiam Dei autoritate, prisci illi viri sancti, in bonis ponebant, ea enim genus humanum propagari, &, vt terra omnis coleretur, Deum hominibus, vt filios procrearent, præcepisse, sobolemque ipsam in suis ab eo beneficiis numerari, cernebant: filiis quoque Israël, si diuina præscripta seruarent, fututam Moses, non solùm agrorum, sed & mulierum fœcunditatem pollicetur: cùm etiam Dauid, qui diuini numinis metu, ne in vita peccet, libidinem coërcet, & actiones vitæ, ad Dei præscriptionem fingit, hoc non mediocri à Deo inter alia testatur, beneficio remunerari, vt illi vxor, instar vitis, quæ optimè se habeat, fructus vberes, & iucundissimos præbeat. Vitam quoque diuino munere hominibus dari longiorem Moses affirmat. Gen. 1. & 9. Deut. 26. Psal. 127. Exod. 20. Deut. 30.

Ad diuitias igitur, & honores, quibus sit auarus affectus, sobolem & vitam, multò quàm cæteris hominibus contingit, longiorem adiungi, cogitatione fingamus: in hoc rerum suarum statu, omissis iis, quæ intus in animo inclusæ, eum exulcerant ægritudinibus, is qualis sit Salomon exponit. Hoc autem vt faciliùs præstet, quò sæpenumerò auaritia progrediatur, ostendit: sic enim hominem seruitute opprimit, vt diuitias non solùm ad beneficentiam minimè conferat, sed eas, ne vlla ratione minuat, mortuum sepulturæ se honore carere patiatur. Est autem in homine erga se ipsum, à naturæ autore amor insitus, quo vt saluus sit, & in naturæ statu conseruetur suæ, nihil est tam arduum, quod non perficere conetur: quamobrem sui dissolutionem vehementer dolet: & quia ex animo & corpore constat, illa çum cogitatio, quid his partibus, cùm fuerint à se diuulsæ, euéturum sit, excruciat, & vehementissimè solicitat, vnde multò antequàm è vita discedat, aut appropinquante morte prouidet, ne corpus sepultura careat.

Accedit, quòd etsi Heraclitus, quia in puluerem redigenda sunt, & omni sensu careant, contemnenda esse cadauera senserit, sedes tamen quædam, & domicilia fuerunt animorum, qui in ea tandem remigrabunt, nam vt de illis Paulus asserit, *seminatur in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Hæc sui ipsius conseruandi vis, quam Deus simul cum anima rationis participe hominibus ingenerauit, vnde sensus ille, licèt obscurus oritur, quo præsentit animus, corpus, quod, diuini iuris sic exigente ratione, cadet, inde surrecturum, ac secum fore iterum, sed indissolubili vinculo colligandum, non solùm eos impulit, in quibus sanctitas eluxit, vt sibi dum in vita manebant, consulerent, ne mortui sepultura carerent, sed apud omnes hominū nationes, sepulchrorum ius, singulari religione constituit. Verùm eas Orig. cõcel. lib. 5. 1. Cor. 15. Gen. 23. 47.

sæpenumerò hominibus auaritia tenebras offundit, vt hanc in se ipsis vim ingenitam, nec videant, nec quidem, vt ita dicam, sentiant, sic enim pecuniæ seruiunt, vt miseram illam, in qua sunt seruitutem, rebus omnibus præferant.

Tales autem quàm sint ex numero viuorum exturbandi, ex eo percipimus, quòd ita viuant, vt id, ad quod nati sunt, munus officij minimè exequantur: hoc autem scelus non susciperent, si abortione periissent, quod Salomõ his verbis censuit, *De hoc ego pronuntio, quòd melior illo sit abortiuus; frustra enim venit, & pergit ad tenebras.* Cùm enim officio suo minimè fungatur, frustra in lucem editus fuisse dicitur, quia se ita gerit in vita, vt nullam consentaneam veræ virtuti actionem suscipiat. Illud autem, *Venit, & pergit ad tenebras*: omnem vitæ cursum significat: est enim ab ortu cuiusque, vsque ad obitum, cursus quidam ad virtutis decus & gloriam, cuius quidem vestigia auarus ad sordes, & labem auaritiæ inflectit. *Tenebrarum* autem

Thren 3. nomine mortem Ieremias nuncupauit, & Chaldæus dum hanc Salomonis orationem explicat, *tenebras*, futurum post mortem, sæculum interpretatur. Frustra igitur auaro, qui in sordibus auaritiæ iacet, lucis vsura datur, & ad interitum properat. *Tenebrarum* quoque nomen, autores sacri sæpe numerò vsurpant, vt miseriarum magnitudinem significent, *Timor*, inquit ille, *&*

Psal. 54. *tremor venerunt super me, & contexerũt me tenebræ. Aspiciemus*, inquit Isaias,

Isa 5. *in terram, & ecce tenebræ tribulationis. Emarcuit cor meum, tenebræ strepesce-*

Isai. 21. *runt me.* Et igitur, cui Deus lucis vsuram minimè fuerat largitus, nunquam vitio vertendum fuit, quòd vitam honestam ingredi non cogitauerit, sed ea potiùs ratione erit auaro præferendus, quia hic vitam longè produxerit, & nihil in ea laude dignum egerit, & nudus ex omni virtutis cultu, opéque in sepulchrum inferetur, & ad supplicium, miseriasque trudetur.

Quemadmodum autem vitam longiorem, ita & gratam à posteris me-

Sap. 4. moriam nostri, retineri, in Dei beneficiis numeramus, *O quàm pulchra est*, inquit sapiens, *generatio cum claritate; immortalis est enim memoria illius, quo-*

Eccl. 10. *niam & apud Deum nota est, & apud homines. Memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu.* Quamuis enim sceleratorum sæpenumerò memoriam posteritas habeat, eam quia maledictis configat, non quidem memoriam, sed ad dedecus sempiternum recordationẽ

Eccl. 23. dicimus: *Derelinquent*, inquit Ecclesiasticus, *in maledictum, memoriam illius, & dedecus illius non delebitur.* Cùm igitur auarus in vita, præclarum nihil moliatur, hoc, ipse diuino se beneficio priuabit, *obliuione* enim, inquit, Salomon, *delebitur nomen eius*: Quemadmodum illius, qui natus non fuit, memoria nos tenere non potest, nec quidem auari, qui nulla homine digna actione, posterorum se memoriæ commendauit.

Vt verò quæ diximus colligamus, si auarum cum eo, qui antequam luce frueretur, periit, diligenter conferas, eum quidem plurimis Dei cumulatũ beneficiis, nullius sibi ipsi non solùm fuisse emolumenti reperies, sed & dedecus sibi intulisse, & miseriam sempiternam comparasse: huic autem, qui abortu fuit extinctus, etsi omnibus bonis caruerit, nullum, quod in vita prætermiserit, officium poteris obiicere, quare longè erit auaro præferendus. Quòd verò communi hac luce careat, non impedit, quò minùs sit anteponen

te ponendus:nam cùm mens in homine,sit omnibus illius partibus longè præstans, erit profectò lux illa,quam mens humana aspicit, & in qua versatur,ea luce quam oculis corporis,à Sole accipimus, multò quidem iucundior.Si igitur ille,quia luce hac caruerit, inter homines numerari non debuit,auarus, qui mentis sibi ipse lucem eripuit,quo erit loco, & numero habendus? *Non enim vidit solem,nec cognouit distantiam boni, ac mali*: Hac ille quidem luce communi fruitur,Sol enim omnia lustrat, & luce sua complet, vt cælum omnibus animantibus colluceat:verùm Solem,cuius nobis si splendor luceat,quid inter bonum & malum intersit,decernimus,orientem non videt, sic enim de se ipsis improbi experti referunt, *Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Sap.5. Nec hunc ipsum Solem,qui omnibus lucet animantibus, auarus intuetur,adeo est humi stratus, vt eò nec suspiciat quidem, vnde rerum ordinem, earúmque ortum, cursum & interitum percipiat: etsi verò vitam ad duo millia annorum perducat, ei ad sapientiam, vel ad voluptatem prodesse eam non sinit auaritia, cuius vinculis astrictus,seruitutem,in qua degit,libertati anteponit. Nec Solem videt,nec honesti decorique rationem tenet, qui diuitias occulit,eásque ne imminuat, in sordibus viuit. Quemadmodum Salomon dixerat,*In tenebris comedit*,ita,& *Non vidit Solem*.Quia nullum in vita splendorem,& dignitatem habuerit.

*Nónne ad vnum locum properant omnia? Omnis labor hominis in ore eius:sed anima eius non implebitur bonis.*

Vt tandem institutæ de auaro ac diuite orationi finem imponat, duo, quæ illi ac cæteris sunt hominibus communia, ante oculos proponit, vt inde rationi consentaneum de sapiente, de auaro, & de paupere, iudicium fieri possit. Alterum est, mortis subeundæ necessitas, quam Deus principi nostri generis imposuit, quæque illius posteritatem astringit. Gen.3. Alterum verò, naturæ humanæ ærumnis plena conditio, quæ etsi in ijs, quæ quotidie patimur, quàm sit grauis experimur, ex eo tamen, quòd se ipsam, vt seruare possit, in maximis se laboribus frangat, luculenter cognoscimus. Vtrunque verò, vt Moses refert, in sceleris commissi pœnam sustinemus. Quorum primum Salomon his verbis significat, *Nónne ad vnum locum properant omnia?* Hæc enim infima animantium corpora, cùm ex terrena, mortalíque sint natura concreta, necessitas cogit in ea, ex quibus composita sunt, dissolui. *Omnia*, inquit Ecclesiasticus, *quæ de terra sunt, in terram conuertentur.* Eccles.41. Alterum verò Salomon hac,quæ sequitur, oratione commemorat, *Omnis labor hominis in ore eius.* Vt enim vitæ conseruandæ cupiditatem expleant, quotquot sunt labores,homines suscipiunt, nullum enim non sustinent, vt victum sibi cultúmque necessarium comparent; in eo enim studio, quod laudabile quidem, & honestum fuisset,ob corruptos & deprauatos mores,in quibus libido dominatur,mediocritatem minimè tenent. *Oris* autē nomine,victum ad expellendam famem, vitámque seruandam, necessarium significat, quemadmodum ipse alio in loco, illud quoque eleganter

vsurpat, *Anima*, inquiens, *laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.* Eadem quoque ratione Chaldæus, dum hanc orationem Salomonis explanat, interpretatur.

Gen. 3. Hos autem, quos in victu quærendo labores excipit, & pœnam, quam in Deum commissi sceleris pendit, omnibus, quibus homo ipse potest, rationibus auget, non solùm enim laborat, vt sibi necessaria suppetant, vt illud non mediocre sceleri suo constitutum à Deo supplicium, persoluat, *in labore vultus tui vesceris pane tuo:* Sed naturæ in peccato lapsę corruptela, & consuetudine, moribúsque prauè institutus, vna eadémque opera conatur animum explere, cui ingeneratus appetitus his bonis aliqua ex parte sedari, aut contrahi non potest. In eum autem id valde conuenit, *Dilatauit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors, & non adimpletur.* Quamobrem Salomon adiungit, *& anima eius non implebitur bonis.*

Habac. 2.

Anima quid sit apud Hebræos. Est autem *anima* apud Hebræos, non solùm quam ducimus, & qua viuimus, sed id etiam, quod Latinè *cupiditatem* dicimus, *Persequar, & comprehẽdam*, inquit Moses, *diuidam spolia, implebitur anima mea. Beatam*, inquit, Dauid, *faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.*

Exod. 15. Ps. 4.

Illam igitur, quam Deus Adamo, postquam in peccatum prorupit, vt eum coërceret à scelere, constituit vitæ conditionem, omnes sustinemus; vt scilicet mortem nemo possit effugere, & vitam, quæ nobis concessa fuerit, refertam laboribus degamus. His ita positis tria hominum genera Salomon considerat, inquiritque diligenter, quid excellens in eorum aliquo eluceat, quo cæteris præstet, vt quam ipse affert quæstionem explicet.

*Quid habet amplius sapiens à stulto? & quid pauper nisi vt pergat illuc, vbi est vita?*

Triplex hominum ordo, totum genus nostrum comprehendit, in tot enim illud Salomon ordines prudenter hoc in loco distribuit. Aut enim stulti copiis abundant, in quibus nulla species sapientiæ insidet, aut egent, aut sapientes existunt. Si communem generis nostri conditionẽ spectes, nihil profectò in his omnibus reperire poteris, quo illorum quemlibet ab alio discernas. Nam omnes, vt vitam tueantur, hos in quibus sunt, labores excipiunt; Mors est etiam omnibus vitæ terminus constitutus, laborum verò, & contentionum finis: ipse miseræ vitæ, & ærumnosæ, longior quidem vsus. Eò autem tum sapiens, tum stultus, & pauper studium conferunt, quò vitam longiùs propagare possint. Diuersas quidem hi, in eo studio rationes ineunt, sed eundem sibi omnes finem, quem sequuntur, proponunt, *Vt pergat illuc, vbi est vita*, Nam pauper & afflictus, vtrunque enim nomen Hebræum significat, cùm rebus sit omnibus orbatus, optimè etiam nouit, qua possit ratione, vitam diutiùs conseruare, & eò se confert, vnde sibi, ad vitam necessaria suppetant. Cùm igitur stultus, & pauper, quemadmodum & sapiens hac luce fruantur, & idem sit omnibus futurus è vita exitus, quæ erit in sapiente præstantia, qua illis excellat?

Hanc orationem, etsi noster Latinus interpres dilucidè explicuerit, vt tamen illius in interpretando prudentiã animaduertas, & ea, quæ diximus, appareant,

apparcant, vtrum sibi ipsa conueniant. Hebræam orationem ita Latinè versam, vt verbis verba reddantur proferam, sic igitur Hebræus, *Quia quid præstantius sapienti, quam stulto? Quid pauperi scienti pergere coram vitis?*

*Melius est videre quod cupias, quàm desiderare quod nescias: sed & hoc vanitas est, & præsumptio spiritus.*

Allatam tandem, quæ erat, de sapiente quæstionem explicat, vt misera auari conditio, vnde initium sumpserit, videamus. Quanuis igitur moriendi necessitas, omne genus hominum constringat, & vitam in laboribus traducere cogatur: est tamen excellens, quiddam & præstans in sapiẽtis vita, quod eum ab stulto, & auaro discernit. Hominibus quidem ipse naturæ autor, cupiditatem ingenerauit, qua vtile & honestum concupiscerent, eam, dum in peccato Adami fuimus prolapsi, excitata libido, moribus confirmata, corrupit. Sapiens igitur in iis, quas libido excitat, tempestatem fluctibus, gubernaculum tenens, quò vitæ cursum dirigat, videt, quò insita in natura cupiditas impellat, & quò libido rapiat, intuetur, vt imminens sibi periculum caueat. *Melius est videre quod cupias.*

Hoc est illud præclarum sapientiæ lumen, quo sapiens cæteris hominibus collucet, & præstat. Est enim sapientis prouidere & in eo maximè ea virtus enitet. At stultus, quocumque eum rapit libido, ducitur, nec quò progrediatur, considerat, *Sapiens*, enim, inquit Salomon, *timet & declinat à malo. Stultus transilit, & confidit. Et vidi quòd tantùm præcederet sapientia stultitiam quantum differt lux à tenebris sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat.* Prou. 4 Eccl. 2

Quanuis autem filij huius sæculi, quos in stultorum numero reponimus, vt inquit Dominus, prudentiores filiis lucis, in generatione sua sint. Ii nẽpe, qui se in rerum terrenarum studium tradiderunt, vt eos, quos optant, in eo progressus faciant, versuti quidem, obscuri, asturi, fallaces, malitiosi, callidi, veteratores, & vafri, in omni negotio, existunt, quemadmodum villicus ille extitit, in quo improbitatis, quam seculi huius prudentiá Christus Dominus appellat, suis ipse exemplum proposuit: filij verò lucis, non nisi aperti, non nisi simplices, non nisi ingenui, non nisi iusti, non nisi viri boni officio, in omni re, & munere funguntur. Luc. 16.

Hæc autem filiorum huius sæculi prudentia, lumen illis minimè præfert, quoad rectam rationem possint, harum rerum momenta perpendere, imo tenebras offundit, ne, quò præcipitent, queant prouidere. *Est* enim, vt inquit Salomon, *prudentia stultorum errans.* Etenim cùm libido sit illis norma, ad quam actiones suas dirigant, nihil non experiuntur, nullas fraudes non suscipiunt, vt illi seruiant. Primum quidem turpiter errant, quia viri boni officium deserunt, deinde, quia in his rebus quantum sit ponderis, & momenti non vident. Quamobrem à Salomone, id quòd nesciant desiderare dicuntur. Multa quidem simulant, multa per fraudem & malitiam fingunt, multa dolo & arte perficiunt, vt opes, & honores, consequantur: sed turpitudinem simulationis non vident, & se admissa fraude in perniciẽ vocari, nõ animaduertũt, & quid opes, & veri sint honores ignorãt. *Melius est* igitur, vt asserit Salomõ, *prouidere quod cupias, quã desiderare, quod nescias.* Prou. 14.

Est

Est enim hoc præstantissimum illud prouidentiæ decus, quod in paupere, & diuite, si sapiens sit, elucet, quo ipse ab stulto, qui ignorat, quò eum libido ducit, plurimùm differt, quanuis inter se natura non distent.

Hanc fuisse Salomonis sententiam Hebræus si verbo verbum interpretis officio minimè fungentes, reddamus, significat, sic enim ille, *Bona visio oculorum, praire animam.* Quem Septuaginta his verbis interpretantur, *Melior est aspectus oculorum superambulãtem animam.* Est autem vt paulò antè diximus huic voci, *anima*, cupiditatis notio subiecta: & *visio*, cognitionem, sciẽtiam, & doctrinam significat, vt est illud. *Verba Lamuelis Regis,*
Prou. 31. *visio, qua erudiuit eum mater sua.* Et illud: *Non secundùm visionem oculorum*
Isai. 11. *iudicabit. Leuate in excelsum oculos vestros, & videte, quis creauit hac.*

Cùm igitur Salomon, de sapiente quæreret, quid in eo insideret, quo inter cæteros homines præstaret, illud, inquit, quod in homine maximè excellit, hoc est, ipsa sapientia, & rerũ cognitio, quæ viã ad veras opes, & honores munit. Hanc autem vitæ ducem multò est vtilius sequi, quàm, vt inquit Hebræus, *Ire animam*, hoc est, solutam omni lege cupiditatẽ sectari.

Hier. Ecc. 6. Dilucidè, inquit Hieronymus, hoc interpretatus est Symmachus, dicens, *Melius est prouidere, quàm ambulare vt libet.* Quod sine dubiò præferendum est, idque Salomon tribuit, sapienti, vt sibi ipsi quærenti, *Quid habet amplius sapiens ab stulto?* respondeat. Hoc autem in loco, & Latini interpretis prudentiam admiror, qua Salomonis sensum, summa reconditum orationis breuitate, cognitum habuit, & miseræ auari conditionis causam esse, rerum ignorationem perspicio.

Non ineptè quidem hanc Salomonis orationem de beneficentia, & auaritia interpretabimur, est enim *videre quod cupias*, idem quod iis rebus vti, quas tibi optaueris, & multis susceptis laboribus sis consecutus: *desiderare* verò *quod nescias*, ea ardenter concupiscere, quæ si obtineas ita in potestate tua sint, ac si ad te pertineant, eáque minimè noris. Stultũ quoque esse fortasse Salomon asserit, non satis habere præsentia, & desiderio absentium torqueri: melius est enim frui rebus visis, quàm mente rerũ absentium desiderio vagari.

Addit Salomon, *Sed & hoc vanitas est, & præsumptio spiritus.* Quàm vanum sit libidinem, in vita moderanda sequi, nemo nostrûm est, qui non videat, qui non aliquando senserit. Verùm mentis humanæ prouidentiam, qua vitæ actiones ad omnem officij rationem dirigimus, & libidinis conatus, ne mentis statũ euellant, coërcemus, vanitati esse coniunctã, mirum quidem aliquibus videri potest; cur autem in ea vanitas insit, obscurè quidem, sed omnino deinde explicat.

*Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius, & scitur, quòd homo sit, & non possit, contra fortiorem se in iudicio contendere. Verba sunt plurima, multáque in disputando habentia vanitatem.*

Ab initio rerum, quemadmodum cæteris fuit animantibus, à Deo vis illa ingenerata, quæ illarum cuilibet erat maximè conueniens; ita & homi

hominiеam, quæ corpori animóque erat conſentanea, conditionem ſtatuit. Sic enim corpus cum animo conglutinauit, vt corpori acres ad iudicium, ſenſus, & animo mentem tribueret, vt rerum cognitio, quam ipſe caperet, omnis oriatur à ſenſibus. Hi autem cùm ea ſolùm, quæ coagmẽtata concretáque ſunt, & adſunt, ſibíque obuerſantur, ſentire poſſint, mens, quę illis, vt rerum nuntiis vtitur, à propoſito ſæpenumerò aberrat, quod maximè in prouidendo ſolet euenire, eſt enim prouidentia rerum futurarum, qua ſapiens rebus ſuis conſulit, eáſque ita adminiſtrat, vt velit ne quid eis aduerſi accidat. Id autem nulla vnquam mentis humanæ vi, quiſpiam omnium mortalium conſequetur: eſt enim mens noſtra certis circunſcripta terminis, quibus eam, ipſa hæc noſtri generis mortalis concretio definiuit, eiſque parere cogitur, vt longiùs, quàm ipſi poſtulent, prouidere non poſſit. Quin etiam cùm mens noſtra à ſenſibus in cognitione pendeat, in earum rerum, quæ ſenſibus adſunt, perceptione ſæpe fallitur, eáſque non ad ſalutem, ſed ad perniciem adminiſtrat.

Quamobrem ſapienter quidem in prouerbiorum libro Salomon, vt cogitationes, quas, quid in quolibet negotio ſit agendum, ſuſcipimus, ne nos ipſa fallant, ad diuinæ mentis præſcriptionem, conſulit, vt ſingulari ſtudio dirigamus. *Reuela*, inquit, *Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.* Prou. 16.
*Sunt*, enim, vt ait Dauid, *vanæ cogitationes hominum.* Pſal. 93.

Hoc igitur in loco Salomon, *Qui futurus eſt*, inquit, *iam vocatum eſt nomen eius.* Hoc eſt, ante cuiuſque hominis ortum, cùm primùm cœpit humanum genus, ei fuit munus à Deo aſſignatum, cuius colendi, & efficiendi cauſa, omnes nati, & in lucem editi ſumus: id enim apud Hebræos, illa, qua Salomõ vtitur, oratio ſignificat, *Vocatum eſt nomen eius.* Simili quoque Dauid dicendi ratione, effectricem rerum omnium, atque bonorum prouidam, & conſultricem Dei ſapientiam explicuit, ſic enim de ea diſſerit. *Qui enumerat multitudinem ſtellarũ, & omnibus eis nomina vocat.* Stellas nãque, & ſydera quædam, ita cælo infixit, vt ſuis ſemper ſedibus inhæreant, & ſpatiis immutabilibus, ab ortu ad occaſum commeent: quædam verò ita condidit, vt vaga & mutabili ratione labantur, conuerſionéſque ſpatiis, & curſibus diuerſis conficiant. Dum igitur ea, vt id muneris explerent, ſingulari artificio eſt fabricatus, nomina eis dicitur impoſuiſſe. *Nomen* in ſacris litteris etiam, vis & dignitas dicitur, qua quilibet, in ſuo genere præſtat: ſic enim Iſaias cùm de Chriſti Domini infinita vi, & diuinitate ageret, *Vocabitur*, inquit, *nomen eius Emanuel*, & illud *protegat te nomen Dei Iacob*, & *In nomine Dei noſtri magnificabimur.*

[Pſal. 14. — Nomen in ſacris literis pro vi & dignitate. — Iſai. 7. — Pſal. 19.]

Munus igitur, quod vt quiſque exequatur, vitam ingreditur & vis naturæ inſita, qua quiſque excellit, & dignitas, cum noſtri generis principe cœpit: quam nullis vnquam poterit quiſpiã ſtudiis augere, aut humanis opibus amplificare: id autẽ totum quàm ſit amplum, & excellens, quámue humile, & abiectũ Salomon explicat, ſic enim dicendo progreditur. *Et ſcitur quòd homo ſit.* Nam etſi excellens ſit animi humani decus, & mẽtis acumen ſingulare, illius tamen oculos, id quod eſt ſegregatum à concretione mortali, perſtringit: hominem namque Deus è luto finxit, ideóque terrenæ naturæ quaſi pondere premitur, ne ſupera intueri poſſit attentiùs, Gen. 2.

& ea, quæ tibi imminent, animo prouidere. Cùm denique sit à nostri generis ortu certum, definitúmque hominibus assignatum à Deo munus, & mens singulari vi prædita ad intelligendum sit data: illius tamen naturam Deus quibusdam quasi cancellis circunscripsit, & ideo, *scitur*, inquit Salomon, *quòd homo sit*. Is autem è luto fictus, hebræo nomine, *Adamus*, quasi *ruber*, à terræ, vnde initium sui duxerat, colore dicitur; humíque stratus, si mentis oculis supera, futuráue conatur intueri, illorum quidem acies hebescit. Est enim, vt inquit Isaias, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri*. Huic non mediocri naturæ imbecillitati, sæpius ab eo, quod sibi proposuerat, aberrans, hominis prouidentia, qua rebus suis prospicit, mirificè respondet, vt illa sapientis sententia sit meritò ab hominibus prædicanda, *Cogitationes mortalium timidæ, & incerta prouidentia nostra*.

Adamus homo vnde dictus.

Isai. 40.

Sap. 9.

Cùm igitur tam modicis, vt ita dicam, sit mens hominis circũscripta regionibus, & corporis molem sustineat, quam à ceruicibus suis depellere non possit, nũ in dubium vocari poterit, quin & sapientis prouidentia sit vanitati coniuncta? Id autem paulo antè inquiens Salomon, *sed & hoc vanitas est, & præsumptio spiritus*, asseruerat, quod his nunc verbis, quæ interpretati sumus, explanauit. Rem verò vt magis explicet, addit, *Et non possit contra fortiorem se in iudicio contendere*. Hanc enim conditionem sibi cõstitutam nulla vnquam poterit ratione, nisi humanam priùs naturam exuat, respuere, vt animus scilicèt in corpore inclusus, ei vitam tribuat, & imperio regat, in eóque officio persoluendo sensuum ministerio vtatur, quare nec vltra progredi, quàm sensus eum deducunt, in rerũ cognitione possit, nec se ab eorum consuetudine omnino seuocare: sensuum igitur inconstantiam, in iudicando, & varietatem sequitur. Deo autem, qui eum è luto ita finxit, litem, qua res suas repetat, inferre nõ potest, cum nihil ipse ante habuerit, & omnia, quibus excultum se esse videt, à Deo acceperit, *Quid autem habes*, inquit Paulus, *quod non accepisti? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic?*

1. Cor. 4.
Rom. 9.

Cùm igitur homo, diuino munere è nihilo sit ortus, Deo quidem, quod sit, & tot ornatus beneficijs, & quòd viuat, gratus memórque referet: si verò ingratus, & impius, de conditione hac sua cum Deo queratur, scelus in seipsum grauissimum committet, & Deum sic loquentem secum audiet, *Numquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, vt tu iustificeris? Quis enim resistere potest vultui meo, & quis ante dedit mihi, vt reddã ei? omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt*. Cùm autẽ hæc sit hominis conditio, & naturæ illius vis, his terminis circũscripta sit, prouidentia quoque nõ ita longè prospiciet, vt quæ impendent mala, præcauere possit, cùm ex aliorum euentibus, & coniectura prouideat. Cùm verò ea in his maximè sit occupata, fit, vt *verba*, inquit Salomon, *sint plurima, multámque in disputando habentia vanitatem*. Diligenter inquirit sapiens, consultat, & deliberat, an sibi, vel reipublicæ aliquid fieri conducat, multa in consultatione disputat, multa eleganter disserit, & ex vltima antiquitate repetit: in his tamen, nisi ei spiritus Dei, vnde in genus hominum veræ sapientiæ decus emanat, lùmen præferat, mirum est, quantam adhibeat vanitatem. Verè quidem & meritò, aliò in loco Salomon, vt rebus nostris prouidere possimus, Dei sapientiæ tradi nos instituendos, asserit oportere.

Iob. 40.

Prou. 2.

Cùm

Cùm igitur si propriis velimus viribus, quę prouentura sunt, vt nostris rebus consulamus, prouidere, opinionũ & cogitationũ inter se dissensio atq; vanitas, nostrorum imbecillitatem animorum torquet; Deo nos ipsos cõmittere oportet, vt in illum intuentes prouidentia nostra minùs sit vanitati coniuncta, & ne in prospiciendo, consulendóque vitæ, ita frequenter, & assiduè fallamur. Nam id propriis conari viribus assequi, eius est hominis, qui à mente omnino deseritur, cùm mens humana corporis astricta compagibus, sensuum ei habeat opus subsidio ad intelligendum, & eo progredi vltra non possit, quàm fuerit à Deo, ante cuiusque ortum, generi nostro benignè concessum, qui rerum naturas ita temperauit, & earum cuique quod erat conueniens tribuit, vt totum hoc mundi opus, ex omnibus totis, & in genere suo perfectis absolueret. Hoc autem Salomon, vt vehementiùs, quam hactenus fecerat, in animis nostris infigeret, ea quæ sequuntur adiunxit.

# CAPVT VII.

*Quid necesse est homini maiora se quærere, cùm ignorat, quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, & tempore, quo velut vmbra præterit? Aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurum sub sole sit?*

NIhil generi humano plura aut maiora vnquam detrimenta importauit, quàm error ille mentis, quo quísque sibi sapientiam tribuit, & in vita moderanda nullius sibi opus esse consilio existimat: turpe enim cuique nostrûm videtur, aliquid nescire: & inde praua illa orta opinio animos imbuit, vt seruitutem quãdam ingenuo homini minimè ferendam esse putent, alterius consilio in rebus suis administrandis egere. Dum enim alicuius consilium exquirunt, aut petunt, in ignoratione versari se, proprio testimonio confirmari putant: iam verò illud persequi alterius se imperio subiici arbitrantur: honestiúsque esse ducunt, maximis se erroribus implicari, quàm vllam, vel inscitię, vel humilis & abiectæ, vt putant, summissionis, in eis significationem apparere.

Hunc errorem Salomon, vt ex animis nostris euelleret, & eis quodammodo, vt fructus ex se edant, culturam adhiberet, de prouidentia, ea quæ vidimus, asseruit: & hoc tandem in loco, vt animos à corpore, & à sensuum consuetudine, quæ tenebras offundit, auocet, ipsíque vt in Deum intueantur, illiúsque splendore colluceant, eos, si propriis viribus ad Sapientiam nitantur, earum rerum, quæ ad salutem, decus, & honestatem pertinent, fore in ignoratione testatur, ea enim longè, multúmque humanas vires superant. *Quid*, inquit, *necesse est homini maiora se quærere.*

Hebræum sic quoque possemus Latinè vertere, *Quid præstantius homini?* siue, vt septuaginta interpretati sunt, *Quid plus homini?* ita vt hæc cum illis, *Verba sunt plurima, multámque in disputando habentia vanitatem*, commutantur. Vt velit Salomon, in prouidendo, vltra longissimam de re disputationem, inquisitionémque progredi sapientem propriis viribus non posse, quin sæpenumerò aberret, idque in eo præstans & excellens esse existimãdum, quòd de totius negotij ratione disputare queat, inquirat, & cum animo suo deliberet. Rationem verò cur ita se res habeat, reddit, inquiens, *Quia quis scit, quid sit bonum homini in vita?* Latinus autem noster, etsi verbum verbo non reddidit, ad Salomonis sensum penetrauit quidem, atque perspexit. Nam cùm disputando, & deliberando, id maximè quæramus, quod nobis sit profuturum: qui autem res nostras consecuturi sint euentus, nesciamus: non erit negandum eo nos studio frustra conari, quo id contendimus propriis viribus assequi, quod longè humanæ prouidentiæ præstat. Quid igitur homini venit in mentem, vt id, quod sibi tantum excellat, propriis velit viribus consequi? nisi quòd ipse opinionum vanitati cedat, & imprudenter sibi sapientiam arroget. Quamobrem prudenter quidem Latinus inquit, *Quid necesse est homini maiora se quærere?* Vnde natum est id, quod apud Græcos, vt refert Augustinus, tritum erat vetustate prouerbium, *Quod supra nos, quid ad nos?* se ipsos enim, vt cæteras res omnes, sensuum quasi regula metiebantur, & ea, quæ illorum ope peruestigare non poterant, etsi ad genus nostrum maximè pertinerent, negligenda sibi esse ducebant.

Aug. lib. 1. de ani. quã. c. 1.

Verùm cum omnia Deus, vt bonitatem suam illis impertiret, è nihilo fecerit, *vniuersa* enim, vt inquit Salomon, *propter semetipsum operatus est Dominus:* Ita quoque hominem effinxit, vt in eum harum rerum, quas cælum complexu suo coërcet, imperium detulerit. *Deus patrum meorum*, inquit sapiens, *& domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta est vt disponat orbem terrarum in æquitate, & iustitia, & in directione cordis iudicium iudicet.* Id autem sibi traditum imperium, vt rectè administrare queat, à corpore, quod cæteris est animantibus commune, & mentem deprimit, seipsum oportet auocare, & ad mentis diuinæ normam moderari. Nam, inquit ille, *Etsi quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.* Græci igitur, qui humi strati sese procul à terra & ab illius conspectu abstrahere nequibant, illud vsurpabãt, quo quasi termino, in veritatis inquisitione, se ipsos circumscribant, etsi inter eos, qui animi magnitudine, & ingenio pręstabant, altiùs se à terra tollere nitebantur. Quia igitur rerum futurarum cognitio, & futuri temporis prouisio in Deo est solo, & ab eo diuelli non potest, *Annunciate*, inquit, Isaias, *quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.*

Prou. 16.

Sap. 9.

Sap. 9.

Isai. 41.

Hominis autem cùm sit proprium ex coniectura, ea, quæ futura sunt, prouidere, de iis enim, ex aliis, quę aliquando accidisse nouit, probabili ratione coniicit & huc & illuc ductus coniectura sæpenumerò aberrat, erit profectò omnis humana prudentia cum vnitate coniuncta & illis ne vnquam ducatur errore, multo hominis cõditione altius: quod quis suscipit, nisi ope diuina

ſtabilitus, Deóque ſe totum commiſerit, omnino erit, vt homo vanus, & futilis, reprehenſione dignus.

Rationem Salomon reddit, *Cùm ignoret, quid conducat ſibi in vita ſua, numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore quod velut vmbra præterit, aut quis ei poterit indicare, quid poſt eum futurum ſub ſole ſit?* In tenebris verſari nos, ipſa vita quotidiana docet, in qua ea, quæ nobis ante oculos obuerſantur, ſintne honeſta, vtiliáve, & quid eorum cuique ſit præferendum, ignoramus, *Quæ*, inquit ſapiens, *in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore.* Si Sap 9. igitur ita ſe res habet; nónne vanum erit, & inane in tanta naturæ noſtræ imbecillitate, eam nobis ſapientiam tribuere, per quam propriis poſſimus viribus futura proſpicere, vt non ſolùm quæ nobis, dum in vita ſumus, ſed quæ poſteritati impendent mala, queamus præcauere.

Quid autem Salomon, dũ ſic de hominis prouidentia diſſerit, ſibi aſſequendum proponat, eſt illis manifeſtum, qui affirmaſſe eum conſiderant, Sap 9. hominem fuiſſe natum ad imperium, idque ab illo teneri non poſſe, niſi Dei ſapientiam in eo adminiſtrandi ducem ſequatur: diuinæ quoque ſapientiæ voces, ſi in memoriam reuocent, quibus ad ſe hominum genus allicit & quàm ſingulari ipſe, animi conatu dicendique vi, vt illius nos ſtudio dederemus, excitarit, ſi velimus veris voluptatibus frui, diuitiis affluere, & honoribus decorari. Non igitur Salomon hæc hactenus diſputauit, Prou. 8. vt tenebras amplecteremur & vllam deſperaremus ſapientiæ partem fore nos adepturos aliquando: ſed tantarum rerum rudes nos, & ignaros, inſtituendos accepit, & rudimenta quædam propoſuit, & incunabula virtutis, quibus nos ad ſapientiam aleremur. Eam enim, quam ipſe ad ſummum ſapientiæ gradum, viam iniuit, nobis ſingulari ſtudio muniendam curauit. Primus ad ſapientiam aditus quis ſit.

Eſt enim imbecillitatis noſtræ cognitio, & illa inde proficiſcens animi moderatio, & excellens quædam ſubmiſſio, & humilitas Chriſtiana, primus ad ſapientiam aditus. Oportet namque, eum, qui ad ſapientiæ laudem aſpirat, priùs ſe ad illam aſſequendam, viribus deſtitutum eſſe cognoſcere, vt ſibi ipſe omnino difidens, Deo ſe, præceptis ſapientiæ imbuendum, toto animo tradat, vt illud Thaletis, ſiue Pythagoræ dictum magnopere laudem, *Cognoſce te ipſum*: quo non ſolùm ad rerum maximarum ſcientiarũ & ad animi noſtri cognitionem excitamur, ſed viã, quæ ad ſapientiam deducit, & qua primùm nobis progrediendum ſit, traditur: nam etſi Thaleti, priſciſque Græcis Philoſophis, horum, quæ dicimus, non venerint in mẽtem, naturæ vi quadam occulta quidem, ſed quæ in animis inſita in veritatem propendet, ea ſæpenumerò aſſerebant, quorum illis rationes abditæ & circumfuſæ tenebris latebant. Clem. ſtro. lib. 1.

Hoc igitur non Græci hominis ſed naturæ, ipſius auctoris dictum ſecutus Salomon, prouidentiæ humanæ vim diligenter excuſſit, vt virium noſtrarum imbecillitate cognita, ex ea nobis gradus primus ad ſapientiam Cic. Theſ 1. fiat, quem ipſe quoque primum ſibi ad ſapientiam iecerat. Sic enim cùm in oppido Gabaon, ſapientiæ deſiderio flagrans, de propriis viribus deſperans, ſe Deo inſtituẽdum tradidit, ad eum orationem habuit. *Ego autem* 3. Reg. 3. *ſum puer paruulus, & ignorans egreſſum & introitum meum, & ſeruus tuus in medio eſt populi, quem elegiſti, populi infiniti qui enumerari, & ſupputari non*

*potest præmultitudine, dabis ergo seruo tuo cor docile,* Hoc autẽ per Salomonẽ ad Sapientiam nobis aditu patefacto, quem nobis intercludimus, cùm sapientiam, per quam rebus nostris prouidemus, ipsi nobis tribuimus: Deũ, à quo nobis omnia sapientiæ instituta, præceptáque duximus, in Salomonis mente insidentem, docentémque audiamus.

*Melius est nomen bonum quàm vnguenta pretiosa: & dies mortis, quàm natiuitatis.*

Prou. 4. *Principium sapientiæ,* inquit Salomon, *posside sapientiam, & in omni possessione tua acquire prudentiam.* Dilectio cuiuslibet rei, illius æstimatione cõtinetur; quanti enim rem quancunque facis, tantum in illum amoris conferes. Iubet igitur, vt plurimi sapientiam æstimemus, si ad illam peruenire cupimus: in hac porro æstimatione, statuit esse positum sapientiæ fundamentum: nam rei alicuius æstimationem consequitur appetitio, appetitio verò studium concitat: studium porro in rebus præclaris consumptũ, eximium fructum consequitur. Principium igitur sapientiæ, est plurimi facere sapientiam, & omnibus possessionibus anteferre prudentiam. Hanc Salomon rationem, hoc quoque in loco, vt nos ad veram sapientiam instrueret, sequutus, postquam ingenij nostri tenuitatem explicuit, eámque vt ex nostris angustiis sustentare, vt ita dicam, possimus, nobis opus esse diffidentia asseruit, qua nobis ipsis ad sapientiam consequendam, diffidimus.

Osor. Ep. in in prou. sal. 4.

Veram nunc esse gloriam magni æstimandam, affirmat, vt æstimatio illius, languentem animum diffidentia, commoueat: omnes enim ad gloriam natura ducimur, quam qui magni æstimat, vt eam consequatur, omnes industriæ neruos contendit, & quidquid sibi fore adiumento existimat, id toto, vt dicitur, pectore amplectitur. *Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa. Nominis* vocabulo scriptores sacri, cùm res plures, tum etiam famam, vt hoc in loco Salomon facit, subiiciunt, quæ si bonorum sit, verè sola gloria nominari potest. *Hodie,* inquit Ozias in ea, quam de laudibus Iudithæ habuit, oratione *nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum.* Et illud Achioris de eadem, *Benedicta tu à Deo tuo, in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente, qua audierit nomen tuum magnificabitur super te Deus Israel.* Et illud Dauidis, *Quando morietur & peribit nomen eius. Et nomen impiorum putrescet.* Quàm verò sit fama bona, & gloria, omnibus hominibus expetenda, ipse Salomon explicat, dum eam omnibus diuitiis præferendam esse docet, *Melius est,* inquit, *nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Imo quemadmodum ex hac luce, qua fruimur, non mediocrem animus voluptatem capit, ita & fama nominis præclara, virtutis firmamenta, singulari cum animi lætitia, continet, & stabilit, *lux oculorũ,* inquit ille, *lætificet animam, fama bona impinguat ossa.* Hoc suum de fama, & gloria iudicium, eam hoc in loco, vnguento odoribus cõdito anteponens, pronuntiat. Communi autem apud Hebræos, & gentes, quæ ad Orientem terras incolunt, consuetudine sermonis vtitur, quę quidem adhuc apud Persas manet, quorum rex Ismaël, datis ad Emanuelem Portugalliç regem literis, eius præclarè res gestas, cum rosis, & suauissimis odori

Nomẽ pro fama.

Iudit 13.

Psal. 40.
Prou. 10.

Prou. 22.

Fama nominis præclara, virtutis firmamenta stabilit.
Prou. 15.
Osor. l. 10. de reb. Im.

odoribus confert. Eleganter quidem sponsa amoris incendio flagrãs, apud eundem Salomonẽ, *Oleum*, inquit, *effusum nomen tuum*, Et cùm filius Sirach sapientiæ laudes enumerat, inquit, *sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris, & quasi balsamum non mistum odor meus.* Et illud ab eodem quàm ornatè de Iosia rege dictum? *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta, opus pigmentarij, in omni ore, quasi mel indulcatur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini.* Ab hac igitur patria loquendi consuetudine Salomon minimè abhorruit, cùm bonam nominis famam, plurimi esse ab omnibus faciendam censeret, & vt illam, veluti rẽ summi pretij appeteremus, suauissimis eam odoribus longè esse præstantem asseruit. Can. 1 Eccl. 24.

Est autem hoc gloriæ desiderium, sapiẽtissimi viri oratione excitatum, quasi exiguum in animis nostris semen sparsum, ex quo ipsi omnium virtutum fruges vberrimas gignant. Nostræ enim tenuitatis conscij, de bono honestóque nos ab assentiendo, continemus, & à Deo, quid nobis sequẽdum sit, exquirimus. Eum autem consulimus, & ducem sequimur, dũ eas, quas ipse boni & honesti in animis impressit, atque informauit, notiones, in vita moderanda excutimus, mũdique administrationẽ suspicimus, eámque in rebus nostris imitamur, diuinóq; præscripto & imperio subiicimur. Dum itaque propriis viribus diffidimus, & submissiùs nos gerimus, si gloriæ cupiditas accedat, fœcundæ virtutum in nobis segetes enitebunt, studio enim gloriæ animus incensus, cùm sensibus fidem non adhibeat, Deo se arctissimè coniunget: aut enim sensuum iudicio, aut diuinis præscriptis obediet: si sapientiam sibi tribuat, illud, quod de re iudiciũ habuerit, persequatur: si verò iis, quibus hactenus est Salomon vsus se ponderibus examinauerit, sibi ipse diffidens, sensuum iudicium reiiciet, & vitæ actiones, ad diuinæ mentis normam diriget, quibus gloriam, quæ, vt ex Cicerone asserit Augustinus, est frequens de aliquo fama cum laude, consequatur. Est enim cupiditas gloriæ, non mediocre virtutum incitamentum, nisi eam, virtutem potiùs appellandam esse duxeris: etiamsi vulgus, effrenatam sæpenumerò libidinem, opibus, & imperio munitam, singulari cum laude admiretur, eámque rerum ignoratione, gloriam appellet, & ij, qui gloriæ desiderio flagrant, in omnium scelerum genera rapiantur: quorum illud est vulgi & turbæ hominum proprium, quæ pauca, aut nihil ex veritate, & omnia ex opinione æstimat: hoc autem haud est quidem gloriæ cupiditati tribuendum, quæ ad honestum & decorum excitat, sed intolerabili desipientis hominis arrogantiæ, qui traditam à Salomone disciplinam contemnet, nimiúmque sibi cõfidens, quid optimum in vita sit, ipse sibi constituat. Est igitur gloriæ cupiditas, & ipsa præclara nominis fama, omnibus odoribus præferenda, si in homine insit, qui se ipsum norit: ea enim quæ à Deo sunt ad decus hominibus ingenerata, ad turpitudinẽ ipsi, rerum ignoratione, conuertunt, quemadmodum scientiæ, & gloriæ cupiditatem, ad curiositatem, & inde ad impietatẽ, ambitionémque inflectent. Quàm verò sit Christianæ religioni cõueniens, si illa animi submissio, & moderatio adsit, quam virtutum omnium initium esse ponimus, gloriam expetere, cùm ex eo perspicimus, quòd ipsa virtutẽ, vt vmbra consequatur, tũ etiã quia Christus. O. M. eã suis magnopere cõmendarit, hac n. oratione Eccl 49. Aug. in Ioã. 16. tract. in Cicer 2. de inu. Hier. ad Gal. 5.

suos

Mat. 5. suos ad omnium virtutum splendorem,& officij munus instruit, *luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Et cùm spiritum sanctum, qui illorum mentibus diuinam afflaret virtutem, polliceretur, *Ille*, inquit, *me clarificabit.* Tanquam diceret, inquit Augustinus, ille vobis auferet timorem, & dabit amorem, quo me ardentiùs prædicantes, gloriæ meæ, per totum mundum, dabitis odorem, commendabitis honorem. Latinósque interpretes, verbum δοξάσει, quo Ioannes vtitur, tum *clarificabit*, tum etiam *glorificabit*. Latinè vertisse affirmat. Suos idem præpotens rerum omnium princeps, ad omnes cruciatus tolerando, mortémque sponte subeundam, gloriæ quasi illecebris allicit, sic enim eos affatur, *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum, coram patre meo, qui in cælis est*. Ad veram nos gloriam, inquit Hieronymus, hortatur, dicens, *Eos autem qui me glorificant, glorificabo.* Ecclesiasticus autem, tanti faciendam esse gloriam existimauit, vt eam in diuinis beneficijs numeraret, nec quidem immeritò, cùm ex virtutis stirpe ipsa oriatur. *Landemus*, inquit, *viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua, multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua, à sæculo; omnes isti in generationibus gentis suæ, gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus.*

Ioan. 16.

Aug. ibid.

Mat. 10.

Hier. ibid.

Eccl. 44.

Prudenter igitur Salomon, cùm in rebus his infimis vanitatem inesse, & hominis prouidentiam cum ea esse coniunctam demonstrasset, ingeniíque nostri tenuitatem explicasset, luculenter, ne ideo nos ad otium natos esse putaremus, & virium nostrarum difidentia, omnes industriæ neruos incideret, gloriam rebus omnibus esse anteponendam affirmat, vt illius, hominibus ingeneratam cupiditatem, excitet, quæ, ne desidioso, & inerti otio, animi hebescant, eos ad præclaras actiones suscipiendas stimulet.

Cùm autem nobis ipsi conscij simus, non tantùm nos valere, vt proprij ingenij viribus, quid optimum sit, assequamur, & gloriæ cupiditas otio nos diffluere minimè patiatur, consequens quidem est, ad eam nos mentem, quæ sit præstantissima, animum conuertere, in qua veri, honestique possimus speciem intueri, vt eam inde arreptam, haustámque actionibus exprimere. Ineptum enim esset, cùm mens humana his rebus omnibus præstet, quas oculis cernimus, ita nos illis dedere, vt quod sensus referant, id in vita moderanda, sequamur, & à nobis ipsis id exquirere, quod humani ingenii facultatem superat. *Quomodo*, inquit Christus, *vos potestis credere, qui gloriam ad inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?* Etenim quoniam recti prauíque cognitionem, diuino munere consequimur, & lex diuina sanxit, cùm Adamum scientiæ arboris fructum gustare vetuit, ne ipsi nobis honesti decoríque scientiam arrogemus: ex eodem profectò fonte, vnde honesti scientia initium ducit, gloria emanabit, cùm insignem honestatis splendorem ipsa consequatur.

Ioan. 5.

Gen. 2.

Sap. 9. Quia verò corpus hoc crassum, mẽtem, sese ad cæli conspectum erigentem, reuocat, *Corpus quod corrumpitur*, inquit sapiens, *aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*: erit quidem tum ad rerum maximarum scientiam, tum etiam ad gloriam, illo nos esse exutos, perutile: animus enim, illius quasi vinculis solutus, nullis sensuum circunfusus

fusus tenebris, veri honestíque solidam, & expressam effigiem tenet, & quibus vera gloria constet, clarè perspicit, & num ipse eam fuerit consecutús, intelligit: est enim gloria, solida quædam res, & expressa, non adumbrata, consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium, de excellente virtute. fallax est autem, inconstansque hominum iudicium: & imitatrix virtutis simulatio omnia corrumpit: quare dum vita in nobis manet, num gloriam, honestissimum virtutis fructum, aliquis rectè fructis, sit consecutus, an temerariam & inconsideratam peccatorum laudatricem famam popularem, ignoramus. Cic.3.Tusc.

Quamobrem mortem quoque Salomon vitæ præfert, quia etsi rerum omnium nobis initium, natalis dies afferat, ea tamen, quæ vera sunt, à falsis, non eo discrimine separat, quo ea, nostri ingenij acumen di iudicare possit, sed ita falsa sunt veris adiuncta, & sensus ita statum animi turbant, vt nisi mens diuina lumen nobis afferat, & in eo mentis oculos figamus, in bonorum malorumque ignoratione versemur. At mors, cùm sit noster hinc exitus, sensibus quidem extinctis, mentis libertatem constituit, in qua verũ animus inueniat, & oculis contemplari possit. Si igitur ortum nostrum, hac ratione, cum ex hac vita exitu, conferamus dies quidem obitus erit nobis natali præferendus, sicut lucem tenebris ante ponimus. Accedit præterea quòd ob ea, quæ rectè gessimus, & quæ in hominum reprehensionem venerint aliquando, gloriam hinc discedentes capimus, beatæ enim illæ mẽtes, nec iudicio falluntur, neque leuitate, & inconstantia, in mutando sententiam de cuiusque meritis ducuntur.

Si igitur, magni iure optimo æstimandum est, perituram breui apud homines gloriam consequi, quanti illud erit, eam à sanctis, & sapientissimis viris, & beatis illis mentibus æternam assequi, & ea ab ipso rerum omnium principe Deo affici? Non necesse est autem nos humanæ vitæ incommoda enumerando, eam lugere, vt à malis nos morte abduci, & non à bonis, persuadeam: cùm hoc à Cyrenaico Hegesia sic copiosè fuerit disputatum, vt is à rege Ptolomæo, prohibitus esse dicatur, illa in scholis dicere, quòd multi his auditis, mortem sibi ipsi consciscerent; & Alcidamus mortis laudationem scripserit. Illud Euripidis in Cresiphonte, quod Cicero vertit, tantùm proferam: Cyrenaico Hegesiæ à Ptolemæo prohibitio facta. Cic.1.Tusc. Alcidami, mortis laudatio.

*Nam nos decebat cœtus celebrantis domum*
*Lugere, vbi esset aliquis in lucem editus,*
*Humana vita varia reputantes mala,*
*At qui labores morte finisset graues,*
*Hunc omnes amicos laude & lætitia exequi.*

*Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum sit.*

*Stipendia peccati mors*, inquit Paulus: in principis tenebrarum exercitu quia militauimus, nobis illud fuit stipendium per solatium: vt qui vitam retinere perpetuò poteramus, eam cum morte commutare cogeremur: ita. Rom.6.

& qui poteramus iucundiſſimè viuere, in miſeriis ſimus, quæ mortalem conditionem noſtri generis conſequuntur. Meritò igitur nos, eorum, quibuſcum, vel ſanguine, vel cõſuetudine coniuncti ſumus, & ex quibus ſpes omnis noſtra, & ratio vitæ pendet, interitus, luctu afficit, tum quia illorum diſceſſus è vita, multis nos commodis ſpoliat, quibus vitam colebamus, tum quia culpa noſtra, ea ſit omnibus conditio ſubeunda. Quamobrem omnibus ferè gentibus viſum fuit ad officium pertinere, ex eorum interitu, cum quibus aliquod nobis neceſſitudinis ius intercedebat, luctum percipere, quod ſingulari ſemper religione ſeruarunt. Iacob, cùm non mediocri animi dolore, Ioſephi, quem fuiſſe à fera dilaniatum putabat, interitum luxit. Aaronem, & Moſem populus Iſraël mortuos deplorauit: Dauid quoque, de filij Abſalonis morte fleuit. Quid alios commemorem? Sed hi meritò, inquiet aliquis, deplorandi erant, quibus erat in cœlum aditus interclusus. Sit ita ſanè. Sed priſci illi viri, tum ſanctitatis, tum ſapientiæ laude præſtantes, hoc officij munus mortuis deberi exiſtimabant, idque ſingulari ſtudio præſtiterunt.

Gen. 37. Num. 20. Deut. 34. 2. Reg. 16.

Hoc autem, quod in omnium erat nationum more & inſtituto, à maioribus acceptum, etiam apud Chriſtianos manet: quorum religio, & vitæ ratio, quemadmodum in omnibus rebus, ad diuinæ mentis normam, ſtatuit, quatenus ſit progrediendum, ita & funeris quoque mœrori modum adhibet. Illud enim minimè ſuſtulit, cùm Stephano ſatis amplum curauerit; ſed illos imitari ſuos prohibet, qui mortuos ita lugent, & funeris exequias, ita proſequuntur, ac ſi illi ſimul cum corpore exſtincti, non ſint ampliùs in vitam reuocandi: *Nolumus* autem, inquit Paulus, *vos ignorare, fratres, de dormientibus vt non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* Spes enim futuræ vitæ, luctum, ex eorum, qui chari ſunt, interitu, leuat, quos Chriſti virtus, qui ſe à mortuis excitauit, è ſomno quaſi quodam etiam ſuſcitabit.

Act. 8. 1. Theſ. 4.

Conuiuia cur inſtituta. Iob. 1.

Conuiuia verò, quemadmodum nomen ipſum indicat, quia vitæ habent coniunctionem, videntur à priſcis hominibus fuiſſe inſtituta, vt inter ſe ſingulari charitate aſtringerentur: nec Iob quidem, vir omni virtutum genere excellens, ſi ſe res ſecus haberet, ea permitteret, à filiis tam frequenter concelebrari: Homerus quoque, apud Græcos ea ita agi conſueuiſſe commemorat, vt in iis virorum fortium præclarè res geſtæ ad cytharam canerentur, vt illa victus communio, animos conglutinaret, & maiorum laudes ad gloriæ cupiditatem excitarent. Sed hunc morem intemperantia corrupit, vt iam non eſſent conuiuia, ſed comeſſationes, libidines, & ad omnem laſciuiam cantus, & ſymphoniæ. Et, vt nihil illis intemperantiæ deeſſet, vt opes oſtentarent, magnificè ea & ſplendidè ornabant.

Eſth. 1.

Si igitur funeris exequias, cum conuiuiis conferas, vt ſi quid in illis eluceat, quod tibi ad ſapientiam ſit adiumento, arripias, multa profectò in funere animaduertes, quæ conuiuiorum bonis, ſi quæ in illis inueniri poterunt, anteponas. Nam ſi moderata ſint, & honeſta conuiuia, in illis quidem charitas ciuium, conſuetudine augetur, & cantibus gloriæ cupiditas excitatur: ſi verò, vt fieri ſolet, in illis omni ſoluta lege dominetur libido, Lapitharum

tharum profectò, & Centaurorum potiùs, quàm proborum hominum, appellabis conuiuia, in quibus si prælia, & contentiones deerunt, opes tamen per luxuriam effundi, mentem, si non eripi, cibo tamen & potu illius aciem hebescere, virtutisque neruis excectis, animum in tenebris versari, & carnis acerbissimo subiici imperio videbis. Verùm quocunque more funeri iusta soluantur, in illud si accedimus, primùm, quò res nostræ tendant, & nos ipsi quò properemus, sensu percipimus: deinde, vt noster Latinus inquit, *Et viuens cogitat, quid futurum sit. Et qui viuit*, inquit Hebræus, *dabit ad cor suum:* hoc est, vt Symmachus explicat, respiciet ad mentem. Cùm enim omnia, etsi maximis sint opibus stabilita, morte tabefactari conspicit, animum ad caduca & inania sectanda incitatum reuocat, vt de rerum suarum statu cogitet, & sibi ipsi prouideat: ab iis enim, quæ breui fore interitura cognoscit, cogitationem deducit, & eam, acerrimam quidem, & attentissimam suscipit, quænam illa erunt, quæ hunc communem omnium è vita exitum, consequentur? Hier. in Eccl. 7.

Fundamentum sapientiæ esse asseruimus, ingenij nostri tenuitatis, & insitæ in nobis imbecillitatis cognitionem: quam etsi non nisi, singulari veræ philosophiæ studio assequimur, funeri tamen cùm operam damus, eam facili negotio adipiscimur. Hinc omnium virtutum genera, ad hominum animos excolendos emanant. Quis enim dum oculos in hominis cadauer coniicit, illudque paulo attentiùs circunspicit, non sibi ipsi, & opibus diffidit? non liberalitatem auaritiæ præfert? non temperantiam libidini? non otium moderatum & honestum ambitioni anteponit? Quid si post mortem quæ sibi maneat conditio, velit inquirere? nonne in Dei iudicium vocari perhorrescit? quod si minimè futurum esse putet, quò sibi hinc emigrandum sit ignorans, stupet.

Si verò more, & instituto Christiano funus curetur, vt rerum humanarum contemptum prætermittam, in cœlum nobis aditum morte patefieri, singulari cum voluptate cogitamus, quò studia nostra, curæ, & solicitudines conferendæ sunt, ne si fortè aliò eas dirigamus, hinc morte exeuntes, eò commigremus, vbi intermissi proditique officij pœnas luamus: cum iis quoque, qui nobis chari è vita discesserunt, per aliquod tempus interruptam consuetudinem repeti, & quodam modo institui, cogitatio, luctum quidem ex eorum interitu, abstergit, & voluptatem affert. Spes verò illa, qua fore credimus, vt demortuorum corpora reuiuiscant, & vt nos illis iterum induti, vitam perpetuò duraturam, omni mortis metu liberi, ducamus, maximas quidem sapientiæ partes, continet: Nam Christi membra, nos inquam, nullo posse mortis impetu ita deleri, erudimur, quin eodem, quo in terris spiritu, cum eo conglutinati viximus, corporibus iisdem quæ, animis abeuntibus, ceciderant, induamur, & cum eo arctiùs coniuncti, in cœlis perpetuò degamus.

His autem quæ in funeris exequiis elucent, si eas more Christiano, & instituto prosequimur, omnis erga Deum, & homines officij nobis ratio traditur; idcirco Salomon, qui nostræ imbecillitatis cognitione, ad sapientiam nobis viam muniri existimat, quemadmodum, vt id

clariùs ostendat, diem qua mortem obimus, natali præfert, ita & fumus cum conuiuio confert: vna autem hac & eadem opera nos à sensuum consuetudine abducit, vt eorum in vita moderanda, iudicium aspernemur, & Dei quódnam sit iudicium, omni studio & contentione exquiramus, quod instar luminis, in loco tenebricoso despicientes, vestigia sine lapsu ponamus, & vitæ cursum, qui hominem decet, teneamus.

*Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. Cor sapientium vbi tristitia est, cor stultorum, vbi lætitia.*

Quibusdam quasi gradibus ad sapientiam, hoc est, in cælum, nobis Salomon ascensum parat: imbecillitatem primùm nostri generis explicuit: ne tamen desperatio assequendi sapientiam, animos occuparet, gloriæ studiũ excitauit: sapientiam verò consequendi fundamentum, in nostræ imbecillitatis cognitione posuit, dum enim nobis difidimus, animum in mentem illam intendimus, vnde omnis sapientia emanat, quæ & nos ipsos cõdidit, & ad sapientiæ decus, igniculis in animis datis incendit. Hos autem igniculos, quid maximè restinguat, & menti, ne sui cognitionem percipiat, tenebras offundat, hac nunc oratione explicat.

Iram cum dolore Aristoteles coniunctam esse docet, irascimur enim, Arist. Rhe. 2. quia vel contemnimur, vel incommodis, aut contumelia afficimur. *Iræ* igitur nomine, hæc omnia Salomon, quæ in causa sunt, vt irascamur, appellat, quemadmodum & Moses, etsi alio sit Hebræo vsus vocabulo, quod Exod. 15. *iram* tantùm significat, postquam diuino munere, mare traiecit, cùm Deo Irę nomine; omnia quæ in causa sũt vt irascamur. gratias ageret, *Misisti*, inquit, *iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam.* Et in libro Iosue, autor diuinus, cùm orationem Phinees sacerdotis refert, qua tribubus Ruben, & Gad, ne patriam religionem, & cæterarum tribuum societatem desererent, persuasit, *Nónne*, inquit, *Achan filius tare præteriit mandatum Domini, & super omnem populum Israël ira eius incubuit?* Iosf. 22. Cumque Dauid, vt omnem Israëlis populum censeret, Ioab præcipisset, idque officij sibi munus impositum, quare ille conficere non potuerit, idem sacer autor referret, *Ioab*, inquit, *filius Saruiæ, cœperat numerare, nec compleuit, quia super hoc ira irruerat in Israel.* 1. Par. 29. 1. Par. 21. Nam tribus Leui, & Beniamin, cùm inuitus Ioab eò munere fungeretur, prætermiserat, quas præscripto regis ne censere cogeretur, ea extitit causa, quòd populus cœpit, diuino iudicio, malis vexari, regnumque pestilentia vastari, quod *iræ* nomine sacer historicus significat.

Ira igitur, hoc est, res aduersæ, plurimum ad sapientiæ studium adiumenti afferunt; secundæ verò nos ab eo totos auertunt, & illecebris suis irretitos tenent: illæ enim nos quasi è carcere emittunt, imo potiùs à se ipsis reiiciunt, vt illarum amor nos minimè impediat, nõ enim ea, quæ animum pungunt, & dolorem inferunt, amamus: in quibus vsus ipse nos ad Ier. 31. conditionis nostræ cognitionem, modestiámque erudit. *Castigasti me*, inquit Ieremias, *& eruditus sum tanquam iuuenculus indomitus. Et de excelso* Ther. 1.

*misit*

*misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Risus autem, cùm adhibetur corpori titillatio, excitatur, & sensus quasi titillantur voluptate, ex qua lætitia nascitur. Quamobrem *risus* nomine Salomon vitam terrenis bonis affluentem nuncupauit, quemadmodum Baldad Suhites etiam appellauerat, cùm apud Iobum, improborum bona, cùm iis, quibus viri simplices, sincerique, à Deo, dum in vita sunt, afficiuntur, eleganti & ornata quidem oratione contulit; sic enim ille, *Deus non proiiciet simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo.* Et ipse Salomon in Prouerbiorum libro, *Risus*, inquit, *dolore miscebitur.* Hic autem risus, nempe vita terrenis bonis abundans, quem fructum sapientiæ hominibus afferat, Moses, quæ populo Israelis obuentura erant, prospiciens, luculenter explicuit, *Incrassatus est*, inquit, *dilectus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo factore suo.* Et Ieremias, *Incrassati sunt, & impinguati, & præterierunt sermones meos pessimè.* Præclarè quidem Iob, eorum qui bonis terrenis affluunt, breui hac oratione, mores perstrinxit, *Qui dixerunt Deo, recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.*

Arist. 3. de par. an. 10.
Risus pro vita terrenis bonis affluẽte.
Iob. 8.
Prou. 14.
Deut 32.
Ierem. 5.
Iob. 21.

Hæc rerum terrenarum copia, & secundus earum cursus, euentúsque prosperi, duo quidem mala hominibus inuehunt, quæ omnem optimè institutæ mentis statum conuellunt, quorum alterum Moses filiis Israel prædixit, de altero Ieremias conqueritur. Mentem enim lenociniis à Deo auertunt, animúmque efferunt, vt arrogantia intolerabili, & fastidio, neminem sapientem esse ducat, à quo ipse de officio admoneri possit. Verùm cùm res ad voluntatẽ fluũt, quia id nonnisi munere diuino nobis eueniat, si ab omni nos animi ægritudine, sapientia vindicarit, ea comite, ad Dei in genus nostrum benignitatem prædicandam excitarent, & in illius numinis admirationem, contemplationémque raperent: sed cùm omne quod excellit, sit rarum de communi vita Salomon orationem habens, ea, quæ ad illius institutionem spectant, de rebus aduersis, & prosperis tradit hæc.

Cur autem res aduersæ plus, quàm prosperæ, ad sapientiam consequẽdam proficiant, eandem, quam tetigimus, rationem reddit. *Quia*, inquit, *per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis.* Nam vultus, vt inquiũt, & frons, est animi ianua, & sermo quidam tacitus, qui illius sensus indicat: dum enim cura, sollicitudine, & tristitia affligamur, vultus, vt fert communis humanæ naturæ conditio, talis fit mutatio, vt quo in statu simus, ex eo prospici possit. *Respexit*, inquit Moses, *Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain & ad munera eius non respexit, iratúsque est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Et Nehemias, cùm ij, qui Hierosolyma venerant, ei, quo in statu res Hierosolymitanæ essent, nuntiassent, singulari dolore affectus, cùm regi Medorum poculum daret, sic eum est rex affatus. *Quare vultus tuus tristis est, cùm te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod, in corde tuo est. Quare*, respondit ille, *non mœreat vultus meus, quia ciuitas sepulchrorum domus patris mei, deserta est, & portæ eius combustæ sunt igne?* Et Isaias cùm Babyloniæ excidium, antè nuntiaret, vt quæ, & quanta esset Assyrios peruasura calamitas significaret. *Vnusquisque*

Vultus & frons animi ianua & sermo quidam tacitus.
Gen. 4.
2. Esd. 1.
Isai. 13.

*quisque*, inquit, *ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum.* Cùm autem res aliter, quàm sperabamus, eueniunt, ipso rerum euentu, grauíque aliquo, aut miserabili casu, autore, resipiscimus, & à fallaci hac, & fucata bonorum specie deludi nos ampliùs minimè patimur. Etsi quibusdam hominibus species illa, mentem ita eripuerit, vt nolint ab ea, vlla ratione auelli, & abstrahi, tenebras enim luci præferunt. Verùm si rerum naturam consideres, cùm bonum appetamus, aduersis rerum euentibus perspicies nos de officio admoneri, & vitæ cursum, eò tandem dirigamus, vbi his vacemus malis, & nostræ imbecillitatis conscij, nobis minimè, sapientiam arrogemus, sed in mentem diuinam intuentes, quid sit in vita fugiendum, quidve expetendum, inde percipere conemur.

Quamobrem ad ea, quæ disseruit, adiungit Salomon, *Cor sapientium, vbi tristitia est; & cor stultorum, vbi lætitia. Cor* inter cæteras humani corporis partes longè præstat, ab eo enim vita proficiscitur, & illud Philosophi animum esse putarunt, eius enim ventriculum Hippocrates mentis esse domicilium, & sedem affirmat: ex quo, inquit Tullius, *excordes, vecordes, cōcordesque* dicuntur, & Nasica ille prudens bis consul, *corculum* &, *egregiè cordatus homo, Cato, Æliúsve sextus.* Vt si verò illi cùm de animo multa disputarunt, à veritate aberrauerint, cor tamen esse vitæ, & cæterarum actionum humanarum principium, nemo vnquam negare est ausus. Quamobrem Christus, *ex corde*, inquit, *exeunt cogitationes.* Et Salomon motus cogitationum in corde agitari, eásque in eo esse asserit. *Cor*, inquit, *machinans cogitationes.* Et eum quem Latinè *vecordem* dicimus, *cordis inopem* appellat, *Qui autem*, inquit, *adulter est, propter cordis inopiam, perdet animam suam.* Et *qui indocti sunt, in cordis egestate morientur.* Ex hac autem in corde insita à natura *vi*, studium, quo sapientiam inquirimus, *cor* à Salomone dicitur: *Inclina*, inquit, *cor tuum, ad cognoscendam prudentiam; si enim sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, tunc intelliges timorem Domini.*

Hipp. l. de corde.
Cordis ventriculus, mētis sedes & domicilium.
Arist. 3. De par. an. 4.
Cic. Tul. 1.
Matth. 15.
Prou. 6.
Prou. 10.
Prou. 2.

Hoc autem studium inuestigandi sapientiam, dum rerum euentus aduersi accidunt, in homine sapiente tum maximè viget: insipientium verò in rebus prosperis, stultitia eminet: in rebus enim aduersis, velut in campo virtus excurrit, & cognosci potest, diuinæque sapientiæ vestigia, dum voluptas corporis abest, animus sectatur: Accedit etiam quòd res aduersæ arrogantiam minuunt, cupiditates coërcent, animum ad ea conquirenda impellunt, quæ nullo vnquam tempore, interibunt: sapiens verò si suo officio fungitur, nihil sibi arroganter tribuit, & in omni actione continentem moderationem cupiditatum adhibet, & hæc infima despiciens, ad supera sempiternáque aspirat, vt sapientis hominis sensum, res ipsæ aduersæ, ea, qua possunt ratione, exprimant.

Arist. 3. de par. an. c. 4.

Quamobrem meritò quidem *Cor sapientium*, inquit Salomon, *vbi tristitia est.* Lætitiæ ex eodem fonte, ex corde scilicet, vnde & tristitiæ, motus, oritur; sed animum, quem tristitia contrahit, quodammodo remittit, vt solutus fusúsque, ipse per omnia voluptatum genera vagetur: voluptas

ptas enim allicit,& lætitia animum effert, nam id, quod bonum esse opinamur, adepti, efferimur. Hæc autem stultum maximè delectant, ipsam enim stultitiam in homine gignunt,& ei incrementum afferunt: res enim prosperæ animum voluptate perfundunt,vt astrictus compedibus,vltra id, quod sensum mouet, minimè progrediatur,& lætitia efferunt,vt elatus,suę imbecillitatis memoriam amittat.

Hanc autem esse hominis stulti conditionem cùm nemo dubitet sapiēter quoque fuisse à Salomone dictum, *Cor stultorum vbi lætitia*, nemini dubium esse poterit.

*Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi, quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti: sed & hoc vanitas. Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.*

Omnia hæc, quæ oculis cernimus, singulari inter se ordine connexa, & colligata,ad Dei cultum, virtutísque studium,nos excitant, & de officio, si aliquando illud prætermittimus,admonent.Ea tamen quia ad humanæ vitæ vsum spectant & sunt quotidiana, despicimus. Beneficia quoque in nos à Deo collata contemnimus,quia communicari ea, cum omnibus hominibus, & peruulgari cernimus.Rebus igitur aduersis,vt verberibus infantes,opus fuit,à libidine nos deterreri, & ad sapientiæ studium auocari. Verùm cùm mutæ sint,& inanimatæ mutam monitoris personam præbent,quæ vt nos à scelere reuocét,nostro vt fiant eloquentes, præsidio indigent,vt ea nempe,quæ ipsæ complicatæ occulunt,euoluámus diligenter:cùm verò ipsi nos in hoc officio præstando turpiter deseramus, diuino munere fit,vt monitores nobis non desint, viri omni laude præstantes,qui non solùm ea, quæ ad omnem officij rationem pertinent, nos moneant, sed errantes quoque acriter obiurgét.Hoc autem quanto studio Deus generi humano præstiterit,longum est, & non necessarium commemorare. Cùm autem à Deo, omnia in nos bona emanent, & non mediocri ei curæ simus, ipse tum rebus aduersis, tum amicorum, & præstantissimorum hominum oratione admonitiones, & obiurgationes adhibet.

A Deo igitur,qui verè sapiens est,cùm nobis res aduersæ accidunt, & viri sancti de officio, vel admonent, vel obiurgant, à scelere in quo sumus, reprimi nos & auocari sentiamus: *Dum iudicamur*, inquit Paulus, *à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* 1. Cor. 11.
Quanti verò hoc sit à nobis æstimandum, Eliphaz,Iobum de officio admonens, ostendit *Beatus, homo*,inquit ille, *qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes: Quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.* Dum autem in his corporis inclusi compagibus sensuum tenebris offundimur multis quidem erroribus implicamur, Iob. 5.
quorum

1.Ioan.1. quorũ, velut æstu, in scelera rapimur: *Si dixerimus*, inquit Ioannes, *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Rerum autem bonarum, & malarum ignoratione peccatur: in qua, dum sensibus plus æquo tribuimus, culpa nostra, versamur. Quid autem pulchrum & decorum sit, ignoramus, si à sensibus, mentis oculos, non abducimus, eósq; in Deum, ita coniicimus, vt ab illo totius boni auctore, eos numquam deiiciamus: Nam *omnis*, vt inquit idem Ioannes, *qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum.*

1.Ioan.3. Has autem sensuum tenebras, ac si lumen accedat, cui oculos aperimus, adhibita admonitio, ex animo dispellit: errorem enim, in quo eramus, ante oculos ponit, animi deformitatem, vt eam cernere possimus, ostendit, ad honestatem hortatur, iacentem excitat, hæsitantem cõfirmat, nolentem obiurgat. *Audi fili mi*, inquit Salomon, *& suscipe verba mea, ne gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas, cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam.* Et: *Qui abiicit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis:* Hoc est, qui aures monitoribus præbet, animi sui statum tuetur, & conseruat.

Prou.1.

Prou. 15.

In maximi verò beneficij loco, sapientis monitionem à nobis reponi oportere, adulationis turpitudo & deformitas ostendit. Quemadmodum enim sapientis admonitio, quid optimum sit, & illius, quem admonet, vtilitatem respicit: ita & adulatio, illius cuius adulatur fortunam, neque dignitatem curat, nec vtilitatem quærit, sed omnia ad vtilitatem suam refert. Quamobrem adulatur quid iucundum sit ei; quem aggreditur, singulari studio inuestigat, vt ea esca, quasi hamo, hominem capiat: ipse enim adulatorum omnium principi, nimio scilicet, quo nos ipsos diligimus, amori socius accedit. Hominem igitur, quem sapiens, vt ad officium reuocet, scelus suscepisse admonet, ipse laudat: quem ille acriùs obiurgat, hic blanditiis delinit, & corrumpit; sibi enim eum, dum maximi illius adulatoris vestigiis insistit, illúmque omni conatu & studio consequitur, conciliare studet.

Plat.in Gorg. Arist.2. Eth. 7. Chrys. h. 5.in Phil. 5. Osor.lib.5. de reg.inst.

Adulatorũ moderanda seruitus.

Est enim hæc adulatorum miseranda seruitus, vt nihil, nisi ad nutum alterius, & voluntatem aggredi, & perficere audeant. Dum igitur iis turpiter seruiunt, à quibus obuenturum sibi esse aliquid vtilitatis sperant, nequissimo sermone, & flagitiosis blanditiis, eodem omnium hostium, immanissimo, & truculentissimo, nempe amori proprio, irretitos in seruitutem tradunt: Adulator igitur cùm totus ex fraude, & mendacio compositus sit, & eum, qui est reprehensione dignus, summis laudibus efferat, & non veritate, sed mendacio nitatur, ex illo profectò exordium cepit, qui mendacij parens extitit. *Vos*, inquit Dominus, *ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo; cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius.* Sapiens verò monitor plus nemini tribuit, quàm res, & veritas ipsa concedit, eóque in munere Deum qui verax est, imitatur. Quantùm ergo lux à tenebris, veritas à mendacio, & Deus à malo

Arist.Eth.4. c.3.

Ioann.8.

Dæmone,

Dæmone, vt ita dicam; tantùm sapiens monitor, ab adulatore distat. Si igitur lux tenebras dispellit, si veritas, materia est, quam Sapientia tractat, & in qua versatur, si Deus lumen præfert, & sapientiam tribuit, erunt quidem eximia ea bona quæ monitores, si eis aures præbeamus, nobis afferunt: mala verò, quæ adulatores inuehunt, numerari vix poterunt. Quamobrem meritò Augustinus, nobis ab adulatoribus grauiora, quàm ab hostibus, vulnera imponi testatur: & Hieronymus illud Dauidis, *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula*, adulatoribus maximè conuenire asserit.

Ab adulatoribus grauiora vulnera, quàm ab hostibus. August. ps. 69. Hier. ad cal. Ps. 54.

Eleganter quidem Basilius, vt eorum mores explicaret, Polypo eos similes esse iudicauit. Polypus enim, vt Aristoteles refert, cùm metu perculsus contrahitur, colorem mutat, & saxorum quibus se coniungit, color similis, sibi insidet, & pisciculos, quibus vescitur coloris mutatione capit: colorem verò, vt Plutarchus asserit, non vt Chameleon metu, sed fraude immutat vt irruentem in eum aduersarium, coloris mutatione decipiat, & pisciculos ad se alliciat, quos color ille inuitat, vt eos minimè metuentes capiat. Adulatorem igitur vir omni sanctitate & doctrina excellens, hac vna similitudine, quasi penicillo ita pinxit, vt nihil possit vltra cogitari.

Psal. orat. de leg. l. gen. Arist. lib. 9. de hist. an. 37. Plin. 9. hist natur. 29. Plut. l. terrestriáne an aquatilia sint calidiora.

Cùm autem, ad illius sensum, & voluntatem, de quo sibi adulator, aliquid emolumenti pollicetur cultum & sermonem, commutet, erit quidem eius oratio, cantus similis, qui in animos affluit, & illabitur: cantus enim singulari quadam voluptate animos inflectit & insita vi naturæ tenet: quia numerorum, & sonorum, ex variis interuallis, compositio, quæ harmoniam efficit naturæ humanæ est maximè conueniens. Homini autem qui nimis se ipsum diligit, quid iucundius poterit euenire, quàm adulatoris oratio, omni fallendi ratione instructa? id enim, quod ille amat, quem adulatur, ea summis in cælum laudibus effert, quod autem odit, omnibus contumeliis scindit, vt ipse in ea effictum se manifestè intueri possit, & se ipso, quodammodo frui, & oblectari. Quamobrem Hebræus hanc Salomonis orationē, quam hactenus explicauimus, ita refert, *Melius est audire increpationem sapientis, quàm vir audiens canticum*, siue, vt inquit Chaldæus, *nablum*, & Septuaginta, *carmen stultorum. Cantum* autem *stultorum*, quia is sapientis obiurgationi, vt contrarium contrario opponitur, sapienter quidem noster Latinus, de adulatione est interpretatus.

Cur autem Sapientis obiurgatio, adulationi sit præferenda, iam vidimus: id autem Salomon similitudine explicat. *Quia*, inquit, *sicut sonitus spinarum sub olla, sic risus stulti*. Vepribus dum ignis subiicitur, sonitus quidem redditur, illisque momento temporis consumptis, ignis cum sine pastu permanere non possit, extinguitur. Leuis quoque, & inanis homo, commodi alicuius cupiditate flagrans, somnum quidem, dum assentatur, edit, & cùm nihil expressi & solidi boni, illius oratio contineat, reddito sonitu effluit, & euanescit; is verò, qui assentationem recipit, incendio sæpenumerò flagrat. Quemadmodum enim admoto igne, nullo concentu, veprium ille sonus efficitur, ita & adulatoris oratio fallax & inanis existit.

Assentationis mala. Assentationem autem stulti *risum* nuncupat, quia est omnis assentator stultus, libidini enim seruit, & suo carens arbitrio, ad alterius vultum, suum fingit, vt nulla sit acerbior seruitus, ea, in quam is se ipsum sponte dedit: quia verò risu, & blanditijs beneuolentiam sibi colligit, & ea, quæ alteri iucunda sunt, mirificè laudat, & quæ ille optat, euentura ipse pollicetur, eáque maximè expetenda esse persuadet, eius blandientis orationem simulationem, & fucum, Salomon *risum* appellat.

*Sed & hoc vanitas*, inquit, Adulatoris nempe cantus, nihil enim graue, nihil decorum, nihil ad virtutis harmoniam leuissimus homo canit, perditi hominis aures permulcet, libidini deditum, ad insaniam incitat, & ad furorem impellit. Quid tam futile, & vanum cogitari potest, quàm cùm homo fallax, & perfidus, illius cui assentatur, ingenij, & animi imbecillitatem aucupetur, & intus bellicum canat, foris ei blandiri, & ad illius nutum se totum conuertere? Num blandus amicus, à sincero secerni non potest? Num veritas à mendacio? num honestum à turpi non distinguitur? Si fucata amicitia nihil est leuius, si mendacio nihil inconstantius, si nihil tam est contra naturam, quàm turpitudo; num adulatio, quæ, vt dicitur, fucum facit, mendacio nititur, à libidine & ab auaritia nascitur, non erit vana, leuis & inconstans?

Accedit etiam quòd in rebus humanis adeo vanitas inest, vt sapientis admonitio, quodammodo sit coniuncta vanitati: quia perditi homines, cùm se ipsos nimiùm diligant, elati assentationibus, præ se omnes homines pro nihilo ducunt: & cùm idcirco sint nimis indociles, & de officio sæpius admonendi, acerbum in monitorum odium concipiunt, eúmque hostem iudicant, quem libidini suæ aduersari sentiunt: quamobrem, vt Sapiens Sap. 2. eleganter in eo libello, qui Sapientia inscribitur, eorum, in sapientem monitorem conatus commemorat, nihil prætermittunt, quo ei perniciem inferant, aut malè multa tum eò compellant, vbi etsi taciturnitatem, omni officio potiorem esse sibi non persuadeat: de iis tamen, quæ ad illorum salutem pertinent, omnino silet, vt vitã silentio tueatur: quò fit, vt eximium illud sapientiæ decus, quod *cordis robur* à nostro Latino dicitur, in silentio, ac si fuisset extinctum, iaceat.

Quare adiungit Salomon, *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.* Sapiens scilicet, illorum, quos de officio admonet, & obiurgat sæpe acerbissimum in se odium excitat, & malis ita vexatur, vt, vbi consistat, vspiam non habeat. Animũ sceleratorum hominum, qui in monitorẽ irruunt, & inuadunt, vt eum de statu mentis conuellant, Salomon hac Greg. ex Eccl. 7. oratione describit, non autem sapientis inconstantiam in officio præstando reprehendit, in qua illi rarò, aut numquam versari contingit; sed cùm tempus sit loquendi, vt ipse Salomon docuit, & sit tempus tacendi, cùm se monitores non solùm repelli ab his hominibus vident, sed malis circunsepiri, & ad perniciem notari, atque designari, inuiti tacent, & eorum scelera silentio prætermittunt, sic enim Christus suis præcepit, Mat. 10. *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris.*

Est

Est autem singularis ad generis nostri salutem, sapientiæ conatus, quem si comprimas, ex sapiente parum, aut nihil foras eminebit, vt splendorem amisisse meritò videatur, quod Salomon indicat, cùm ait, *& perdet robur cordis illius.*

Calumnia autem non solùm iuris est malitiosa interpretatio, sed fraus & dolus, quo vel causas in iudicio bonas quidem ludificamur, vel rem alienam petimus. Noster autem Latinus non his angustis eam terminis coërcet, sic enim eam sæpenumerò vsurpat, vt extra iudicium latè pateat, & iniuriam, quacunque ratione inferatur, significet, nec hoc quidem immeritò, est enim verbum Hebræum עשק quod rem alienam, tum acceptam retinere, ac supprimere significat, tum etiam fraude & dolo eam in domum suam auertere. Hanc autem verbo Hebræo subiectam notionem, *calumniandi* verbo Latinus exprimit, quemadmodum cùm illud Ezechielis Latinè vertit, *Pater eius quia calumniatus est, & vim fecit fratri, & malum operatus est in medio populi sui; Ecce mortuus est in iniquitate sua.* Valde enim hæc inter se differunt, rem alienam ad se fraude & insidiis occultis abducere, & quæ aliquando in nostram venit potestatem nolle petenti domino tribuere, aut illata vi in oculis omnium, nullo iuris metu, eam occupare. Illud Latinus interpres *calumniam* nuncupat, vt per vim, & manifestè illatam iniuriam, ab ea quæ fraude fit, & est, odio digna maiori, separet: hanc igitur more suo, hoc in loco *calumniam* appellat: vnde viri Sancti hoc vno verbo, & sceleris incitamentum, vt fecit Ambrosius, & falsum crimen significant, quo probos homines in odium & inuidiam improbi vocant, & si eorum nomina iudicibus non deferant; sic enim debitus sapientibus honor, & autoritas detrahitur, quæ ad stultos transferatur indignè.

Calumniæ nomen vt vsurpatur.

Ezech. 18.

Amb. ps. 118. c 6. Bas. Ep. 63. ad Neo.

Sapiëtibus honor detrahitur, qui ad stultos trásfertur indignè.

Salomon verò, vt dicebam, cùm inquit, *Calumnia conturbat sapientem,* non solùm in hoc singulari officij munere, quod Sapiens in genus hominum benignè confert, quare vanitas insit, quemadmodum Chaldæus, & Septuaginta interpretes videntur existimasse, sed etiam quàm sint homines monitoribus infensi, & quid hunc sapientis animum, & studium consequatur, ostendit. Sapiens namque dum est in hoc mortali corpore inclusus, quantumuis licèt sapientiæ muneribus excellat, cùm ab ijs, quorum saluti, singulari studio consulebat, caput suum oppugnari videt, aut vitæ suæ, quod non minus æstimari debet, notam aliquam turpitudinis inuri, non mediocri animi dolore cruciatur: non enim cum sapientia humanitatem exuit, quanuis, vt Ioannes Chrysostomus eleganter disserit, mirabilem ei accepta iniuria, philosophandi copiam suppeditet.

Chris. ad Ant. in Mat.

Calumniam malum esse grauissimum Gregorius Neocæsariensis, & Ambrosius, affirmant, quia vir sapiens, rebus omnibus, ac vitæ etiam, honestatem præfert, vt nihil ei possit acerbius accidere, quàm vitam suam ab hominibus conuitio notari, ac si aliquod sibi dedecus hæreret infamiæ.

Greg. Ecc. 7. Amb. ps. 118.

Conturbat autem sapientem hoc tantum ingrati animi scelus; hic hominum in se, qui de eorum salute est optimè meritus, impetus sceleratissimus; fert enim hominis natura, vt sapiens his rebus affligetur, non autem vt perculsus de mentis statu declinet. Nam inter hæc

Bas. Ep. 68. ad Torp.

extrema, nempe omnino nihil ſentire, & de mentis ſtatu conuelli triſtitia, illud eſt omni laude prædicandum, quod medium tenet. Nihil Moſe mitius extitit, is tamen cùm ita ſalus reipublicæ poſtularet,

Num. 2. 12. 16. ſeueritatem adhibuit: eſt enim animi affectionum modus quidam, & mediocritas, quæ nos oportet, eas moderari: nam ſi ea prætermiſſa, quancunque in partem propendeamus, in vitium dilabimur: ita & ſapiens, cùm falſis criminibus, inuidiam ſibi conflari, & vitæ ſuæ, publicè & priuatim ſine vllo vitæ ſcelere, dedecus imprimi, & variis modis vexari ſe, exagitarique videt, ſi non doleat, ſtupidus erit habendus; & ſenſu omnino carens: ſi verò in his, animum dolore contrahat, & dimittat, ſtultus: vt igitur ſtupiditatis, & ſtultitiæ dedecus fugiat, eum, rationi obtemperantem, oportet, & opus eſt, ita commoueri, vt mentis ſtatum tueatur, & naturæ, non aduerſante ratione, quod ſuum eſt, tribuat.

Præclarè quidem Paulus vtrumque præſtitit, cùm enim eum mala

2. Cor. 1. vndique vrgerent, ſe nimiùm illis afflictari affirmat. *Non enim*, inquit, *volumus ignorare vos fratres de tribulatione noſtra quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt taderet nos*

Act. 23. *etiam viuere*. In Ananiam verò Sacerdotum principem, qui os illius verberari iuſſerat, palam & acerbè inuehi non dubitauit. *Percutiet*, inquit, *te Deus, paries dealbate, & tu ſedens iudicas me ſecundùm legem, & contra legem iubes me percuti?* Non enim in eo ſapientiam ponimus, vt corporis omnino oppreſſis ſenſibus, nihil ſentiamus, ſed vt eorum impetus rationi non obtemperantes coërceamus, & in eos ſuum imperium mens & ratio tueatur.

Sapiens ergo turbatur, ſiue vt vocabulum Hebræum etiam ſignificat, dolet, tam vehementer in ſe, eos, qui ſibi plurima debebant officia, concitari: non tamen eum, præſentis mali perpeſſio, de ſtatu ſuo deijcit. Eleganter quidem Septuaginta & duo interpretes, *Calumnia*, inquiunt, *circunfert ſapientem*. Quia perditi homines ſapientem, ſuæ libidini aduerſantem, vt omnino tollant, aut eò conijciant, vnde ſibi non poſſit eſſe impedimento, quòminùs inflammati libidine, in omne ſcelus prorumpant, eum vndique fraude, doloque oppugnant, & exagitant, vt eum circunferre videantur.

*Et perdet robur cordis illius.* Dum falſis criminibus ſapiens oppugnatur, dum per fraudem multis vexatur incommodis, non in eum animi cadit infractio, & turpis quædam demiſſio, ſed eadem vis illa mentis in eo ineſt, qua illos de officio admonuerat: pro tempore tamen, & loco eam moderatur, vt dum ita fieri oportet, vel de ſtudio admonendi remittat, vel totus in illud incumbat. Cùm igitur calumnia, acerbum ſcilicet perditorum hominum in ſapientem odium, & inuidia, eum à ſuſcepto admonendi illos ſtudio auertit, meritò quodammodo, *robur* dicitur *ſapientis perdere*, quia eximius ſapientiæ ſplendor, in obiurgatione, loco & tempore adhibita elucet: eſt autem ſapientis *cordis robur*, ſapientiæ lumen, quo illuſtratur: id autem ſi ſapiens non oſtendat, extinctum quidem eſſe dicitur, quia non illud, vt nobis opus erat, proſpicimus.

Quamobrem

Quamobrem iure optimo id Salomon de ſapiente, qui temporum rationes obſeruat, quas ipſe paulò antè deſcripſerat, & Chriſto. O. M. conſilium, quod commemorauimus, perſequitur, & Pauli veſtigijs inſiſtit, affirmat. De eo tamen Baſilius, & Hieronymus id Salomonem aſſeruiſſe exiſtimant, qui etſi ſapientiæ ſtudium, & operam nauet, non tamen ſit eò progreſſus, vt perfectè ſit ſapiens; talem enim mala illa perturbant, & exanimant. Verùm mortali corpore indutus, nemo beatus eſſe poteſt, ac proinde nec perfectè, & abſolutè ſapiens exiſtit. Optimi enim perfectio, & abſolutio in homine, beatitudinem comitatur, ab eaque ſeparari non poteſt. Eleganter quidem Plato, cùm diligenter, quis ſapiens eſſet, inquireret, eum eſſe dixit ſapientem, qui multa hæc, quæ nobis ſenſus nuntiant, in vnum reuocat, quo omnia, quaſi vinculo colligata ſunt, illúdque omni ſtudio contemplatur; hinc verò in aliam vitam commigrans, his multis, quibus implicabatur omiſſis, ſenſibuſque veluti vinculis ſolutus, vnus ipſe quoque effectus illius ſummi, in quod omnia referuntur, vnius cognitione perficitur.

Baſ. Ep. 86. ad hoſp. Hier. Ecc. 7.

Plat. in Ep.

Sapiens igitur cùm nemo abſolutus, & perfectus in hac vita mortali, reperiri poſſit, de homine quidem Salomon diſſerit, de quo ipſe illud affirmat, *Audiens ſapiens, ſapientior erit*: &, *Atque ſapientem diliget te; de ſapienti occaſionem additur ei ſapientia.* Eſt enim ad ſapientiam curſus, in quo eſt vir ſapiens, dum in eo vita manet; hic autem non niſi poſt mortem, curſus cõficitur: ſunt quoque diuerſi gradus, quibus ad ſummam, quæ hominis naturæ conuenit, ſapientiam aſcenditur quemadmodum & Paulus inquit, *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus.* Mens autem humana certis eſt circunſcripta terminis, quos in mortali incluſa corpore, progredi vltra non poſſit; definitam quidem ſapientiæ partem conſequi in hac vita poterit, quam ſoluta corpore, multis acceſſionibus amplificabit. Dum igitur hunc vel illum ſapientiæ gradum aſſequitur, magis minúsve in rebus aſperis perturbabitur: aut enim de gradu illo deijcietur, aut ſic commouebitur, dolebitque, vt præſenti animo, conſilioque vtatur.

Prou. 1. & 9.

1. Cor. 12.

De homine igitur qui in ſapientiæ ſtudio parum fuerat progeſſus, & nullis ferè radicibus nixus, quocũque aduerſæ tempeſtatis impetu: de ſtatu ſuo conuelli poteſt, Salomonis orationem, viri illi ſancti interpretantur, perfectéque ſapientem, eum appellant, qui in altiori aliquo ſapientiæ gradu collocatus, inter alios excellat, de quo nos Salomonis ſententiam interpretamur.

*Melior eſt finis orationis quàm principium. Melior eſt patiens arrogante.*

Nomen Hebræum דבר quod noſter Latinus *orationem* vertit, non ſolùm quancunque dictionem, ſed opus quoque ſignificat, vt ſi præclaram ſapiens actionem ſuſcipiat, cui improbi aduerſentur, eam conſtanti animo perficere conetur; cùm enim optimo ſit ſuſcepta cõſilio, erit meritò ſperandum, vt proſperos exitus conſequatur, nã, vt inquit Salomon, *Melior*

*est finis orationis, quàm principium.* Etsi plurimùm ad nocendum valeat improbitas, & res nostræ, ab ijs, quæ in motu sunt, pendeant, & ideo quæ vir sapiens fuit optimo consilio aggressus, improborum scelere & inuidia sæpe ipso incursu concidant, vel temporum conditio & certa causarum series, illarúmque vis, & motus semper inconstans, labefactet, non ideo sapientis erit reprehendenda contentio, quæ rationi erat consentanea, & reipublicæ maximè salutaris: nec is propterea animum dimittet, vt id, quod fuerat aggressus, non adhibita contentione perficiat. Nam is non vulgi se iudicio moderandum tradit, à quo illud natum est, tritum vetustate prouerbium, *Exitus acta probat:* omnia enim officij, & honesti momenta perpendit, & obseruat: ne aliquando, vulgi opinione ductus labatur.

Si igitur negotium minùs quàm volebat, prosperè initio succedat, non ideo rationem, quam fuerat secutus reprehendet, aut animum contrahet, sed sibi ipse constans, quid inde existet, finem scilicet orationis, suarum nempe, & aduersariorum actionum finem longè prospiciet. Nam improborum calumnia, aut ipsis, aut posteris perniciem afferet; Deoque vindice, supplicium sibi debitum sustinebit: hi enim, qui sapientum monita reijciunt, in eósque inuehuntur, *acerbè comedent*, inquit Salomon, *fructus viæ suæ, suísque consilijs saturabuntur; auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.* At sapientum contentiones, & actiones præclaræ, quãuis sibi inuidiam sæpenumerò excitent, & aduersantibus ijs, qui gratia & opibus pollent, haud possint nonnunquam confici, sunt illæ natura quidem constantes, & stabiles, à sapientia nanque initium sumunt, quæ nunquam aberrat à fine, & quod honestum, & decorum sit, in omni officiorum genere obseruat. Nec non sapiens cùm oppugnatur, æquabilem moderatámque vitæ rationem seruat, tum quia rebus illam omnibus anteponit, tum quia totius negotij exitum spectat. Improbi verò omnem veritati aditum in principio obstruunt, multa confingunt, plurima malitiosè interpretantur, querelis omnia complent, & quæ in perniciem sapientis moliuntur, fronte occultant, vim denique adhibent, ne interclusa possit veritas respirare. Interim sapiens, illorum impetus constanti animo sustinet, & dum id temporis ratio postulat, eos ad officium reuocare desinit, & dolorem quem ex tanto illorum scelere percipit, rei totius exitus expectatione lenit; Ita enim natura fert, vt veritas, quæ in principio orationis, & cuiuslibet negotij, latet, in fine tandem, in lucem proferatur, *Veritas*, inquit Zorobabel, *manet, & inualescit in æternum & viuit, & obtinet in sæcula sæculorum.* Quare *melior est finis orationis, quàm principium,*

Prou. 1.

Exod. 3.

Accedit eò, quòd hi, qui in monitorem immani odio feruntur, postea eum, singulari beneuolentia prosequantur, tũ quia intermisso tẽpore, minuuntur odia, & sæpe extinguuntur, tum quia quanta sint ea, quæ illis sapiens officia præstitit, cùm primùm fuerunt persoluta, ignorabant, sedatiori animo ea cogitantes, monitori se non mediocri esse beneficio obstrictos intelligunt. Id autem si rarò eueniat, semper tamen post ex hac vita exitum, ingrati animi scelus, quo improbi in monitorem inuehuntur, à Deo supplicio vindicantur: & excellens illud studium, quo sapiens in illorum animis virtutem insere re conabatur, ipse sceleris vindex Deus remune

remunerat. Exſpectat igitur ad extremum ſapiens,rerúmque hunc ordinem ſeruari patitur.

Eadem nos quoque Salomon oratione docet,ne illorum orationi,qui de aliis & præcipuè de iis, qui eos de officio admonent, & virtutis laude excellunt,impudenter detrahũt,ſi dem adhibeamus, erit enim id,nõ mediocri reprehenſione dignum,quam nos in paraphraſi ſententiam, latius explicauimus.

Adiungit Salomon, *Melior eſt patiens arrogante.* In omni enim præclara vitæ actione,eſt nobis opus patientia,vt affectionum, quæ à recta ratione diſcrepant,impetus ſuſtinere,& ad illarum motus rationi aduerſantes obdureſcere,eóſque perpeti poſſimus, *Iis* quidem,inquit Paulus, *qui per patientiam bono operis,gloriam,& honorem,& incorruptionẽ quærunt,vitam æternam reddet Deus.* & Salomon, *Impatiens,* inquit, *operatur ſtultitiam, & qui patiens eſt,multa gubernatur prudentia; qui autem impatiens eſt,exaltat ſtultitiam ſuam.* Patientem Hebræus,& arrogantem, his verbis eleganter explicat, *Longus animo melior eſt,quàm excelſus animo.* Non enim ita reſtrictè patientem, & arrogantem definimus, vt ij faciunt, qui in ſchola diſputant. Verùm cùm res externæ,quæ ad corpus pertinent, aduerſæ, nos pungant, & ſæpenumerò affligent; intúſque motiones animo inter ſe diſſidentes, rationíque aduerſæ ſolicitent,illas vir patiens,rerum humanarum tolerantia,contemptionéque fert ſapienter: has autem moderationem adhibendo comprimit.Non ſolùm enim animi ęgritudini,quam triſtitiam in ſcholis vocant,medetur patientia, ſed animum confirmat, ne in aduerſis concidat,& vt ea bona expectet,quæ acerbam,in qua eſt,cõditionem conſequentur. Horum autem poſtremum cùm patientia animis tribuit, à noſtris *longanimitas* dicitur,quam Salomon, animi elatione præfert. Nam is, qui ſe inſolentiùs effert,ea ſibi arrogat, quibus omnino caret: ſapientiam autem cùm nec quidem primis eam,vt inquiunt,labris tetigerit,ſibi adeo arroganter tribuit,vt ſe de officio admoneri indignè patiatur,cæteris enim ſe longè hominibus putat excellere.

Rom. 1. Prou. 14. Ariſt. 1. Eth. 7.

Vt igitur ſapiens monitoris officio fungi poſſit, neque vllo ingrati animi ſcelere commoueri, vt noſtræ etiam aures ſapientum monitis, præceptíſque pateant, Salomon expetendam nobis eſſe patientiam docet.Sapiens enim ſtulti animum patientia mitigat, & ſeipſum ad ſceleratorum impetus ſuſtinendo firmat:ſtultus verò,ſi patienter monitorẽ audiat, primum hunc ſibi aditum,ad ſapientiam aperit,& ab ſtultitia recedit.

*Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.*

In omni vitæ actione, vt officio fungamur, non ſolùm ad ea, quæ ardua ſunt & difficilia, & ad rationi aduerſantium affectionem impetus, oportet, quodammodo nos patientia obdureſcere, ſed etiam ſingulari ſtudio iracundiam coërcere. Eſt autem hoc iis qui admonent, & qui admonentur, maximè neceſſarium: ne illud accipiant repugnan

Ariſt. 2. Rhet. 3.

pugnanter; illis autem, vt benignè persoluant. Ira, quisque cùm se contemni putat, excitatur; qui autem de officio admonetur, aliquid fuisse à se commissum intelligit, quare possit à monitore despici; ipsáque admonitio, illius vel scelus, vel stultitiam aperit. Cùm igitur nimis se ipsum amet, & multum sibi quisque tribuat, dum admonetur, plurimum sibi de dignitate sua derogari existimat. Quamobrem monitori irascitur, & succenset, ac si vim sibi intulerit, & infamiæ labem asperserit, id enim quod sibi arrogat à monitore detrahi sibi patitur indignè. Verùm si parumper is, animũ ab ea opinione abducat, qua se contemni putat, & ad id munus officij, quod ei præbet, Sapiens conuertat, iracundiam non solùm cohibebit, sed monitis ducetur Sapientis ad honestatem.

*Non sis velox ad irascendum*, Vt quid in sapientis monitis, & in se, ipso sit quisque priùs velit intueri, quàm de monitoris oratione iudicium ferat: non enim sibi à monitore iniuriam inferri, sed beneficium non mediocre conferri perspiciet. Iis igitur quæ iram excitant, ita decet nos commoueri, vt numquam mens tenebris offusa, quid optimum sit, iudicare non possit. Non moueri stupidi est, & eius, qui sensu caret, at ira exardere, eius est, qui furere incipiet, est enim ira simillima insaniæ. Est autem omnibus innata vis, qua salutaria appetimus, & quæ nocent, omni contentione fugimus: boni verò appetitio malíque fuga, est certis circumscripta terminis, quos vltra si appetendo fugiendóve progredimur, in vitio sumus, officiúmque deserimus. Cùm enim incommodi reiiciendi causa vel illatæ iniuriæ opinione commouemur acerbiùs, rationis quasi finibus à natura constitutis excedimus. Ira igitur, quia nimis vindictæ capiendæ libidine, animum incitat: & stupor, quia vim sentiendi comprimit, naturæ humanæ, optimæ à Deo constitutæ, repugnant.

Ira insaniæ simillima.

Mediocritatem igitur, inter nimiùm & parum, tenere nos oportet, quam *mansuetudinem* appellant: ea, qui animi motus affectionésque non moderatur, stultũ eum esse prędicat; est enim, in quo vt docet, stulti vita & mores instar sinus matris, iracundia sit, & vnde nullis humani ingenij viribus abstrahi possit. Cùm enim stultitia sit rationis vitium, quod de iis quæ ad honestum decorúmque seruandum pertinent, non rectè iudicamus eámque rustici mores consequantur: Ex se profectò gignet iracundiam & cõplexu suo retinebit, vt ab ea auelli non possit. Quamobrem Iob, *Virum*, inquit, *stultum interficit iracundia*. Et Salomon, *Factus*, inquit, *statim indicat iram suam*. Quemadmodum verò quæ nobis donantur, sinu complectimur, ne vel eripi, vel labi possint, ita ea, quæ hominum mores, & vitam consequuntur, & quæ illi plurimi æstimant, eorum sinu dicuntur contineri: vt est illud Iob. *A mandatis labiorum eius non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris eius*. Et, *Redde*, inquit Dauid, *vicinis nostris septuplum in sinu eorum, improperium eorum quod exprobrauerunt tibi Domine*. Et Iob, *Reposita est hæc spes mea in sinu meo*. Et, *Remetiar*, inquit Isaias, *opus eorum in sinu eorum*. Summam quoque viri vxorísque coniunctionem, vt Moses significaret, *Vxor*, inquit, *quæ est in sinu tuo*.

Arist. l. de virt.
Iob. 5.
Prou. 12.
Iob 23.
Psalm. 78.
Iob. 19.
Isai 65.
Deut. 13. & 28.

Hoc quoque in loco Salomon iracundiã ab stultis plurimi fieri eamq; esse

esse stultitiæ comitem,& iis esse vtranque vinculis astrictam, vt earum societas haud dissolui possit,vt luculentiùs explanaret,in sinu stulti non solùm esse, sed requiescere iracundiam asserit, quemadmodum & sapientiam in prudentis animo, habere requietem affirmat. Illud autem *requiescendi* verbum Isaias,vt studiorum consensionem significet, vsurpat,& Salomon,eam, quæ est iracundiæ cum stultitia,ne prætermittat, eodem vtitur verbo. Isaiæ 7. Prou. 14.

*Ne dicas, quid putas causæ est,quòd priora tempora meliora fuère, quàm nunc sunt? stulta enim est huiuscemodi interrogatio.*

Homines nos ea lege nati sumus, vt omnibus telis vndique emissis proposita sit vita nostra: miseram enim ipsi nobis, cùm primùm in Dei offensionem incidimus,conditionem constituimus,quam recusare non licet; *De humo*, inquit Eliphas, *non orietur dolor,homo nascitur ad laborem, & auis ad volandum. Militia*, inquit Iob, *est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarij, dies eius.* Hac autem nostri generis conditione, etsi omnes viuant, & eam non mediocriter doleant, & grauiter lugeant, quia tamen sensu præsentis miseriæ maximè commouemur, & ea quæ ex aliorum commemoratione, & scriptis percipimus, ad nos minimè pertineant,omnia,si cum nostris conferamus,minora ducimus; ea verò, quæ in nos mala incurrunt, acerbissima iudicamus. Quamobrem eorum,qui ante nos vixerunt,nostræ præferimus conditionem, & quid in causa sit,vt res nostræ ita se habeant, diligenter inquirimus. Iob.4.& 6.

Inane autem id esse studium, & mediocris stultitiæ argumentum, Salomon affirmat.Nam si temporum à lapsu Adami, memoriam repetas, nullum non miserum, nullum non calamitosum extitisse reperies: cùm enim à recta cœpimus ratione discedere, in maximam temporum calamitatem incidimus; satis enim magna vis est in vitiis ad miseram vitam, quemadmodum in virtute fatemur, eandem esse ad beatam vitam,vt si quam temporum subeamus tristitiam,ea non tempori sed moribus sit omnino tribuenda. *Deus*, inquit Ecclesiasticus, *ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta sua; si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere,apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam,ante hominem vita, & mors,bonum & malum quod placuerit,dabitur illi.* Non igitur decet,quæ ipsi nobis mala inferimus, vitio temporis vertere: nec causam quærere cur posteriora tempora sint prioribus deteriora,sic enim traducitur tempus, vt nihil noui efficiat, sed primum quidque replicet. Eccles.15.

Non ergo sapientem,eorum, quos ad virtutis studium,vt reuocaret, de officio admonebat,calumniis exagitari, nouum inauditúmque erit existimandum,ac si prioribus illis temporibus, ingrati animi scelus non

viguisset: neque ij, quos miseriæ & ærumnæ premunt, suam ideo conditionem doleant, quia prioribus illis, non sint temporibus nati, ac, si fuissent, malis omnibus caruissent. Rati enim sunt, & perpetui siderum cursus, ex quibus in hæc corpora aliquid influit, & genus nostrum à sui ipsius initio, peccati vis, & tyrannis oppresit, vnde quasi è perenni fonte in nos mala innumera emanant.

Matt. 6. Verùm, etsi, vt Christus Dominus inquit, *sufficit diei malitia sua*, tam misera sæpenumerò tempora incurrunt, vt ea sint prioribus meritò acerbiora iudicanda: vt illud extitit, cùm Hierosolyma excisa funditus interiit, de quo suis Christus prædixerat, *Erit*, inquiens, *tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vsque modo, neque fiet*: Aliquando quoque ea incidunt, quæ ob libertatem, quæ amissa fuerat, diuino beneficio acceptam, optima iudicantur, quemadmodum ea fore, Daniel prædixit, *Veniet*, inquiens, *tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, vsque ad tempus illud, & in illo tempore saluabitur populus tuus omnis*. Datam à Deo libertatem Iudæis quis non prædicet? quis non diuinam benignitatem summis laudibus efferat? sed eos à vicinis gentibus tot illatæ iniuriæ vexabant, vt in lacrymis & miseriis versarentur. Quid de ea libertate, quam Christi sanguine fuimus consecuti, num ea potuit vel excellentius aliquid, vel præstantius à Deo generi humano tribui? Verùm, quàm fuerit illud tempus miserum, incendia, direptiones vrbium, & excidia testantur, quæ si animaduertas, communem reperies, cum aliis horum temporum fuisse conditionem: nam etsi veræ sapientiæ lumen cœperit tunc hominibus elucere, eorúmque genus, iis beneficiis auxerit, quæ mens sibi humana, nec polliceri, nec vlla poterat ratione consequi, illius tamen immanissimus hostis, quas turbas exciuit? quæ bella excitauit? quas iis, qui veræ sapientiæ studio flagrabant, insidias parauit? quas attulit calamitates? quibus eos miseriis oppresit, & tormentis excruciatos necauit? Paulus, illorum temporum ærumnas commemorans hac oratione grauissimi sui doloris indice testatur, *Non enim*, inquit, *volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos viuere.*

Matt. 24. — Dan. 12. — Nehem. & Esdr. — 2. Cor. 1.

Suam verò quisque miseriam luget, conditionémque lamentatur, quam nobis ipsi constituimus, dum erga Deum officium deseruimus. Miseriam quidem vitæ communis leuat alicuius boni vel præsentia, vel spes firmissima consequendi: illud si adest, innumeris est coniunctum malis, spes autem etsi animum excitat, vehementer tamen excruciat, vt semper in malis simus, nec vlla vnquam ætas fuerit, quæ malis vacarit. Ea tamen, quæ quisque sustinet, grauissima esse iudicat, tum quia seipsum nimis amat, tum quia sensu ad iudicium ferendum de re quaque ducitur.

Quamobrem cùm omnium sit hæc communis conditio plena miseriis, quam nobis ipsi constituimus, temerè ij quidem faciunt, qui dum sua deplorant tempora, causas inquirunt, cur hæc sint misera, & meritò lugẽda, priora verò, iis, qui illis vixerant, extiterint óptima & prædicãda.

*Vtilior*

*Vtilior est sapientia cum diuitijs, & magis prodest videntibus solem: sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio, & sapientia, quòd vitam tribuit possessori suo.*

Vt nos Salomon ad virtutem informet, multa eleganter disserit; est enim multiplex hominis natura, & sunt variæ, diffusæque viuendi rationes. Illud autem ab iis, qui maximè ingenio præstabant, fuit diligenter satis, & singulari contentione quæsitum, num virtus, siue sapientia dum in tellure ætatem degimus, vitam beatam efficiat, etsi secretis malis omnibus, nulla posit esse cumulata bonorum complexio, cùm nihil in vita reperiri posit, cui non aliquid desit: si quid verò in suo genere sit expletum, id virtutis videtur esse proprium; quare in ea beatam vitam Socrates apud Platonem posuit, cui bona externa Aristoteles adiunxit, ne quid requirat, vt cumulata beatáque sit. Illi more suo hac de re disputabant: hoc autem, quod Aristoteles, Salomon quoque videtur tam multis sæculis antè sensisse: in eo enim, qui rebus omnibus indigeat, quodammodo iacere sapientiam, neque ita ciuibus prodesse viderat: quanuis sapientia plus rebus omnibus auctoritate polleat, apud homines tamen, qui sensuum iudicio vitam moderantur, opes auctoritatem constituunt; nam, vt Sapiens, iis quos de officio admonet, fidem faciat, & se vt imitari velint, persuadeat, non mediocris illæ sunt ponderis & momenti. Neque ipse sibi sapiens, sed aliis nascitur; qui si opibus abundet, multò quidem maiora in rempublicam beneficia conferet, quid enim reipublicæ salutem constituat non ignorat, id verò opibus nixus, vel perficit, vel aggredi non dubitat; quòd si rerum indigens sit, aut gubernandæ reipublicæ munus non suscipit, quia metuit, ne illud explere possit, aut ab optimo incæpto conatúque depulsus conticescit, vt est illud Theognidis, *Ei, quem paupertas opprimit, lingua sic inhæret, vt nihil perficere, nec loqui poßit.* Plut. de aud. po.

Sunt enim opes ex illarum rerum genere, quæ etsi virtutem non efficiant, neque salutem hominibus afferant, virtutum tamen instrumenta sunt, quibus sapiens, reipublicæ possit statum tueri, & facili negotio præstare, vt sapientiæ suæ lumen omnibus luceat. In tenebris enim pecunia iacet, quæ in hominis auari potestatem peruenit, vt nec sibi honori, nec amicis vtilitati, nec reipublicæ emolumento esse possit: Si verò ad improbos ea venerit, quàm erit multarum voluptatum, & scelerum effectrix? Si tamen eam habeat sapiens, etsi ipse per se ad reipublicæ salutem plurimum valeat, multò quidem magis pecuniæ præsidio munita sapientia, & externis aucta viribus proficiet. Ea namque vitam quodammodo pecuniæ, quæ erat in tenebris, affert, & quæ solùm ad peccandum impellebat, vim ei salutarem ad decus & honestatem impertit; quamobrem Iob illam diuitiis omnibus, anteponit. Iob 28.

Verùm quid Salomoni venit in mentem, ita pecuniam conferre cum sapiẽtia, ac si æquales, & pares sint, nec minùs in rebus aduersis, pecunia hominibus opituletur, quàm sapiẽtia? *Sicut* enim, inquit, *protegit sapientia,* Prouerb. 19. *sic protegit pecunia.* Id verò ita differit, vt ipse aliquãdo amicos pecunia cõciliari affirmauerit, *Diuitiæ*, inquiens, *addunt amicos plurimos, à paupere autẽ, & hi, quos habuit separantur.* Nã etsi amicitiæ sit conciliatrix sapiẽtia, eámque gignat, & singulari ratione contineat, ad sapientis tamen, cuius eximiæ sunt opes, amicitiam, sese plures conferunt. Est autem amicitia, non mediocre vitæ præsidium: illud autem à sapientia firmissimum sapientes quærunt, nec non & pecunia illud, etsi parum stabile comparat: sic & alia quæ nobis sunt emolumento, & vitam tutantur nostram, vtraque parat, sed ea, quæ ad nos è sapientia emanant, si in alteram lancem imponas, ita illa propendebit, vt terram & maria deprimat. Quia igitur ea, quæ ad vitæ cultum, & ad præsidio eam firmandam sunt necessaria, sapientia & pecunia nobis suppeditant, licèt pecuniæ longè multúmque sapientia præstet, inquit Salomon, *Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia.* Non enim pecuniam in statu hominis tuendo sapientiæ æqualem esse voluit, cùm ipse aliàs pecuniam, si ei sapientia non adsit, Prouerb. 17. & 18. inutilem prorsus esse asseruerit, *Quid*, inquiens, *prodest stulto habere diuitias, cùm sapientiam emere non possit?* Et, *non decent stultum diuitiæ.* Vox enim illa, *sicut*, non æqualitatem: Sed hominem tum sapientia, tum etiam pecunia, dignitatem suam tueri significat, quamobrem, inquit Hebræus, *quia in vmbra sapientiæ, & in vmbra argenti homo requiescit:* Quæ verba Chaldæus sic eleganter explicat. *Quemadmodum in vmbra sapientiæ custoditur homo, ita & in argenti vmbra eo tempore custoditur, quo ex eo stipem pauperibus erogat.*

Illud autem Salomon ampliùs sapientiæ tribuit, quòd, cùm nihil eo sit melius, aut præstabilius, nulla quantumuis sit maxima, poterit pecuniæ magnitudine parari, *Hoc*, inquit, *plus habet eruditio & sapientia, quòd vitam tribuit possessori suo.* Homo animo constat, & corpore, in quo mens principatum tenet, ne vt cæteræ animantes, quas Deus abiecit ad pastum viueret: Deum enim, qui ei mentem ad rerum scientiam, vitæque constantiam, aptissimam tribuit, oportet, in omni vitæ ratione imitari. Hoc autem in quo est hominis vita, & quo maximè à bestiis differt, nullæ opes præstare poterunt, cùm ipsæ sint infimæ, futiles & inanes, si illis ad virtutem sapientia non vtatur, quamobrem, Salomon, Prouerb. 18. *Accipite*, inquit, *disciplinam meam, & non pecuniam, doctrinam magis, quàm aurum eligite, melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari:* Cur autem terrenis rebus omnibus sapientiam anteponat, adiungit, *Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* Communi namque spiritu, cibo, & potione, vt cæteræ animantes alimur, sustentamur, & viuimus: ab iis tamen longissimè disiuncti sumus, quòd vitam consilio moderamur: id autem non nisi à sapientia proficiscitur. Quamobrem vitam moderatam, & constantem, non ex auro & argento, sed à moderatrice omnium

Sapien-

Sapientia, accipimus. Quòd igitur hanc, quæ homini congruit, vitam ab ea suscipimus, diuitiis illam prætulit. Ipsam verò hominibus magis fore salutarem, si opibus sit instructa, existimat, quod haud videtur cum doctrina Christiana consentire, quæ non solùm diuitiarum contemptionem, ac despicientiam laudat, sed ita suos instituit, vt absolutionem, & perfectionem optimi, quod elucet in homine, in eo potissimum esse putent, vt opes sic ad beneficentiam conferant, vt illis consumptis, ipsi inopes sint, & indigentes: *Si vis*, inquit Dominus, *perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus.* Matt. 19.

Hoc autem, si ad eam perfectionem pertinere existimes, quam in homine desideramus solitario, qui se totum rerum diuinarum contemplationi tradidit, ne quid eum ex terrena, mortalique natura, & caduca cōcretum, à diuinæ mentis contemplandæ studio auocet; & Salomonem de eo, qui à ciuili consuetudine non abhorret, orationem habuisse; is enim si sapiens sit, eò magis erit reipublicæ salutaris, quò maiores opes habuerit: quæro, cùm suos Christus. O. M. ad summi officij functionem informaret, quibus non reipublicæ alicuius gubernandæ, sed totius generis humani moderandi, & optimis moribus imbuendi, diuináque erudiendi disciplina, munus imposuit, cur eos sic alloquitur? *Nolite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniā in zonis vestris, non peram in via, nec duas tunicas, nec calciamenta, nec virgam.* Si igitur Sapientia in homine non solitario, eò plurimùm prodest, quò maioribus opibus est nixa, cur eos, quos ad totius mundi salutem, diuini spiritus muneribus cumulauit, rerum omnium indigentes esse voluit? Matt. 10.

Primùm quidem, ne hominum præsidio videretur Euangelium, tam longè latéque fuisse propagatum: nam si humanæ vitæ communis rationem sequi voluisset, maximis eos opibus muniuisset, quibus non solùm hostium à se impetus repellerent, sed eos etiam in suam ditionem redigerent. Verùm id non tantæ esset hominibus admirationi, vt in eo diuinum numen inesse arbitrarentur. Deinde, vt in illis summæ & perfectæ humanæ sapientiæ formam exprimeret, quæ à solo Deo tota pendeat, licèt diuitiarum inops, diuinis tamen donis exculta, hominibus sit maximè salutaris, iratum numen precibus placet, pacem deprecetur, & gratiam conciliet.

Cùm autem Salomon diuino Christi spiritu afflatus hunc librum scripserit, nihil profectò in eo poterit inueniri, quod minùs quàm oportet, cum sanctissimi illius numinis sententia congruat: rerum enim omnium indigentem sapientiam, regni Christi initium, sui effectricem, altricémque exigebat, vt quantum inter ipsum, & Salomonis, Assyriorum, & Romanorum imperium interesset, omnes, qui oculos non occluderent, facilè cernerent, illúdque nec humanis rationibus, nec terminis contineri. Sapientia igitur etsi rerum omnium præstantia excellat, sunt enim illius diuitiæ immortales, virtus eximia, & inuicta fortitudo: his tamen quæ sunt intus in animo, si externa bona adiiciantur, quis rogo in dubium reuocabit, quin ex ea in communi vita genus humanum plura, quæ oculis percipi possint, emolumenta percipiat? nam etsi, vt omni- Prou. 2. & 8. Sap. 8.

bus ipsa sit numeris absoluta, nullis sibi bonis externis sit opus, vt tamē humano sit generi vtilissima, illis oportet bonis muniri, quibus se ipsam ab improborum iniuriis, tueri possit, quos de immoderatè & intēperanter acta vita monuit, & ea, quæ reipublicæ perniciosa sunt, non solùm animo, & oratione notare, sed opibus à reipublicæ ceruice depellere. Sic enim fert hominis conditio, vt quamuis sapientiæ dignitatem suspiciat, eam tamen, qui sectari velit, vnus vel alter vix reperiri posSit: sensu enim mouemur, quem sapientia in iudicando repudiat, cùm Deum sibi ad imitandum proponat. Hac quidem vna re maximè suis Christus Dominus præsentiam suam declarauit, quòd pauci homines, rerum humanarum omnium indigentes, tot gentes, nationésque à sensibus ita reuocarint, vt his abiectis sapientiam, quæ bonis externis careat, toto pectore amplecterentur, eorúmque viuendi rationem summis laudibus efferrent, qui, vt magis sapientiæ vacent, externa hæc, quæ bona dicuntur, contemnunt, & se ipsos illis spoliant, *Ecce*, inquit ille, *ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoscetis ea, ponam in deserto viam, & in inuio flumina glorificabit me bestia agri, dracones, & struthiones.* Hanc autem perfectæ sapientiæ rationem, iis temporibus, quibus ipse humana indutus forma inter homines degeret, reseruauit.

Homo sapiētiam etsi suspicit, qui sectari velit, vix reperitur.

Isai. 43.

Quamobrem Salomon ea omissa, aliam, quæ tūc maximè erat in laude, sapientiæ formam exprimit, quæ diuitiis abundans, plusquam si illis careat, hominibus prodest, adeo vt iam in prouerbij consuetudinem venerit, beatos eos esse populos, quos philosophi moderentur, & vt sapiēs inquit, stabilimentum populi est: quod in Dauide, Iosaphat, & Ezechia, antiquitatis sapientisSimis viris, diuinæ litteræ testantur. Hoc autem genus sapientiæ adeo præclarum est, & excellens, vt sit rarisSimum: vnde illud est ortum, quod Ecclesiasticus eleganter vsurpat. ***Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia, & thesauris, quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua: quis probatus est in illo, & perfectus est, & erit illi gloria æterna? qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit.*** Opes enim, & potentiam consequitur impunitas peccandi: ea autē proposita, effrenatus quidam furor alitur, & libido se proiicit. Quamobrem ***Amen dico vobis***, inquit Dominus, ***quia diues, difficilè intrabit in regnum cœlorum, & iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.*** Diuitiæ nāque nisi præsit illis sapientia, ad scelus & flagitium impellunt, & diuites vt sceleratiores sint pauperibus, efficiunt, ea enim, quæ dum opes tenues habebant, aggredi verebantur, diuitiis affluentes, & fortunis locupletati, perficiunt: quia si naturæ corruptela, & moribus consuetudine deprauatis, ad ea patranda propensi erant, conuulsis iam repagulis, diuitiarum magnitudine omnia iura peruertunt. Si verò sapientia coniuncta sit diuitiis, erunt illæ quidem ad beneficentiam, & ad reipublicæ salutem constituendam duces, vt vix aliquid magis reipublicæ salutare inueniri posSit. Omnia enim Deus ita condidit, vt illis ad iustitiam, & honestatem homines vterentur: Hoc autem officij munere fungi haud poterunt, si diuinę sapientiæ studiū negle-

Sap. 6.

Eccl. 31.

Matth. 19.

glexerint, si verò eam toto pectore amplectantur, præclarè quidem illud persoluent.

Est autem huius officij ratio, ea quam in libro sapientiæ, his verbis luculenter sapiens ostendit, *sapientia constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta est, vt disponat orbem terrarum in æquitate, & iustitia & in directione cordis, iudicium iudicet.* Quia verò sapiens si diues sit, & potens, hoc iustitiæ colendæ, iurisque inter homines æquabilis statuendi, præstandique officium exequitur, Salomon vtiliorem esse hominibus sapientiam, si diuitiis augeatur, asseruit, nec tamen singularem illius, qua res omnes superat, dignitatem prætermisit, inquirens, *Hoc autem plus habet & eruditio & sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo.* Sap. 9.

*Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit.*

De sapiente monitore, quàm sit illius admonitio salutaris Salomon disseruit: Sapientiæ quoque, vt hominibus maiori esse possit emolumēto, pecuniam adiunxit. Ne igitur sapiens, dū alios de officio admonet, plusquam oportet, sibi arroget, & diues in diuitiis menteminfigat, & id, quod illæ præstare non possunt, earum magnitudine se consecuturum speret, *Considera*, inquit, *opera Dei, quòd nemo posit corrigere, quem ille despexerit.* Quia scilicet naturæ quælibet à Deo suis circunscriptæ terminis coërcentur, neque pecuniæ referamus, quod sit sapientiæ tribuendum, & quod à Deo accepimus, id nobis arrogemus.

Hanc enim Dei *despicientiā*, de eo Chaldæus interpretatur, qui sit corpore deformatus: neque quidem immeritò, cùm verbū Hebræum עות latinè possimus reddere, *peruertere*, quod ipsum latinū interpretem hoc in libro fecisse vidimus, cùm inquit, *Peruersi difficilè corriguntur.* Is autem qui peruersis est membris, vt cæcus, & claudus, nulla hominis alicuius ope consequi poterit, vt sibi luminis non obsit cæcitas, aut claudicatio nō sit deformis, cæcus enim vt videat, & claudus ne claudicet, nulla nisi præpotentis Dei virtute fieri potest. Si igitur harum rerum natura immutari non potest, nec quidem is, qui cæcus est animo, licèt amplissimæ pecuniæ sit dominus, diuinæ sapientiæ poterit lumen aspicere: illud enim non aurum, & argentum, sed ipse Deus hominū mentibus præfert, quas virtute fulcit, vt spretis sensibus eum vitæ ducem consequantur. Ecclef 1.

Cùm ergo ille harū rerū, quas oculis cernimus, naturas ita cōdiderit, vt certis astrictæ legibus vltra progredi non possint, quàm sit ab eo definitū, quæ erit illa hominū tam singularis insania, vt quod soli Deo sit tribuēdū, ad pecunię magnitudinē referāt? Hoc autē, quod interpres Chaldæus à Salomone hac oratione significari existimat, Septuaginta quoque & duo interpretes vidētur sensisse, *Vide*, inquiūt, *opera Dei quoniā quis poterit, vt ornet, quē vtique Deus peruerterit eū?* Eas enim Deus rerū naturas, quas ad ima depressit, nec vt eas, quæ præstātes sunt, ornauit, *despexisse* dicitur, vt est illud Dauidis, cū à Deo promissū exigebat, cuius ille munus, non ea cura videbatur conficere, qua cætera promissa Hebræis soluerat. *Tu*

*verò*

*verò*, inquit, *repulisti: & despexisti*: quam nos in paraphrasi explicandi rationem sequimur.

Iam verò de animi turpificati prauitate deformitatéque interpretemur. De homine igitur, qui intemperanter viuit, quid sentiat Salomon ostendit, eum nempe nisi Deus ipse à scelere reuocet, nullo dicendi artificio, nec vllis sapientis monitis, à turpi illa, & scelerata viuendi ratione posse ad virtutis studium deduci. Non enim virtus tradi oratione potest, cuius laus omnis in actione consistit: eam namque assiduitas agendi secundùm rectam rationem, & consuetudo gignit. Is autem qui rationi obtemperans est, Deum sequi, à priscis illis hominibus dicebatur, qui natura duce philosophiæ studebant: rationem enim rectam, & constantem, supra hominem putabant, Deóque tribuebant. Nos verò quibus diuinæ splendor sapientiæ lucet, id non plurimis, vt illi, verbis disserimus, sed toto pectore prædicamus, & confitemur, quos Paulus his verbis, rem hanc grauissimam docet: *fiduciam talem habemus, per Christum, ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Si autem id, quod rectum est, nec animo complecti possumus, nisi numen diuinum discussa priùs mentis caligine, lumen præferat, num in tanta naturæ, post Adami lapsum, corruptela, morúmque prauitate, vt rectè agere & obedire rationi assuescamus, propriis viribus assequemur? At quæ honesta sunt, agendi consuetudinem; virtus consequitur: consuetudo autem exercitatione, non natura gignitur, his enim, quæ nobis natura eripuit, nos minimè assuefacimus, non enim lapis descendere assuescit.

Virtutis laus omnis in actione consistit. Arist. 2. Eth. 1. Plut. de aud. poe. Cic. de nat. De. Qui rationi obtemperat, Deum sequi dicitur. 2. Cor. 3.

Cùm igitur sensus tenebras offundat; insita in natura libido ad flagitium impellat, voluptas alliciat, num ratio nullo Dei præsidio munita, poterit aduersus tot hostium immanium impetus firma consistere? luculenter id quidem Paulus explicat, cùm ita de re hac ad Romanos scribit. *Nam prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus, vita & pax, quoniam sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest, qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Nemo enim insitam hanc in carne libidinem propriis poterit viribus coërcere, quin eò prorumpat, vt ius humanum, diuinúmque violet*. Etsi namque in hominum animis sunt quasi virtutum igniculi, & semina, quemadmodum Paulus Romanos docet, ea tamen nisi spiritus Dei calore suo foueat, nihil quod vera sit laude dignum; ex sese fundent; eos enim naturæ, corruptelæ, & consuetudinis æstus absorbet, & ad peccandum trahit, *Video*, inquit Paulus, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*.

Rom. 8. Rom. 7. Rom. 7.

Cùm igitur ea sit hominis conditio, vt quamuis eum mens, & ratio ad decorum honestúmque excitent, ipse libidine ductus; sibi potius esse ducat, sensuum iudicio vitam moderari, quid ei sapientis admonitio, ad decus & honestatem adiumenti afferet? Illud quidem, quod lex vetus Hebræis attulerat: ea enim illos à peccati tyrannide minimè vindicarat, sed eis peccati scientiam tradidit, *Per legem* enim, inquit, Paulus, *cognitio peccati*. Nam lex probi, diligentísque pædagogi officio funge-

Rom. 3. Gal. 3.

fungebatur, cuius non mediocres sibi partes monitor suscipit, peccati enim turpitudinem, & virtutis decus eximium, ei, quem admonet, ante oculos proponit: sed in aures quidem orationem, non autem in animum, virtutem infundit.

Si igitur sapiens in eo, quem admonet, virtutem non gignit, nec ipse, qui in officio deliquerat, ad eam consequẽdam viribus valebat: Non sibi sapiens, quòd monitis suis aliquem ad virtutis studium adduxerit, laudem tribuat, nec qui à turpi viuendi ratione sese ad decus, & honestatem seuocarit, id sibi imprudenter arroget, *non* enim, vt asserit Paulus, *qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: gratia autem Dei sum id quod sum.* Illud autem quàm eleganter Paulus, ne ipse arbitrij libertatem hominibus adimere videretur, adiungit; *Abundantiùs illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Deus autem cùm omnibus quæ condidit, beneuolentissimus sit, non odio dicitur aliquem despicere, nec quòd illius sibi salus curæ non sit: *Diligis*, inquit sapiens, *omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, neque enim odiẽs aliquid constituisti, aut fecisti, parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* 1. Cor. 3. 1. Cor 3. Sap. 11.

Quemadmodum verò Deus, etsi Pharao ad illius monita obduruisset, admonendi eum studium non omisit, donec perfidiæ scelus cumularet, ita & reliquos, qui scelera sceleribus addunt, patrio animo sustinet, vt resipiscant. Verùm cùm peccatorum indies peccatis fit accessio, vt cumulus mente diuina præfinitus accedat, iuris ratio postulat, vt numen diuinum in sceleratos animaduertat. Vnde illud est, *Nec dum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.* Abrahamo, eo in loco Deus fore pollicebatur, vt quadringentos post annos, eam, in qua tunc degebat tellurem, regionémque illius soboles occuparet: id autem non nisi Amorrhæis, qui eam incolebant, inde pulsis, euenturum erat, nam, vt sapiens ad Deum habens orationem, inquit, *Cùm sis iustus iustè omnia disponis, ipsam quoque qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas à tua virtute, virtus enim tua, iustitia initium est, & ob hoc, quòd dominus omnium es, omnibus te parere facis, tu autem dominator virtutis cũ tranquillitate iùdicas, & cum magna reuerentia disponis nos*, quoniam *das locum* in peccatis *pænitentiæ.* Opus erat, Amorrhæos scelerum suorum summam cumulare, vt eos summo supplicio afficeret. Dum igitur Dei monitis, etsi illis non obtemperet, aures hominis patent, vt more hominum loquar, spes eum tenet, illius ad virtutis studium, conuersionis. Verùm cùm aures ei claudit, secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter: tunc in peccato, quam retinet contumaciam, & perfidiam complet. Gen. 15. Sap 12. Ps. 17.

Hac autem tanta animi prauitate est consequens, à Deo illum despici, illis nempe nudari præsidiis, quæ toties ipse neglexerat, etsi communi, quo res omnes seruantur, & homines ad honestatem excitantur, auxilio, orbari eum infinita bonitas nolit. *Hierusalem*, inquit Dominus, *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub* Matth. 23.

*alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Templum nempe, quo iure optimo, omnibus nationibus excellebant, polluetur; religio, cuius illud sedes erat, & domicilium, in eo prostrata & afflicta erit, quia in prophetas, contumaces ab initio suæ libertatis extiterunt, & insitum in Christo numen, tot támque admirandis signis ostensum, & eos ad se benignè alliciens spernebant. *Quis est hic,* inquit ille, apud
Isai. 50. Isaiam, *liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.* Quem igitur ob contumaciam in scelere repudiat, hunc quoque despicit: despectum verò quis sapiens, quis opulentus poterit, in aliquo virtutis gradu collocare, nisi ipse, *qui*, vt inquit
Rom. 4. Paulus, *viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt?*

*In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue, sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias.*

Non mediocre est munus sapientiæ, in secundis rebus moderationem adhibere: non cuiuslibet, sed summi hominis est, in voluptatibus ita seipsum temperare, vt ab officio non discedat, hoc autem consequendi rationem Salomon ostendit. Cùm Deus hæc infima, quæ oculis cernuntur, ad humanæ vitæ commoditatem condiderit, æquum, & rationi est consentaneum, vt homo ex iis omnibus, eas, quæ superiores animi partes à virtute non detorquent, voluptates percipiat: oportet enim ab eo delectum teneri, vt quæ reiiciendæ sint, videat. Deinde, quàm ipsæ celeriter effluant, & secundæ res quàm in breui commutentur, opus est diligentiùs contemplari, ne illis efferatur: sic enim in secundis rebus moderatus erit, & temperans. Præclarè quidem Ecclesia-
Eccl. 11. sticus, *Ne dicas,* inquit, *sufficiens mihi sum, & quid ex hoc pessimabor? in die bonorum, ne immemor sis malorum, & in die malorum, ne immemor sis bonorum.*

*In die* igitur *bona,* inquit Salomon, *fruere bonis, & malam diem præcaue.* Hæc autem cogitatio, secundis rebus aduersas imminere, animum, ne res prosperæ eum insolentem faciant, moderatur: sic enim eum temperat, vt illis quasi breui hinc commigraturus, vtatur, & ea, quæ impendent mala, minimè perhorrescat: eadem est nanque omnium, quæ pos-
Eccl 18. sunt homini accidere, inconstantia, & varietas: *A manè,* inquit Ecclesia-
1. Cor. 7. sticus, *vsque ad vesperam immutabitur tempus.* Quamobrem Paulus Corinthios admonet, vt *qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emũt, tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi.* Hoc autem Salomon etsi in secundis rebus, vt moderati simus, nobis opus esse affirmet, ea tamen præcipuè ratione nos ad moderationem hortatur, quia si insolenter efferamur, ab eo statu nos deiici, & afflictari calamitatibus, Dei iudicio merebimur.

Tanti

Tanti enim ſceleris, ipſe rerum omnium moderator, & princeps, vindex exiſtit.

Dum igitur omnia tibi ex ſententia ſuccedunt, rerum humanarum inconſtantiam non ſolùm cogita, ſed ita illis vtere, vt eas ad beneficentiam conferas, ſingularíque ſtudio caueas, ne tuis ſceleribus Dei numen offenſum in te animaduertat, ſtatúmque tuum inuectis incommodis peruertat. Secundæ enim res mentem ſæpe eripiunt, & tenebras offundunt iis, quos ipſæ efferunt, hos autem ea circunfuſos caligine, tum diuini iudicij obliuio capit, *Laudatur*, inquit Dauid, *peccator in deſiderijs animæ ſuæ: & iniquus benedicetur, non eſt Deus in conſpectu eius:* tum eos ita amentia rapit, vt ſibi ſtabilitatem, & conſtantiam rerum ſuarum polliceri, non dubitent, *Dixit*, inquit ille, *in corde ſuo, non mouebor à generatione in generationem, ſine malo.* Hoc autem eſt illud neceſſariò conſequens, vt Deum, ad puniendum ingrati animi ſcelus, excitent, cùm id ſibi tribuant, quod benignè à Deo acceperant, & ea, quæ illis ad beneficentiam, & hominum ſalutem largè donauerat, ipſi ad dedecus, & turpitudinem, & ad hominum perniciem conferant. Pſalm. 10.

Eleganter quidem hoc his verſibus Dauid teſtatur, cùm in Doëg inuehitur, *Propterea Deus deſtruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium; videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent, Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, & praualuit in vanitate ſua.* Hoc igitur quod Doëg futurum, vir ſanctiſſimus prædixit, ne, dum muneribus diuinis abutimur, nobis accidat, hortatur Salomon, vt in ſecundis rebus, non ſolùm earum ſummam inconſtantiam nobis ante oculos proponamus, ſed id maximè in animo infigamus, ſanctiſſimo Dei iudicio, cùm ſecunda, tum etiam aduerſa nobis accidere: hac enim doctrina inſtituti, vitam ad diuinæ legis normam dirigemus, ſi in iis, quibus abundamus bonis, diutius verſari concupiſcimus. Pſalm. 51.

*In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue, ſicut enim hanc, ſic & illam fecit Deus.* Cùm enim genus hominum ipſe condiderit, & ad omnem officij rationem informarit, æquum fuit, & conſentaneum, vt illud, ſi quid in officio delinquit, puniat, ne ſine lege, ſine imperio, belluarum more vagetur. *Dominus*, inquit Dauid, *de cœlo proſpexit ſuper filios hominum vt videat ſi eſt intelligens.* Non autem fruſtra Deum in res noſtras & actiones intueri, idem ſapiens, hac quam Deo tribuit, oratione explicat, *Nónne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis?* *Dies* autem *bona*, & *mala* temporum varietatem, cùm vel illa nobis ſint triſtia, vel læta, ſignificat, vt eſt illud, *Cur timebo in die mala*: & *in die mala liberabit eum Dominus. Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Non defrauderis à die bono.* Hæc itaq; ſiue mala quæ in nos incurrunt, ſiue bona, quæ humanæ vitæ conditionẽ, non ſolùm tolerabiliorẽ faciunt, ſed iucundã reddunt, à Deo, vel in cõmiſſi ſceleris pœnã, vel in virtutis præmiũ, ad ſalutem ſemper animorũ, hominibus conferũtur: *Dominus dedit*, inquit Iob, *Dominus abſtulit*; Eccleſiaſticus idẽ quoque aſſerit, *bona* inquiens, *& mala, vita & mors, paupertas, & honeſtas à Deo ſunt.* Pſalm. 13. Pſ. 48. & 40. Eccl. 14. Iob. Eccl. 11.

*spera in Domino*, inquit Dauid, *& fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris*
Psalm. 36. *in diuitijs eius: &, qui malignantur, exterminabuntur, quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iustos Dominus.*

Quia verò non casu, sed infinita Dei prouidentia, non solùm hominibus vniuersis, sed etiam singulis consulitur, & cuiusque nostrûm vita, bonis & malis temperatur: vt in rebus secundis Salomon nobis temperantiam esse singulari studio amplectendam persuadeat, bonis his, quæ non sunt aliquo scelere contaminata, frui nobis sapienter permittit, ita tamen vt Dei, à quo illa nobis tum benignè conferuntur, tum etiam iure, & meritò auferuntur, numen & sanctitatem, mentis nostræ oculis proponamus, eósque nunquam ab illo seuocemus. Ideo nanque, vt diximus, his verbis nos admonet, *In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue, sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus.* Beneuolentissimus enim rerum omnium princeps Deus, non ideo genus hominum
Sap. 11. condidit, vt malis eos oneraret, *Diligis enim*, inquit sapiens, *omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Diem* verò *malam* ideo fecisse dicitur, quia, vt Ecclesiastici
Eccl. 15. verbis vtar; *Multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermißione: oculi Domini ad timentes eum, & ipse agnoscit omnem operam hominis, nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi; non enim*
Luc. 1. *concupiscit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium.* Quia igitur sontes punit, & dispergit superbos mente cordis sui, & deponit potentes de sede, illísque loco supplicij, ea, quibus delectantur, aufert, ac diebus, quos lætissimos tulerant, consumptis, sanctissimo illius iudicio, acerbi & calamitosi, illucescunt, *malam* ipse *diem* facere, à Salomone dicitur.

Quàm verò sanctè, quàm incorruptè, quàm integrè, id officij munus
Psalm. 17. præstet, luculenter Dauid hac oratione testatur: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente, innocens eris, & cum electo & electus eris, & cum peruerso peruerteris.* Sic enim numinis sui vim in sontes aperit, vt eam nostrorum, quasi norma, vt ita dicam, peccatorum, dirigat.

Quamobrem adiungit Salomon, *vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias.* Verùm, si improbos non solùm opibus confirmat, sed in eos scelera sceleribus addentes, vel raró animaduertit, vel seró illis supplicium imponit, cur de illius in sceleratos puniendo, vel tarditate, & procrastinatione, vel de scelerum illis data impunitate, queri vir iustus
Psalm. 72. non poterit? *Mei autem*, inquit Dauid, *pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns: Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias, & dixi, Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas.*

Hîc meritò quidem, eorum qui sanctitatis laude excellunt, animis iniectus scrupulus, & dubitatio, eos sæpenumerò pungit, & stimulat. At ipse vir diuinus, Dei in sontes animaduersionem prædicat, & iustitiam
Psalm. 10. summis laudibus effert, *Dominus*, inquit, *interrogat iustum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam, pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur; & spiritus procellarum, pars calicis eorum, quoniã iustus Dominus, & iustitias dilexit; æquitatem vidit vultus eius.* Hunc autem, qui Dauidem, &
Ieremiam,

Ieremiam, & alios, qui sanctitate floruerunt, pupugit, vt ex animis nostris scrupulum euellam, nos primùm ad ea quæ viri sapientes, qui legibus reipublicas temperarunt, singulari cura & studio sanxerunt, reuoco: nam ab vno quoque nostrũ libenter audirem, cur Ephori Lacedæmone cùm primum magistratum gerere incipiebant, nequis mystacem aleret, cauebant edicto: Romani, iis qui libertatem ab illis accipiebant, cur stipulam imponebant; & Solon cur capite sanxit, si quis in seditione non alterutrius partis esset? Si horum rationem consequi non possumus, & hæc, quæ sunt Lacedæmonibus lege præscripta, Atheniensibus, & Romanis, ad reipublicæ salutem, nullius visa sunt ponderis, Num Dei in puniendo tarditas, in locupletando iudiciũ, quorsum spectet, & euadat, ingenij humani viribus assequi poterimus? *O altitudo*, inquit Paulus, *diuitiarum sapientiæ, & scientia Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius; quis enim nouit sensũ Domini, aut quis consiliarius eius fuit?*

Ierem. 12. Plut. l. de iis, qui sero à Num. p. Rom 11.

Suiipsius similitudinem secutus Deus, hominem finxit, vnde ea, quæ inter summum, & infimum esse poterat, fuit cum Deo homini similitudo: ea autem non in corpore, cùm ille sit ab omni concretione liber, sed in animo extat. Ad diuinæ igitur mentis similitudinem, sapientiæ & virtutum, ei cupiditas, à Deo ingeneratur, & facultates suppeditantur, quibus earum possit omnium ornamenta consequi: ne autem ei ad decus & honestatem aliquid desit, viæ ducem & ipse se rerum omnium conditor præbet. Cùm igitur in sceleribus diuitum vindicandis, ipse oscitans esse iudex videtur, vt est illud, *Exurge, quare obdormis Domine:* nos ad benignitatem, & mansuetudinem instituit. *O quàm bonus*, inquit sapiens, *& suauis est, Domine, spiritus tuus in omnibus ideóque eos, qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, vt relicta malitia, credant in te Domine: docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet iustum esse & humanum.*

Gen. 2. Psal. 43. Sap. 12.

Hæc igitur Dei in puniendo tarditas, est salutaris quædam institutio, & disciplina, qua in puniendo, ad Dei sectanda vestigia erudimur. Quẽadmodum enim dum solem diuino munere, quasi lumen oriri cernimus, vt quàm maximè cœlum, tam improbis, quàm probis hominibus colluceat, ad eam in genus hominum charitatem excitamur, qua non solùm eos, qui beneuoli nobis sunt, sed eos, qui nos odio habent, diligamus: ita cùm Deum tardè punientem conspicimus, mansuetudinem amplectimur. Hæc quoque salutaris & diuina tarditas, spem veniæ delictorum assequendæ confirmat; *& bona*, inquit sapiens, *spei fecisti filios tuos, quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ.* Etsi verò debitas sceleratis pœnas differat, quæ oculis hominum percipi possint, non mediocris tamen in illis, sceleris, & conscientiæ pœna remanet, ita enim ad decus & honestatem, hominis naturam condidit, vt scelus tristis sequatur pœna, quæ lacerat animum, exest, planéque conficit; Vnde meritò quidem natum est id, quod à multis sæpissime vsurpatur, nec Deo, nec homine opus esse, vt scelerati meritas pœnas soluant, eas enim grauissimas luunt conscientiæ angore, & ipsius sceleris cruciatu. Hoc autem non solùm

Matt. 5. Sap. 12.

Christiani homines, qui sanctissima sunt disciplina instituti, sed ij etiam, qui multarum sunt opinionum erroribus imbuti, sentiunt, & tragœdiæ plenæ huiuscemodi sceleratorum pœnis, declarant.

Eodem accedit, quòd diuinæ iustitiæ splendor, in hac puniendi tarditate, hominibus lucet: nam cùm inter Deum & hominem nulla possit esse iustitia, quæ in æqualitate consistat, non enim infinitum, ad id, quod certis est circunscriptum regionibus, proportionem habet: in eo maximè, in quo patris erga filium, illius iustitia splendescit, & quodammodo

Matth.25. excolitur, *Vnus est enim*, inquit Dominus, *pater vester, qui in cœlis est.* At pa-

Malac. 2. tris in filios, summa est, natura duce, benignitas, quæ in recta illorum educatione, & disciplina consistit, *Qui parcit virgæ*, inquit Salomon, *odit fi-*

Prouerb. 23. *lium suum*, qui autem diligit illum, instanter erudit. Hæc autem quousque

Prouerb. 19. que debeat filiorum institutio progredi, idem luculenter explicat: *Erudi*, inquiens, *filium tuum ne desperes, ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam.* Dum scilicet filius ad summum impudentiæ, & audaciæ non peruenit, vult sapiens, vt pater in eo erudiendo operam ponat, & seueritatem in filiorum correctione, multis condimentis humanitatis mitiget, ne vltra quàm oportet progrediatur. Talis enim esse debet patrius animus in liberos, vt eis non dignum culpa commissi criminis, supplicium imponat, sed ita puniat, & castiget, vt resipiscant, non autem vt meritas pœnas sustineant. Hanc autem Dei in genus humanum, patriam charitatem, sæpe sæpius horrendis prodigiis, & signis testatam, gens Hebræo-

Sap.16. rum sensit. *Sed non in perpetuum*, inquit sapiens, cùm de hac re orationem haberet, *ira tua permansit, sed ad correptionem in breui turbati sunt, signum habentes salutis, ad commemorationem mandati legis tuæ; qui enim conuersus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium saluatorem.*

Hæc igitur Dei in puniendo tarditas, illius iustitiam, cum infinita in nos benignitate coniunctam, summis esse laudibus prædicandam, ho-

Rom.2. minibus ostendit, *Ignoras*, inquit Paulus, *quoniam benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secũdùm opera eius.* Cũ ergo nos opibus auget, benignè facit: cùm verò eas aufert, iustitiæ, & benignitatis illi coniũctæ munus exequitur. Quamobrẽ meritò quidẽ Salomõ, inquit, *Vt non inueniat homo, cõtra eũ iustas querimonias.*

*Hæc quoque vidi in rebus vanitatis meæ, iustus periit in iustitia sua, & impius multo viuit tempore in malitia sua.*

Cùm iustitia Dei benignitati coniuncta, hæc omnia, quæ vel in conspectum cadunt, vel aciem humani ingenij fugiunt, moderetur, & infinita virtute cõtineat: quid est in causa, vt vir bonus, dum in virtutis studium toto animo incũbit, & cæteris est hominibus beneficus, & salutaris, è vita cogatur discedere, is verò, qui sit impius, hoc est, qui legem à Deo in animis ingeneratam, quæ ad rectè faciendum impellit, & à delicto auocat, & quæ idem iubet, scriptam negligit, diutissimè viuat? Si diu in hac vita manere, optandum esset potiùs, quàm ex ea quàmprimũ excedere, improborum, quidem vita longior, de Deo ansam ad querendũ hominibus daret. Verùm, cùm hoc in loco Salomõ, vitam suam maximis

opibus affluentem, *dies vanitatis* appellet, quis è vita emitti, non in beneficij loco reponat? præsertim cùm hinc, vbi malis innumeris vrgemur, & mors semper impendet, ad eam vitam, quæ nunquam sit interitura, migramus? De hac in qua sumus, eleganter quidẽ Iob, *Homo*, inquit, *natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* De ea verò quæ perpetuò durat, déque illius secundùm cuiusque merita, quasi speciebus, & conditione dispari, in libro, qui sapientia inscribitur, sapiens luculenter disserit. Iob 14. Sap. 5.

Cùm ergo mors sit vitæ quædam commutatio, ea quidem potiùs est expetẽda, quia perpetuæ sit vitæ initium, & huiusce mortalis, & miseræ vitæ finis: & optimè cum iis agitur, qui pietatem & virtutẽ singulari studio colunt, quando ex hac vita, in eam, quæ bonis omnibus affluit iubẽtur excedere. Verùm si meritò & iure optimo exiguum sit iustorum vitæ curriculũ, & breue, cur improbi tandiu viuũt cùm Dei numen offendãt, & ius humanæ societatis violẽt? De re hac cur nemo cum Deo queri poterit? Salomoni satis visum fuit, se omnium prouisorem, & moderatorẽ Deũ esse dixisse, vt non sine causa, bonorũ vita breuior, malorũ longior esse videatur, *Virtus* enim *tua*, inquit, sapiens, *iustitia initium est.* Quamobrem cùm siue malis, siue bonis afficimur, id Deo sit referendum, ipse verò sit totius iustitiæ fons & origo, nemo poterit de immatura: vt nobis sæpe videtur, bonorum morte, nec de malorum vita lõgiori queri. Præterea hoc idem, quod hominum animos, de Deo cùm disserunt, vehementer torquet, illius erga hominum genus benignitatem & iustitiam clariùs ostendit: nam benignitas iustitiam ab immanitate distinguit, eámque patefacit hominibus & illustrat. Sap. 12.

Cùm igitur ad eam vitam, quæ nullum vnquam sit finem habitura Deus hominẽ virtutis laude præstantẽ vocat, & traducit, ne improborũ fraudibus captus, in scelus, & flagitium incidat, quo totã vitam polluat, est illi mors potiùs clementer oblata, quàm vita inclementer erepta, vt sapiens his verbis affirmat, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut fictio deciperet animam illius.* Bonorũ quoque é vita discessu improbos punit, cùm illis extinctis, nemo sit, qui eos virtutis exemplo, à scelere auocet, ad virtutis studium monitis, & oratione excitet, & numen diuinum precibus placet, ne de illorũ sceleribus supplicium sumat. Præclarè quidem Isaias, rem totam his verbis explicat, *Iustus perit, & non est, qui recogitet in corde suo, & viri misericordiæ colligũtur, quia non est, qui intelligat: à facie enim malitiæ collectus est iustus, veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulauit in directione sua.* Nihil profectò vir bonus à Deo magis optaret, quàm ab huius mortalis vitæ miseriis vindicari, & placidissima pace quæ eripi nõ possit, perfrui, requietẽq; plenã sũmæ oblectationis habere. Ei igitur, quia è carcere corporis emissꝰ, bonis omnib. afflųẽs viuat, erit gratulãdũ. Sap. 4. Isai. 57.

Verùm improbos, quibus longiorẽ Deus vitam tribuit, benignè tolerat, vt resipiscant, & vt ipse ius æquũ humanæ naturæ imbecillitati præstet; *Est* enim, vt inquit Paulus, *Deus verax, omnis autẽ homo mẽdax, sicut scriptũ est, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaueris.* Dum enim eis non statim vt scelus committunt, supplicium imponit, & vitam eripit Rom. 3.

sed

ſed eam longiorem illis tribuit, clementiam ſuam in genus hominum oſtendit,& ſeueritatem,quam cùm oportet,in ſceleribus eorũ vindicãdis adhibet, ab omni conuitio tuetur, *Deus*,inquit Paulus,*volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, aptata in interitum.* Hoc etiam infinitæ clementiæ ſuæ opere, dum improbos diu viuere permittit, eoſdem punit, dum ſibi ipſi fraudes moliuntur, & iniuriam inferunt; & eos, qui ad virtutis perfectionem nituntur,eorundem opera inſtituit,& erudit.

Rom.9.

Cùm igitur totum hunc mundum,Dei iuriſdictione, ita ſuſtineri,fatendum ſit,vt nec paſſer,niſi eo volente,in terram decidat,& ipſe ſit iuſtitiæ origo,quæcunque permittit, ſummo id iudicio facit,& ſingulari ordine, & momento quaſi quodam, omnia diſpenſat, atque diſponit. Quamobrem Salomon adiungit.

Matth.10.

*Noli eſſe iuſtus multùm:neque plus ſapias quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.*

Multùm is eſt iuſtus, qui in Dei opera inquirit, an ius in illis ſeruet: vt ſi quis virtutis laude præſtans,ante ſenectutem è vita diſcedat, num id iure fiat, in dubium vocet. Eſt enim virtus certis circunſcripta terminis,vltra quos vitium erit progredi. Iuſtitiæ vis in tribuendo vnicuique,quod ſuum eſt, tota conſiſtit: mens autem humana,cùm Dei iudicium ſequendum ſibi eſſe ſtatuit, iuſtitiam mirificè colit:cùm verò in diuinis operibus,iudicium ſuum adhibet, & vt ea probet, ſuis ponderibus examinat,in ea,qua nulla poteſt eſſe capitalior,eſt iniuſtitia. Ne igitur dum nimiùm iuſti eſſe cupimus, iniuſti plurimùm ſimus admonet Salomon,vt cùm diuitiis quoſdam, qui ſceleribus ſunt cooperti,augeri videamus, & vita longiori frui, etſi alios, qui virtutis ſtudio flagrant, paupertas opprimat,& immatura mors illis accidat,an iuſtè, vel iniuſtè id fiat,ad mentis noſtræ rationem,minimè exquiramus.

*Neque plus ſapias quàm neceſſe eſt.* Ille pluſquam neceſſe eſt ſapit, cùm nihil ſit in ſapientia nimis, qui adeo ſit amens, vt non dubitet, in Dei operibus,hoc eſſe potiùs agendum, quàm illud, decernere, vt ſi de vita iuſtorum, & iniuſtorum ſermo incidat,hos diu viuere, haud oportere dicat,illos autem è vita exceſſiſſe,rationi fuiſſe minimè conſentaneum.

*Ne obſtupeſcas.* Sæpe is,qui ſapiens eſt,rerum diuinarum, quas ſtudioſè contemplatur,magnitudine ſtupet,nam,vt inquit Iob,*Conſiderans cum timore ſolicitor.* Is autem qui non contemplator, ſed eſt operum diuinorum æſtimator, & iudex, nullo numinis timore, ita ſapientiam ſibi arrogat, vt obſtupefacta ratio, vlteriùs quàm ſenſus deducunt progredi non poſſit, *Euanuerunt*,inquit Paulus, *in cogitationibus ſuis,& obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt.* Cùm enim à Dei timore, vt Dauid & Salomon teſtantur, ſapientia initium ducat, qui Deum non metuit, ſapiens eſſe non poteſt,& qui de illius ſapientia, & iudicio aliquid derogat, ipſe ſibi tenebras offundit, & perniciẽ affert. Verbum enim Hebræũ non ſolùm *obſtupeſcere*, ſed & *ſolo æquare* ſignificat. Hanc huius loci explicandi rationẽ,etſi probemus, illã tamen

Iob 23.
Rom.1.
Pſalm.110.
Prouerb.1.

tamen non reijcimus, quæ nos in iudicando, de retinenda clementia & mansuetudine, admonet. Cùm enim sermo de improborum vita longiori incidisset, quam illis Deus, vt à scelere se ad virtutis studium reuocent, clementer tribuit, illius profectò clementiam vt imitaremur; res ipsa hortari videbatur. Quamobrem Salomon, *Noli*, inquit, *esse iustus multùm*. Ne, cùm sanctissimus iudex, ita insontes puniendo, seueritatem adhibet, vt clementiam sibi retinendam esse putet, homines crudeliter in homines animaduertant: & summo iure si in alios agant, iustitiæ munus præclarè se præstitisse existiment. Nam iustitiæ splendor, & dignitas in Dei imitatione consistit, cuius similitudinem, si non aliquam illi in iudicando arripiant, à iustitiæ laude, quam sibi consequendam proponunt, longè aberrabunt. Illud etiam, *Summum ius, summa iniuria*, tritum est vetustate pro- Matth.18.
uerbium. Cùm Petrum ad Ecclesiam gubernandam, Christus institueret, à Rege qui seruo debita maxima remisit, sumptam similitudinem adiunxit, & serui improbitatem damnauit, quia cum alio eiusdem conditionis seruo, summo iure agebat, *Serue nequam*, inquit ille, *omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit, & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?*

Non solùm autem cùm iure agitur, sed in omni vita est illud omni studio retinendum, ne nimis nos iustos, aliorum mores reprehendendo, haberi cupiamus, cùm ipsi simus sceleribus affines, *Propter quod*, inquit Pau- Rom.2.
lus, *inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas, in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas. Tu quis es*, inquit ipse, *qui iu-* Rom.14.
*dicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit; stabit autem, potens est enim Deus statuere illum.*

*Neque plus sapias, quàm necesse est, ne obstupescas.* Plusquàm oportet ille sapit, qui aliis iniuriam, vel calumnia, vel calida & malitiosa iuris interpretatione infert: & is, qui in aliorum moribus, si quid sit offensionis, vrget, & consectatur. Is quidem obstupescit; extinctis enim quodammodo sensibus, etsi in aliorum moribus inquirendis sit curiosus, & acerbè reprehendat, se ipsum sceleribus astrictum non videt; *Quid autem*, inquit Dominus, Mat. 7.
*vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?*

## *Ne impiè agas multùm, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.*

Clementer à Deo impios sustineri asseruimus, id autem, an æquum sit, an non, exquirere, facinus est execrandum. Qui autem peccat, ius diuinum violat, & Deum offendit, eaque ratione est impius. Is autem multùm est impius, qui non solùm iura frangit, & polluit, sed in Deum ipsum inuehitur, & iustitiam ei atque sapientiam derogat. Scelerum hic cumulum sceleribus affert, quia non imbecillitate naturæ, in officio labitur, sed apertè & palam cum Deo bellum gerit. Hic lumine mentis carens, vecors, & stultus à Salomone dicitur, quem, etsi alios dementer sustineat, in medio vitæ cursu, vis numinis obruit: quamuis sæpe etiam tales viuere permittat, quia eis mederi cupiat. Cùm verò ipsi sint impedimento medicinæ, eam illis

desperatis non adhibet, sed vt generis humani strumam, excæcat.

Quamobrem Salomon, *Ne moriaris*, inquit, *in tempore non tuo*. Est autem cuilibet rei, idonea temporis opportunitas, quam sacri auctores, *tempus suum*, appellant: vt est illud Ecclesiastici, *Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam, in tempore suo.* Impius autem cùm moritur, tum quia nolens, è vita discedit, & in medio actionum suarum cursu, quæ omni sunt scelere imbutæ, mortuus concidit, tum quoniam, vt inquit sapiens, Deus *disrumpet illos inflatos sine voce, & commouebit illos à fundamentis*: non est ei hinc abeundi tunc tempus opportunum. Nati quoque & à Deo instituti sumus ad honestatem, quæ in illius similitudine consistit, vt ea nobis Dei amorem conciliaret, & ad beatitudinem aditum aperiret: si igitur cùm in scelere versamur, à Deo nobis vita eripitur, non quidem nostro tempore, hinc cogimur ad summas ærumnarum acerbitates abire. Verùm si ius diuinum consideres, nulla maior esse poterat impij hominis puniendi opportunitas, vt si tempore quidem non suo, iudicij tamen diuini tempore, mortem subeat, *Omnia*, inquit Ecclesiasticus, *opera Domini bona, & omne opus hora sua subministrauit, non est dicere, hoc illo nequius est, omnia enim in tempore suo comprobabuntur.*

Eccl. 20. Sap. 4. Ecc. 39.

*Bonum est te sustentare iustum, sed & ab illo, ne subtrahas manum tuam, quia qui timet Deum, nihil negligit.*

Ne diuini iuris æquitatem in dubium vocemus, vt nostram iustitiam constituamus, Salomon admonuit. Illud enim, *nihil nimis*, cùm in omni sit actione seruandum, præsertim in iudiciis diuinis exquirendis, retinendum esse hominibus persuasit: reliquum erat, vt eos ad veram iustitiam hortaretur: *Bonum* igitur inquit, *est te sustentare iustum.* Oportet enim, & nobis est necessarium, nimium illud resecare, quod est non mediocre iustitiæ munus & officium. Quia verò, vt nostrum officium expleamus, non vna hæc virtus præstare potest, inquit, *sed ab illo ne subtrahas manum tuam. Bonum est*, inquit Hebræus, *vt apprehendas in hoc, & etiam ab hoc ne quiescere facias manum tuam.* Hoc nempe, de quo disserebam, ne iusti, & impij nimiùm simus, omni cura & solicitudine obserua: illud autẽ, quod inde oritur, exequere. Si enim iudicij diuini æquitatem prædicas, si clementiam admiraris: illius in iudicando seueritatem perhorresce, quæ tanto erit acerbior, quanto fuit maior, illius in puniendo tarditas: & benignitatem erga hominum genus imitare. Si, te in offensa esse apud Deum, nihil tibi miserius accidere posse existimas, quia iustè omnia iudicat, ius quod ipse sanciuit, omni studio serua, ne illius in te iram excites. Si bonitatem illius laudas, & omnium esse perfugium fateris, illius vestigia sectare: vt non solùm ius inter homines à natura institutæ societatis serues, sed opes, siue tenues, siue magnæ tibi sint, ad benignitatem conferas. Vtrunque nobis ad iustitiam, & pietatem opus esse Salomon affirmat.

Hac autem dicendi ratione, cùm Scribas, & Pharisæos reprehendit Christus dominus apud Matthæum, vtitur, *Væ*, inquit, *vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquistis, quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem, hæc oportuit facere, &*

Mat. 23.

*re, & illa non omittere.* Insani autem hominis est, omni studio cauere, ne in minimis, & tenuissimis rebus labatur, eas verò despicere, quæ præcipuam in se officij rationem continent. Cùm ergo nos, Dei iudicia, ab omni abesse reprehensione, æquum sit, & rationi consentaneum, fateri, non est hîc nobis sistendum, ac si veræ iustitiæ aliquem simus gradum consequuti, sed vltra progrediendum, hinc enim officiorum omnium exordium capimus.

Cur autem id à nobis sit omni cura & solicitudine præstandum, rationem reddit. *Quia qui timet Deum, nihil negligit.* Sanctissimum actionum nostrarum iudicem Deum, & rerum omnium præpotentem, quis in reddenda vitæ suæ ratione non timeat, & ad iram sceleribus prouocare non perhorrescat? Is igitur qui Deum timet, nullam officij partem negligit, sed ad tuendum illud, toto pectore incumbit; si enim officio, in re aliqua desit, iudicem omnia intuentem, & dominum offendit: nam, vt Iacobus asserit, *Quicúmque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est* Iac. 2.
*omnium reus.* Hanc nos explicandi rationem amplectimur, nec illam reijciendam esse ducimus, qua non solùm probis hominibus, sed etiam improbis, vt si indigentes sint, victum suppeditemus, monitos nos esse Salomonem voluisse asserunt.

*Sapientia confortauit sapientem, super decem principes ciuitatis. Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.*

Is igitur, qui nullam officij partem sibi prætermittendam esse ducit, ne in diuini numinis offensionem cadat, quia Deum, non vt seruus Dominum, sed vt beneuolentissimum parentem filius, timet, & obseruat, sapientiæ quidem est muneribus excultus, & iure meritoque sapiens esse dicitur:
*Beatus homo*, inquit Salomon, *qui semper est pauidus.* Inde enim sapientia Prou. 28.
oritur. *Plenitudo*, inquit Ecclesiasticus, *Sapientiæ, est timere Deum, timor do-* Eccl. 1.
*mini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Hunc autem adeo mirificè stabilit sapientia, vt multis ipse principibus excellat. Nam si mores spectes, sine sapientia nihil honestum poterit in illis reperiri: si ad munus gubernandæ, & tuendæ reipublicæ, animum conferas, nec leges, nisi adsit sapientia, salutares ferri, nec seruari poterunt: si hostes vrbem oppugnent, & obsidione cingant, eam stulti principes à periculis obsidionis liberare non poterunt. Sapiens igitur ita erit moratus, & ita animo, & vita constitutus, vt ratio postulat: rempublicam si gubernandam susceperit, eam florentem rebus omnibus efficit: etsi hostes vrbem obsideant, eam obsidione liberabit.

Cur autem cæteris hominibus, sapiens tantopere excellat, & præstet, ostendit Salomon cùm ait, *Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonū, & non peccet.* Si igitur omnes multa peccant, se ipsos profectò ad rectæ rationis normā moderari, & rempublicā tueri, florentemq; efficere nō poterunt: nam qui in scelere sunt, in tenebris versantur, & quocūque eos libido
fert præcipitāt. *si quis autē*, vt inquit Paulus, *domui suæ præesse nescit, quomodo* 1. Tim. 3.
*Ecclesia Dei, diligentiam habebit?* Sapiens verò, quia Deum sibi imitandum

proponit, erit quidem tum ad priuata, tum ad publica officia cæteris hominibus virtute præstans. Et si nec ipse ab omni sit peccati contagione liber, quod Salomon hac oratione testatur, *Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Non tamen se ipsum in peccati seruitutem tradit, sed naturæ imbecillitate, si aliquando peccet, animum inde ad Dei auxilium implorandum auocat, quo pristinum possit statum consequi, eam namque tenet, quam Ioannes sententiam, *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est; si confiteamur peccata nostra fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Prou. 20.

1. Ioan. 1.

Diuino ergo munere fit, vt homo viribus quidem imbecillus ad sapientiæ fores semper assistat, & vt illius conditio fert, sapientiam consequatur, quæ homines hac ad se oratione allicit, *Beatus homo, qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei.* Is quantum cæteris antecellat hominibus, quis non videt? ij enim qui in scelere sunt, tenebris circunfusi lucem minimè respiciunt: sapienti autem ipse Deus lumen præfert, quo quid fugiendum, amplectendúmve sit, intueri possit; sic enim ipsa de se sapientia, in Prouerbiorum libro luculenter prædicat. *Meum est consilium, & equitas, mea est prudentia, mea est fortitudo, per me reges regnant, & legum conditores, iusta decernunt.* Hæc autem à Dei timore, cùm ipse sit initium sapientiæ, vt Dauid, Salomon, & Ecclesiasticus affirmant, in genus hominum emanat. Quamobrem Salomon, vt hunc salutarem in nobis timorem excitaret, postquam dixit, qui timet Deum, nihil negligit, vt illius fructus vberrimos explicaret, sapientium præstantiam nobis ante oculos proposuit.

Prou. 8.

Prou. 8.

*Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne fortè audias seruum maledicentem tibi: scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti & aliis.*

*Qui timet Deum, nihil negligit* eorum, quæ ad honestatem pertinent, ideoque sapiens existit, & aliis hominibus, qui opibus pollent, longè multumque excellit: illum enim nihil in officio colendo, respuentem, sapientia firmat, & stabilit, cæteri autem homines, cùm naturæ corruptela sint ad vitia procliues, ruunt in scelera, & se ipsos magis magisq; sceleribus astringunt. Quamobrem ille vitiorum radices conatur euellere, & fontes quasi quosdam, vnde illa emanant in hominum genus, claudere: hi autem singulari studio laborant, vt sibi ipsi miseriarum, & peccatorum fontes pateant, vt inde hauriant, quo libidinem expleant.

Auditus autem cùm semper in hominibus pateat, & eo, quamuis per accidens, plura, quàm cæteris sensibus mens humana percipiat, ad disciplinã quidem, & prudentiam plus adiumenti affert: *sit*, inquit Iacobus, *homo velox ad audiendum.* Et Salomon, *Audiens sapiens, sapientior erit.* Cùm tamẽ multa sint, & varia, quæ auditione excipimus, omni erit studio cauendum, ne iis sermonibus, qui nos possint aliqua contagione sceleris contaminare, aures præbeamus, *corrumpunt* enim, inquit Paulus, *mores bonos, colloquia mala.* Is igitur

Arist. de sen. & sen. c. 1.
Iac. 1.
Prou. 1.
1. Cor. 15.

Is igitur, qui timet Deum, eóque timore ad veram est sapientiam informatus, non omnium se auditorem sermonibus præbet. Quia tum ad optimam morum institutionem, tum ad eorum peruersitatem mutationémq; auditione deducimur.

Hunc igitur maximorum malorum fontem, vt sibi quisque claudat, Salomon hortatur, & vt illud Pauli sapientissimum in vita moderanda consilium sequatur, *Omnia autem probate, quod bonum est tenete.* Verùm etsi hoc Salomon nobis præcipiat, cùm inquit, *Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum.* Illud tamen præcipuè in auditione fugiendum esse admonet, quod in aliorum sermonibus curiosè inuestigandis consistit: est enim hæc reprehensione digna curiositas, qua non solùm ea, quæ alij agunt, exquirimus, sed eos, quos secretò inter se conferunt, sermones, percipere omni studio conamur. Nam cùm nihil vtilitatis afferat, plurimũ sæpe mali infert. *Ne fortè audias seruum maledicentem tibi.* Cùm enim aliorum voces hinc inde, aucupio quasi quodã, conamur percipere, euenit sæpe, vt verbum ab eo, in quem nos plurima contulimus officia plenum iniuriarum conferri in nos audiamus. Hoc autem, etsi nihil aliud mali hæc curiositas afferret, satis quidem nos ab ea auellere potuisset. Sed inquires, non ita facilè credendum erat, fore, vt is, qui plurima nobis debeat officia, contumelias & conuitia in nos iactet. Imò id erat nobis opinandum, *Scit enim,* inquit Salomon, *conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti alijs.* Quid enim prudenti homini magis erat conueniens, quàm ex iis, quæ ipse in alios de se optimè meritos, contulerat conuitia, formidare, ne in se quoque iactarentur. 1. Thes. 5.

Sed cùm hæc curiositas summissi sit animi, & abiecti, nihil excellens, & præstans sectatur, sed in iis exquirendis est tota, quæ summissioni illi, & abiectioni animi, sunt maximè consentanea: qui Deum timet, illius immensam, infinitámque vim augustè sanctéque veneratur, & ideo omni studio curat, vt præstet, nihil ex suo aliquo facto Deum offensionis habere amplitudinem quoque illius & dignitatem suspicit, quo animus ab his infimis emergit, & illuc fertur, vbi hæc, quæ oculis cernimus pro nihilo ducit: quòd si à cælestibus rebus, vt nostri generis conditio postulat, se referat ad humanas, nihil in illis, eum, nisi excelsum & altum delectet: vt ex eo timore animi excelsitatem & magnitudinem oriri fatendum sit. Etsi enim nos excelsos natura genuit, multa tamen deprauarunt, vt addicti sensibus iam nihil, nisi abiectum & humile cogitemus: à sensuum autem consuetudine, & iudicio, quo vitam moderamur, timor diuinus nos auocat, vt sensuum vinculis soluti, in sapientiæ studio progredi possimus.

At eorum, qui sensuum iudicio ducuntur, duplex est hominum genus: alterum, eorum qui etsi in hæc infima, quæ tandem interitura sunt, cogitationes suas abiiciant, decorum tamen & honestum, se in illis sectandis seruare, cæteris volunt hominibus videri, adeo vt eam ob causam, mortem libenter appetant: alterum, eorum est, qui tam humili & abiecto sunt animo, vt quidquid decori, in his rebus eluceat, parui faciant, vt animi libidinem explere possint, in quorum numero hi reponendi sunt, qui nihil prætermittunt, quo aliorum possint voces, percipere, vnde quid illi cogi-

tent, quid moliantur, quid de re quaque etiam leuissima iudicent, ipsi cognoscant, vt ea, vel aliis nuntient, quod abiectissimi est animi, vel cùm nihil ipsi agant, vt aliorum nihil sibi sermonum lateat. Hos Salomon de officio non solùm admonet, sed non mediocris incommodi metu, ad officium reuocat.

*Cuncta tentaui in sapientia. Dixi: sapiens efficiar: & ipsa longiùs recessit à me, multò magis quàm erat: & alta profunditas, quis inueniet eam? Lustraui vniuersa animo meo, vt scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam, & rationem: & vt cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium: & inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, & vincula sunt manus illius: qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.*

Ea, quæ hactenus Salomon asseruit, ne aliquibus videretur temerè & inconsideratè dixisse, *cuncta*, inquit, *tentaui in sapientia*. Omnia scilicet, quę longa oratione disseruit, & singulari esse studio amplectenda, suis conatus est, quantum potuit dicendo persuadere, non leui aliqua coniectura ductum se affirmasse testatur: nam cùm toto, vt dicitur, pectore ad sapientiam incumberet, ea fuerat diuino munere consecutus. Hoc suum ardens sapientiæ studium, & eos, quos mirificos fecerat, in eo progressus, *sapientiam* vocat, cuius singulari præsidio stabilitum se omnia, vt ea suis faciliùs persuaderet, & omnem à se leuitatis turpitudinem depelleret, priùs tentasse affirmat.

Hanc explicandi rationem Græci interpretes sequuntur, sic enim Græcè hanc orationem reddiderunt, ac si Latinè dicerent. *Omnia hæc tentaui in sapientia.* Eandem quoque sententiam Chaldæus amplectitur, cùm ita vertit, *Omne hoc quòd dixi, probaui in sapientia.* Nec id imprudenter quidem cùm Hebræus, *Omne hoc tentaui in sapientia.* Hoc autem ipse orationis cursus, & sententiarum inter se connexa, aptáque coniunctio manifestè declarat: quamobrem noster Latinus, vt clariùs sententia percipi posset, nihil addendum esse duxit.

Quam verò magnum studium, & quantam operam, in harum opinionum veritate inuestiganda, posueritne sui ea, quæ dixerat, parui-facienda existimarent, declarat, cùm inquit, *Dixi, sapiens efficiar.* Nam, vt vidimus, nihil Salomon, vt sapientiam consequeretur, omisit: si igitur earum rerum cognitione, sapientiam contineri, sibi persuaserat, nónne ad eam consequendam, omnes animi vires intenderat? Quid igitur, num illa quæ tanto ipse studio sibi parauit, & nobis tam luculenter officiorum præcepta tradidit spernemus? scelus quidem erit, execrandum; cuius magnitudinẽ, vt ille nobis ante oculos poneret, hæc, quæ explicuimus, verba, in oratione posuit, vt si fortè tanti sceleris dedecus fugientes, summæ velimus sapientiæ institutis vitam moderati.

Ne verò quis si ea præcepta teneat, sapiẽtiam sibi propterea arroget, & ipsa

ipsa inquit, *longiùs recessit à me, multò magis quàm erat & alta profunditas, quis inueniet eam?* Præclarè quidem cùm ipsa sapientia tam latè pateat, vt nulla possit ratione comprehendi, eam Salomon cùm eò progressus fuisset, quo ad sapientiam consequendam, nihil sibi vltra progredi opus esse videbatur, à se longiùs abesse cognouit. Nam licèt in omnibus ipsa naturis splendeat, vt lumen quodammodo præferat hominibus quò possint illius vestigia sectari, est tamen immensa & infinita, ideóque non habet extremum. Quamobrem semper infinitè distat, & nulla illius poterit esse cõprehensio. Quanuis igitur Salomon eo studio multa cognouerit, & plurimùm ad sapientiam profecerit, ea tamen ab eo comprehendi non poterat, & aberat longissimè. Vnde præclarè ille quidem, *Gloria*, inquit, *Dei est celare verbum, & gloria regum, inuestigare sermonem.* Est enim ea diuinæ naturæ vis, & ratio, vt nulla mens, licèt omnium sit præstantissima, eam possit comprehensione complecti, quod illius immensitatem & amplitudinem prædicat. At summa est humanæ mentis dignitas, ex his, quæ sensu percipit ad illius cognitionem assequendam, omni studio conniti, eo enim poterit conatu, cùm ille, vt fas est homini, cõiungi. His itaque verbis, postquam ea, quæ dixerat, singulari esse amplectenda studio significauit, ad ea quæ dicturus est, auditores erigit: vt quæ illis persuadeat, primùm quàm singulari cura, in sapientiæ studio fuerit versatus ostendit, vt fidem sibi, & auctoritatem tribuant: deinde inauditam illis fortasse de muliere sententiam profert. Prou.25.

Eo igitur studio, quod in rerum naturis, & in hominum moribus inquirendis consumpserat, solam sibi sapientiam consequendam proposuisse, & nihil à se fuisse prætermissum, vt eam consequeretur, affirmat, *Lustraui*, inquit, *vniuersa vt scirem*, Studium deinde, curam, & sollicitudinem suam ex his, quę oculis cernuntur, sapientiam inuestigandi, commemorat: *Vt scirem, & considerarem, & quærerem.* Mens nostra, eorum, quæ natura fiunt causas perscrutatur, ex illisque sapientiam inuestigat, in ea verò inuestigatione defixa quidquid reperit, quod ad sapientiam deducere videatur, attentiùs considerat, vt tandem ad aliquam illius cognitionem perueniat. Hæc autem Salomon, non seruato naturæ ordine, sed dignitatis, commemorat, *Vt scirem*, inquiens, *& considerarem, & quærerem sapientiam, & rationem.* Quod verò *rationis* nomine significat, vox Hebræa חשבון ostendit, qua Salomon vtitur, est enim *Chesbon, ratio*, quare res, sic, vel aliter fiant. Quemadmodum verò paulò antè diximus, dignitatis, non autem naturæ ordinem seruat, ideò sapientiam priùs, postea verò rationem commemorat, *est enim sapientia, rerum diuinarum, & humanarum scientia causarúmque, quibus hæ res continentur cognitio.* Sapientiæ definitio.

Sunt autem quædam in diuina mente rerum principia, quæ omnium naturas antecedunt, neque gignuntur aliunde, nec occidunt: hæc quia ex aliqua, quæ illorum sit, causa demonstrari nequeunt, & quia animo percipi possunt, illorum perceptionem, mentem Aristoteles vocat, quæ simul, vt ipse asserit, cum earum rerum scientia, quæ ex antecedentibus initiis oriuntur sapientiam gignit. Scientia verò, cùm ea sola ratione à sapientia differat, quod earum rerum sit, quæ ratione demonstrari possunt, ideo

Cic.2.de offi. Arist. mag. mor.l.1.c.35. Eth.l.6 c.7. Sciẽtia qua ratione à sapientia differat.

ideo vis illa, & quædam quasi sapientiæ pars, quæ æterna, diuináque complectitur, *Sapientia* dicitur. Quamobrem Salomon, vt sapientiæ vim, naturámque explicaret, singulari fuisse affirmat, sapientiam & rationem à se studio indagatam, ea nempè, quæ à nullo sint exorta principio, & quæ nõ à se, sed aliunde oriuntur, inuestigasse.

Vt autem nihil, quod ad sapientiam pertinet, omittat, quod reliquũ esse videbatur adiungit, *Et vt cognoscerem impietatem stulti, & errorem impudentium.* Cùm autem, vt diximus, *Sapientia rerum sit diuinarum & humanarum scientia*, Sapientem quidem, non solùm decet, sed oportet, quod Deo, & hominibus sit officium, tenere: impietatem igitur stulti, Salomon eo, quo sapientiam consequi nitebatur studio inuestigabat. Stultus autem cùm Deo officium debitum prætermittat, deserat, & nefariè violet, impius existit, Nam, vt inquit Salomon, *Quasi per risum stultus operatur scelus, & cogitatio stulti peccatum est.* Impietas verò in officio erga Deum non soluendo consistit: est enim iniustitiæ pars, vnde & cæteræ iniustitiæ partes oriuntur. *veritatem Dei*, inquit Paulus, *in iniustitia detinent.* Imprudentium autem, in hoc omnis est error, quòd sibi perniciosa, ac si bona sint, eligant, prudentia námque in eorum, quæ hominis naturæ consentiunt, & exercitatione acquiruntur, electione versantur.

Prou. 10. Prou. 10. Arist. 2 de virt. Plat. in Epin. Rom. 1. Arist. Eth. 6. c. 5. & lib. de virt.

Hæc itaque Salomon cùm tanto fuerit studio perscrutatus, quid fuerit consecutus, videamus. *Inueni amariorem morte mulierem.* Est autem mors omnium rerum, quas in hac vita appetimus, vel fugimus extremum; quare iis, qui eam naturæ esse dissolutionem putant, vel à bonis, ea se abduci existimant, est amarissima: non autem iis, quibus ea, quædam quasi migratio, & commutatio vitæ, esse videatur, neque iis, qui in miseriis sunt. Est enim omnino mors finis omnibus, quæ generi humano in hac vita mortali angorem afferunt. Præclarè quidem Ecclesiasticus, *O mors*, inquit, *quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum: O mors! bonum est iudicium tuum, homini indigenti, & qui minoratur viribus defecto ætate, & qui de omnibus cura est; & incredibili, qui perdit sapientiam.* Verùm cùm mors sit ille animi discessus à corpore, quo etsi animus extingui non possit, homo tamen occidit, & ea, quæ sibi clara & iucunda erant, dimittit, omnibus quidem est semper amara, & terribilis, vt quæ fuerit à Deo supplicij causa, constituta. Ea tamen alios magis minúsve deterret, vt magis, minúsve fuerint sapientiæ muneribus exculti. Tantùm verò quis progredi in sapientiæ studio potest, vt nihil ardentiùs, quàm vitam cum morte commutare cupiat, inde Paulus, *Coarctor*, autem inquit, *à duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Cùm igitur omnis natura sit conseruatrix sui, & in eo totis viribus pugnet, vt salua sit, & in genere conseruetur suo, dissolui se ipsum, homo perhorrescit.

Eccl. 41. Gen. 2. Philip. 1.

Etsi verò mors sit adeo amara, eam Salomon mulieri præfert. Quare autem in ea fuerit sententia, rationem reddit. *Quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius.* Ita mulierem naturæ autor effinxit,

finxit, vt hominem non solùm, quia ex osse fuerit illius, affabre facta, iuris naturæ vinclis astringat, sed ei formam, & speciem dedit, decore, & venustate mirificè ornatam, vt hominem incredibili ad se vi alliciat, quem ipsa in summas miserias detrusit. Quare verò sit hæc vis, quæ in mulieris forma incidet, non solùm hoc in loco Salomon, sed Ecclesiasticus etiam luculenter explicat, *Auerte*, inquit, *faciem tuam à muliere compta & ne circumspicias speciem alienam; propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit.* Hæc autem mulieri, non vt homini perniciem inferret, sed vt esset ei adiumento, fuit à naturæ totius artifice vis ingenerata: & ne ipsa post viri lapsum, quem ad scelus impulit, & ad ærumnas secum grauissimas traxit, in illius odio esset, omníque ope destituta: vt vir quoque formæ, & specie illius ductus, acceptam offensionem obliteraret, & curam illius gereret: vnde est illud Dei in genus nostrum misericordis, & beneuolentissimi, dum mulieri pœnam constituit, vt eius temeritatem puniret, edictum, *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Nec enim alia fieri ratione poterat, vt mulieri, quam odio haberet, singulari studio, & magnis susceptis laboribus, victum pararet, illiúsque salutem tueretur. Ecclesf.9. Gen.2. Gen.3.

Fuit hæc inter mulierem, & hominem societas, cæterarum omnium societatum, quæ vmquam inter homines extiterunt, caput quasi quoddam, & exordium, quæ si matrimonij sit, dignitate stabilita, iúsque matrimonij castum & legitimum seruetur, nihil ea poterit in rerum natura pulchrius vel prestantius inueniri. *Amicus*, inquit Ecclesiasticus, *& sodalis in tempore conuenientes, & super vtraque mulier cum viro.* Si igitur sit fidelissima coniux, si moderata, si in re familiari curanda diligens, virum quidem tum gaudio, tum decore, & opibus cumulabit. Eleganter quidem ne quid vltra requiras, & ornatè, Ecclesiasticus, quid de hac re senserit, explanauit, sic enim in coniugis probæ laudem, orationem instituit, *Gratia mulieris sedula delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit; disciplina illius datum Dei est mulier sensata, & tacita, non est immutatio erudita animæ; gratia super gratiam, mulier sancta, & pudorata; omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bona species, in ornamentum domus eius; lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem, columna aurea super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris.* Arist. pol. l. 1. cap. 1. Ecclesf.40. Eccl.26.

Proba igitur coniux non amara, sed iucũda, & grata existit; quare Salomõ de impura hoc in loco, & impudica, videtur muliere statuisse, hæc enim *laqueus*, vt ipse inquit, *venatorum est.* Id enim quòd mulieris formæ insitum est à natura, vt societatem, quam sanctè coleret, cum homine iniret, ipsa in hominis perniciem confert, & non solùm illius vestigia sectatur, quæ generis nostri principẽ, in scelus traxit, sed scelus sceleribus cumulauit. Nam generis humani hostis, etsi multis modis perniciem hominibus moliatur, plurimos impuræ mulieris lenociniis irretitos tenet, & eos, qui illius sæpe vires fregerant: hac vna machina apposita deiicit, & labefactat: quod in Salomone vidit antiquitas: & omnium gentium monumenta loquuntur: Et Ecclesiasticus sempiternæ memoriæ literis commendauit. *Vinum* Gen.3. 3.Reg.11. Eccl.11.

inquiens, *& mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos. Multos,*
Prou.7. inquit Salomon, *vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea, via inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis.* Quàm verò egregiè, nostri generis hosti immanissimo operam nauent, ipse quoque eleganter
Prou.7. ostendit, *Et ecce,* inquit, *occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidiatur, apprehensúmque deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens, Victimas pro salute dicaui, hodie reddidi vota mea, idcirco egressa sum, in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi, intexui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Ægypto, aspersi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo, veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies. Irretiuit eum multis sermonibus & blanditijs labiorum protraxit illum, statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans, quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius, velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quòd de periculo animæ illius agitur.*

Ex hac Salomonis oratione quisque nostrûm intelliget, cur impudica mulier, *laqueus venatorum* dicatur ob insidias nẽpe, quas iis collocat, quos amare simulat, eorum instar, qui belluis plagas tendunt, vt eas capiant: nec non quia ipsa non mediocre sit malum, quod adeo homines vrget, vt difficillimè factu sit, eo non opprimi: mali enim tum magnitudinem, tum dolum, Sacri scriptores *laquei* nomine significant, vt est illud Iosue, *sint vobis in foueam, ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro. Et laqueum parauerunt pedibus meis.* Studium verò, quo nocendi flagrat, *sagenæ* nomen, cordisque indicat, concilium enim à corde proficiscitur, *vbi est thesaurus tuus,* ait Dominus, *ibi est cor tuum.*

Laquei nomine Sacri scriptores quid significent interdum.

Iof.23.

Psal.56.

Matth.6.

*Sagena,* verò, cùm rete sit quo pisces capiuntur, erit profectò *cor illius, sagena,* qui aliis perniciem cogitat, *Extendam*, inquit ille, apud Ezechielem, *rete meum, & capietur in sagena mea.*

Ezech.12.

Manus pro actionibus seu operibus.

Consiliorum autem ministræ sunt manus, quas ad agendum natura hominibus dedit, & ideo hominum actiones, operáque significant, impudicæ verò mulierculæ, nihil aggredi, & perficere dubitant, vt perditum adolescentem astrictum, deuinctúmque teneant, *vincula* igitur *sunt manus illius*, quemadmodum enim Dauid, vt præclara illa opera, quæ Deus efficiebat, quibus Hebræorum rempublicam tuebatur, *manuum intellectus,* nuncupauit, sic enim cum hac de re, dissereret, *& in intellectibus,* inquit, *manuum suarum deduxit eos.* Ita & impudicæ mulieris opera *manuum vincula* dici meritò potuerunt, quia incredibili fallendi studio, sic se gerit, vt vincula, si non corporibus, animis tamen iniiciat.

Psal.77.

Cùm igitur impura & impudica mulier, maximarum sit insidiarum artifex, & homini ad procreandum insitus sit à natura appetitus, qui naturæ ipsius corruptela vehementiùs inuitatus, à temperantia, & moderatione plurimùm diffidens, vt potiùs libido sit, & effrænata cupiditas, illum quodammodo eò impellit, vt in laqueum sibi à muliere inperniciem paratum libenter collum inserat, nullis profectò humani ingenij viribus, impuræ mulieris laqueos poterit declinare, sed diuina est ei opus virtute, quæ in

eo mentis statum tueatur, & libidinem comprimat, vt rationi obediat: Quamobrem, inquit Salomon, *Qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa*. Vt autem diuini muneris magnitudinem explicaret. *Qui placet*, inquit, *Deo effugiet illam*. Nō enim cuiuslibet, sed summi est hominis, innatam sibi cum fœmina commiscendi corpus libidinem erumpentem cohibere, & mulieris impuræ lenociniis, non de statu mentis deduci, *De vestimentis*, enim, inquit Ecclesiasticus, *procedit tinea & à muliere iniquitas viri*. Eccl. 42.

*Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum & alterum, vt inuenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inueni.*

Mulierem esse morte amariorem, ne temere affirmasse videretur, singulari quidem studio, rerum inter se priùs naturas se contulisse testatur, quam in hanc de muliere sentētiam venisset. *Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes*, Præclarum illud, in sui ipsius animo insidentis sapientiæ nomen, *Cohelet*, scilicet, siue, vt Græcè dicimus, *Ecclesiastes*, quia res ipsa, & locus, in quo versabatur, ita postulabat, vt sententia sua in auditorum animis infixa maneret, vsurpat. Quæ autem sit huius nominis vis, & ratio diximus. Cùm igitur sapientiam, qua cæteris hominibus excellebat, hoc vno nomine in memoriam auditoribus reuocasset, viam & rationem tradit, qua rerum naturas causasque inuestigabat. *Vnum*, inquit, *& alterum, vt inuenirem rationem*. Diuersæ sunt, rerum naturæ, & earum multiplices, variæque mutationes: iam verò casus, qui communem hominum vitam incurrunt, quam tum inter sese differant, nemo quidem poterit dicendo consequi. Quare, *vnum*, inquit, *& alterum*, id est, omnia inter se diligenter conferebat, & cuiusque rei pondus singulari studio examinabat, vt boni ratiocinatores, addendo deducendóque, quantum cuique debeatur intelligunt, *Vt inuenirem*, inquit, *Chesbon*, hoc est, vt rerum omnium rationem conficerem, & inita subductáque ratione, optimum, quid in re quaque sit, inuenirem. Eccl. 1.

Hoc autem ingenij humani viribus adipisci, haud quisquam potest, quod Philosophorum variæ, & interse contrariæ opiniones affirmant, cùm de rerum naturis, & moribus, ea disserunt, quæ non solùm inter se minimè cohærent, sed disiuncta sunt, & secum ipsa maximè pugnant. Quamobrem Salomon, etsi longè illis omnibus excelluerit, inquit, *Quam adhuc quærit anima mea, & non inueni*. Non ei rerum initia, causæque occultæ latebant, vnde nata sint omnia, sed illud ei difficile erat, rerum humarum rationes adipisci, hominum enim vagatur animus errore, quo eum corporis coniunctio, & societas imbuit, vt in cuiusque rei studio, quàm sit inconstans, & quàm sit vehemēs in appetendo, explicari nō possit.

*Virum, de mille, vnū reperi, mulierē ex omnibus nō inueni.*

Quid tam singulari studio sapientiæ fuerit consecutus commemorat, rarum scilicet illud esse hominum genus, qui hoc præstantissimum nomen

mereatur: mulierum verò multò esse rarius. Communis hæc quidem fuit omnium querela, quam, vt quisque in sapientiæ studio progrogrediebatur, magis magísque deplorabat. Nec id immeritò, cùm sensus in homine imperium teneat, & mens, illius astricta lenociniis, tyrannidem perferat.

Sensus noster in genus humanum crudelis tyrannus.

Crudelis autem hic in genus hominum tyrannus, ab initio rerum, totum genus nostrum perculit, vt si philosophorum mores, vitam, & opiniones, ex omni antiquitate repetas, eos in omni, tum scelere, tum rerum ignoratione fuisse versatos reperias, quamquam vnum vel alterum, Deus inter eos virtutis ornamentis, ne eos omnino spreuisse videretur, excoluerit: si verò Hebræorum res gestas euoluas, etsi aliqui in omni virtutum genere excelluerint, fuisse tamen gentem illam, quamuis à Deo legem acceperit, & multis ad sapientiam fuerit rationibus instituta, ignorantiæ tenebris circumfusam, & scelere arsisse, comperies. Cùm igitur genus hominũ ab honestate plurimũ abhorruisset, quam vt sectaretur conditũ à Deo, & informatũ fuerat, id, quod sui nominis natura postulabat, officiũ prętermisit, vt tanti honoris nomen non attingeret: eum namque Deus sui ipsius secutus similitudinem finxit, vt se ipsum; vitámque suam, ad similitudinem illam dirigeret, quæ si in animo extaret, hominis esset dignus nomine. Hanc autem quia ipse vitiis deformarit, animantium rationis expertium similitudinem gerens, hominis nomine haud quaquam debuerat appellari, *Homo cùm in honore esset*, inquit Dauid, *non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Psal. 48.

Cùm ergo sensuum iudicium in vita moderanda, tum Iudæi, tum etiam cæteræ gentes sequerentur, insolenter quidem & rarò quis poterat inueniri, qui homo diceretur, hoc est, qui rationem, Deúmque sequeretur. Eleganter quipem Paulus de gentibus ita disserit, *Sicut non probauerunt, Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.* At de Iudæis quid sentiat, sacræ scripturę autoritate confirmat: *Causati enim sumus*, inquit, *Iudæos, & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est, quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est vsque ad vnum, scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur.* Rom. 1. Rom 3. Psal. 13.

Quemadmodum verò hoc in loco Paulus Dauidis sententiam referens, genus hominum ita scelere fuisse coopertum affirmat, vt nemo præsertim apud Iudæos fuerit, qui aliquam virtuti operam nauaret, ita & Salomon, vt rarissimum hoc hominum genus esse ostendat, quod Deũ sequatur, ex mille testatur vnum aliquem, qui homo sit meritò habendns reperiri; Verùm ex omnibus nullam extitisse afferit mulierem, aliqua virtutis laude prædicandam, vt earũ esse genus rarissimum ostendat. Nam, vt eas omittã, quarum est sacris litteris virtus cõmendata, ipse Salomon matris suæ Bethsabee amplissimis litteratũ monumentis, Sapientiam consecrauit. Prou. 4. & 31
Sed mulierũ est mollis quidẽ, & ad accipiendum, quod ei persuadere voles

& ad deponendum, natura flexibilis, ideóque facili negotio decipiuntur, vnde prisci Romani, eas in tutorum potestate esse voluerunt; & Aristoteles ad inuidentiam, ad fraudes, & ad mendacium procliuiores esse confirmat. Cic. pro Mur. Arist. hist. an. l. 9. c. 1.

Quamobrem mirum videri non debet, antequam Christus præpotens rerum omnium princeps à nostris ceruicibus sensuum tyrannidem depulisset, vix aliquem aut virum, aut fœminam, inter homines à norma, & præscriptione diuina non aberrantem extitisse. Sed oppressa iam & deleta omnino carnis Tyrannide, hominis natura, diuino munere instaurata, renascitur: quæ Adami peccato lapsa semel, & postea peccandi consuetudine, in scelere enutrita, iam nunc diuino firmata præsidio, tum ab oculorum consuetudine aciem mentis abducit, tum à communi sensu abhorrens, ad supera, & diuina se conuertit, vnde sibi sapiētiam haurire possit, cuius exculta muneribus, in vtroque sexu, omni genere virtutis floreat: *Lætabitur*, inquit Isaias, *deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit: quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans, gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron.* Isai. 35.

*Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.*

Cùm genus hominum à virtutis studio sit alienum, id autori naturæ num tribuendum sit, dubitari meritò potuisset: hanc autem Salomon hoc in loco quæstionem explicat. Illud igitur primum, quod in quæstionem venire non poterat, constituit, hominem scilicet, rectum fuisse conditum, hoc est, ad decorum, honestúmque, quod ex virtutibus exoritur, esse natum, eíque fuisse à Deo insitas, & innatas virtutum omnium formas, quas qui dederit, in illius mente, vt eas sectaretur, insculpsit. Hoc autem adeo sibi manifestum, & compertum esse affirmat, vt si quid optimè aliquando nouerit, hoc vnum sibi fuerit notissimum.

*Quamobrem*, inquit, *solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum.* Multa enim, quæ aliis hominibus latebant, crassis occultata, & circunfusa tenebris, ipse diuino munere, & singulari ingenio, & studio, ita sibi aperuit, vt ea cerneret. Non igitur aliarum rerum vllam se cognitionem adeptum fuisse negat, sed quòd homo ab initio sui, rectus fuerit; certiorem multò habuisse cognitionem significat. Rectum autem non est, nisi cum virtute sit, at virtus omnis, quæ splendet in homine, ex ea quæ homini est, cum Deo similitudo, initium sumpsit, similem autem Deus hominem sibi finxit: est enim virtus, diuinæ quasi quædam mentis imitatio, qua illius insitam in nobis similitudinem exprimimus. Quare iure quidem optimo non solùm Salomon hoc in loco, sed in Sapientiæ quoque libro, vir sapiens, de homine, cùm primùm fuit à Deo conditus, ita præclarè sentit. *Deus patrum meorum, & Domine misericordia, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta est, vt disponat orbem terrarum in æquitate, & iustitia, & in directione cordis iudicium iudicet.* Gen. 1. Virtus, diuinæ mētis quasi quædam imitatio est. Sap. 9.

Quid verò hominem de hoc, in quo fuerat collocatus, statu pepulit? *Et*

*ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.* Si recta voluisset ingredi via, quæ illum ad beatam vitam deducebat; præclarum satis mentis suæ, diuinis muneribus excultæ, statum seruasset, hoc enim illi non solùm erat à Deo constitutum, sed innatum, vt Deum sequeretur, hoc est, vt illius præscriptione, se ipsum vitámque moderaretur. Verùm cùm ipse, quid in quaque re optimum inesset, quídque expetendum, propriis vellet viribus consequi, in miseriam incidit sempiternam, vt in eam quoque posteri illius nascerentur. Cùm enim ille immanissimi hostis, qui totius mendacij caput, & origo fuit, dolo & fraude captus, se ipsum, an ingenio ad vitam moderandam valeret, à Dei præscriptione auersus, tentaret: illud primum Dei sibi traditum præceptum, quo viueret, in quæstionem vocauit: hinc propemodum infinitæ exortæ quæstiones communem vitam perturbant, & mentis humanæ statum à Deo optimè cõstitutum, euertunt. Mens enim humana cùm his rebus omnibus excellat, quas cernimus, in nulla earum quiescit; quare perpetuo cietur motu, vt id quod natura appetit, inuenire possit. Illum igitur optimi ingeneratum omnibus appetitum, dum hisce rebus explere cupit, nihil non exquirit, cùm semper appetat, nec vnquam satiari queat: Deum verò in vita sua moderanda si vellet intueri, & id, quod est à natura, solùm persequi, illud profectò optimum, vt fas est homini, in hac vita consequeretur, ipse tamen sibi nimiùm confidens, nunc hanc viam, nunc illam ingreditur, vt beatè viuat, in eóque studio ætatem conterit. Hoc autem illi minimè contigisset, si à recta ratione non discessisset, hoc est, si Deum, sui ipsius conditorem, vitæ ducem, magistrúmque officiorum sequutus esset.

Gen.2.

Statum igitur suum rectè à Deo constitutum, vt homo tueretur, illud vnum ei opus erat, à Deo nunquam oculos deiicere: ipse verò eum spernens, cùm se ipsum consuleret, infinitis curis implicatus, se ex altissimo dignitatis gradu, in quo fuerat, in miserrimam, in qua nunc est, conditionem præcipitauit. Etsi verò Latinus noster ex Hebræo eleganter vertit, *Et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.* Vox tamen Hebræa *Chesbon*, vt iam diximus, illam, quæ addendo, & deducendo, reliqui summa fit à ratiocinatoribus, significat, quæ hoc in loco, plurimas, eas fuisse ratiocinationes summásque indicat, est enim, vt Grammatici loquuntur, in plurali numero, vt locum hunc, Lusitanè possemus sic luculenter explicare, *Velle se embaracou com infinitas contas.* Sic enim mens humana, sensuum iudicio ducta, aliquid expetit, vt illud postquam fuerit consecuta, respuat, & se fuisse deceptam doleat, rémque iterum ad calculos vocat, & illis hinc & inde subductis, aliam init boni inueniendi rationem, quam etiam deserit, cùm diuinis solum bonis expleri possit. Vnde fit, vt si cum Deo non sit copulata, semper computet, nec vnquam summam inuenire possit. Hoc autem veri, & boni adipiscendi inconstans, & varium, maximísque curis implicatum studium, doctè quidem, & ornatè, interpres noster, *infinitis miscere quæstionibus*, appellauit.

*Quis talis vt sapiens est? & quis cognouit solutionem verbi.*

In

In hominum genere cùm ſapiens rariſſimus ſit, quidquid enim in quolibet genere excellit, & eſt optimum, rarò id quidem, aut nunquam exiſtit. Eum nobis Salomon breuiſſima oratione depingit, & quodammodo informat. A Deo autem recti conditi fuimus, & dum temere ab eo & impiè, ad hæc infima, nos ipſos ſeuocauimus, ab ipſo iam rerum initio prauitas nos tenuit mentis. Si ergo ab iis malis, in quibus verſamur, velimus emergere, vna erit nobis ſapientia, quæ tanto malo mederi poſſit, amplectenda: hæc enim mentem ab his rebus ad Deum reuocat, & cum eo ſanctiſſimo fœdere deuincit; nam, vt ſapiens inquit, *Per ſapientiam ſanati ſunt, quicunque placuerunt tibi, Domine, à principio.* Sap. 9.

Cùm igitur vix aliquem inueniri, in quo virtutis lumen eluceat, Salomon affirmauerit, idque non eſſe mundi artifici, ſed nobis tribuendum: ſapientem nunc his in cælum laudibus effert, *Quis talis, vt ſapiens eſt?* cùm enim cæteri homines humi ſtrati cælum minimè ſuſpiciant, ipſe Deum vitæ ducem, quem ſolum ſibi ſequendum propoſuit, intuetur. *Quis igitur* talis, *vt ſapiens?* nemo profectò, in tanta præſertim noſtri generis labe. Verùm id quidem non ſolùm confitemur, ſed prædicandum omnibus eſſe ducimus. Cùm tamen nos Salomon rectos, ad omnium ſcilicet virtutum genera optimè informatos fuiſſe aſſerat, illius in quo fueramus ſtatu, deſiderio cruciamur. Cùm verò inde ceciderimus, quia multis nos negotiis moleſtiiſque implicuimus, dolemus vehementer, illiſque nos expedire cupimus: & cùm tantopere ſapientiam laudari cernimus, illius comparandæ ſtudio flagramus.

Reliquum erat, vt aliquam noſtris malis medicinam adhiberet, *& quis,* inquit, *cognouit ſolutionem verbi?* is nempe qui ſapientiam fuerit conſecutus. Nec enim aliunde, niſi ab illius, quæ huic orationi anteceſſit, & cum ea cohæret, ſententiæ cognitione, ſapientia pendet. Hanc verò ſententiæ cognitionem, *verbi ſolutionem* appellat. Vna igitur, eadémque opera, & ſapientiam officiorum præceptricem commendat, & illius comparandæ rationem oſtendit. Nam in hominum moribus, cùm ad omnia virtutum genera fuiſſent â Deo, optimè inſtituti, deſertum omnino, vt Salomon paulo antè aſſeruit, virtutis ſtudium obſoleuit, quia infinitis ſe propemodum negotiis conſtrinxerant. Hoc autem qui attentiùs cogitarit, & in eo acerrimè contemplando ſe totum poſuerit, id generi noſtro reperiet, interitum attuliſſe virtutis: quare ab eo, vnde tantum in nos malum emanauit, fugiet, & illud quod ei opponitur, omni ſtudio, & animo conſequetur. *Quis* igitur *cognouit ſolutionem verbi?* is profectò qui hæc, quæ diximus comperta habet & manifeſta, & infixa illius hærent animo: Quis talis, vt hic erit, vir præſtans, & excellens? Nam harum rerum vagum, fuſum, & multiplex ſtudium deponet, & mentem ſuam ad illud vnum ſimplex, conſtans, & ad Deum adhæreſcens, ſtudium flectet. Hinc autem, quaſi è tenebris emerſus, ſapientiæ incipiet lumen proſpicere, eóque illuſtrari.

CAPVT



# CAPVT VIII.

*Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem eius commutabit.*



FRVCTVS sapientiæ breui oratione complectitur: cùm enim homines molestis negotiis, & operosis, angoribúsque implicentur,& ideo constricti peccandi consuetudine, officium deserant;is profectò, qui sapiens sit, primùm, vt diximus, ab iis curis se vindicat, & ad vnam sapientiam se totum confert, ab eáque, lucem in his tenebris accipit, qua illius vita circumfusa, cæteris hominibus luceat,& splendeat semper. *Sapientia hominis lucet in vultu eius.* Est autem vultus,imago animi,& sermo quidam tacitus mentis, quo mores, & animi affectiones indicantur: quamobrem tum animi moderationem, tum intemperantiam,eo nomine sacri scriptores significant, vt eleganter quidem Isaias, *Agnitio*,inquit,*vultus eorum respondit eis.* Et Salomon, *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum. Et humiliabitur*, inquit Oseas, *superbia Israel in facie eius.*

Cic. in Pis. Vultus, imago animi, & sermo mentis tacitus. Isai.2. Prou.21. Ose.7.

Est autem hominis forma,& facies, inter omnes cæterarum animantium,præstans,ad imperium quidem congruens,& ad rerum maximè diuinarum apta contemplationem. Cùm vero qualis cuiusque animi sit affectus,talem esse hominem iudicemus, meritò quidem, cùm facies affectiones animi exprimat, quales sint hominis mores, quísve animi status,
Prou.17. hoc vno faciei,& vultus nomine explicamus, vt Salomon,*In facie*,inquit, *prudentis lucet sapientia.* Non enim is, qui de rebus diuinis valde subtiliter,& copiosè differit,sapiens est habendus, si mores ab ipsa sapientia non
Cic. Tusc. c. 3. effingat. Est enim, vt prisci illi philosophi differebant, nihil aliud sapientia, quàm rerum moderatrix, virtutum omnium princeps, & sanitas animi. His autem multò quidem antiquior Salomon,hæc de sapientia luculenter differuit, *Si intrauerit sapientia, cor tuum, & scientia anima tua placuerit,consilium custodiet te, & prudentia seruabit te, vt eruaris à via mala: longitudo dierum in dextera eius, in sinistra illius diuitiæ, & gloria,via illius, via pulchra, & omnes semitæ illius pacificæ: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Non igitur in oratione tantum, quæ grauis, & conspersa sit quasi verborum sententiarúmque floribus, sapientia elucet,sed in actis maximè splendet, adeo vt cognitio contemplatióque naturæ,& dicendi viis, manca quodammodo sit & inchoata, si nulla honesta præclaráque actio rerum consequatur. Vnde præclarè Salomon hoc in loco,*sapientia*, inquit, *hominis,lucet in vultu eius.* In moribus scilicet,& in actionibus,quæ virtutibus sunt consentaneæ.

Pron.2. Prou.3. Prou.13.

Ioan.5. Diuinitus quidem,Deum se,esse, Christus hac vna ratione Iudæis probauit; *opera* enim, inquit, *quæ dedit Pater, vt perficiam ea, ipsa opera quæ*

ego

*ego facio, testimonium perhibent de me: quia pater misit me.* Et quis verè sapiens existimari possit, ne sapientiæ nos simulatio decipiat, ipse rerum omnium princeps ostendit. *Omnis*, inquit, *arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur; igitur ex fructibus eorũ cognoscetis eos, non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Mat. 7.

Non igitur ex oratione verbis exornata, nec ex rerum maximarum cognitione, veræ sapientiæ lumen hominibus elucet, sed in præclaris, honestisque actionibus, illud prospicimus. Est enim oratio, rerumque cognitio, prima quasi quædam, & inchoata sapientia: ab ea autem si ad vltimam, perfectamque volumus procedere, ad Dei similitudinem, vt homini licet, perueniamus necesse est. Hæc autem in hominum animis, sapientiæ, quæ nusquam perfecta est, absolutio, virtutum omnium ornamenta constituit, quæ ex vultu, oculis, & fronte perspici tum maximè possunt, cùm in præclaris actionibus, quasi lumen aliquod, sapientia elucet.

*Et potentissimus faciem eius commutabit.* Is, qui omnia natura complet, virtute perficit, & nutu moderatur, est quidem potentissimus; at cùm ipse solus verè sit sapiens, quomodò eorum, qui sapientiam sectantur faciem commutat? quemadmodum enim faciem ipsi nobis nõ possumus fingere, quæ mentis est ianua; nec quidem animum, nisi sapientiæ suæ lumen, ipse potentissimus præferat, nec virtutum muneribus excolere, nec vera possumus lætitia perfrui. Cùm igitur omnes *filij iræ* simus, vt inquit Paulus, & in summis ideo miserijs, & ignoratione rerum diuinarum versemur, ille faciem sapientis immutat, cùm eum à scelere reuocat, & diuinis sapientiæ muneribus afficit: vnde eximia lætitiæ voluptas proficiscitur, qua elatus, hæc infima deserit, supera petit, & eorum se totum contemplationi tradit. Dum verò in hominis animo sapientia insidet, eum non solùm à sceleris tyrannide vindicat, sed depulsis etiam tenebris illustrat, vt splendore cæteris hominibus colluceat, nam, vt Ecclesiasticus inquit, *Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, & consilium illius, sicut fons vitæ permanet, & vir sapiens plebem suam erudit, & fructus sensus illius fideles sunt.* Ac potentissimus ille princeps, genus hominum sapientiæ muneribus donat, *Dominus*, inquit Salomon, *dat sapientiam, & ex ore eius prudentia, & scientia.* 2. Eph. 3. Eccl. 21. & 31. Prou. 2.

Quare Salomon cùm in sapientis actionibus virtutem asserat enitere, quæ à sancto & augusto quasi sapientiæ fonte, in genus hominum emanat, Deum totius sapientiæ autorem statim commemorat, qui cùm potentissimus sit, sapientiam hominibus tribuens, eorum dicitur faciem commutare. Si verò Hebræum totidem verbis transferas, hæc erit huius loci sententia, *sapientia hominis lucere faciet faciẽ eius, & fortitudo facierum eius mutabitur.* Est autem *fortitudo facierum*, animi durities, & in suscepta semel viuendi ratione sententiæ obstinatio, quæ Dei monita præscriptaque repudiat, vt est illud de Iudæis præclarè quidem à Ieremia, *Domine, oculi tui, respiciunt fidem, percussisti eos & non doluerunt; attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam indurauerunt facies suas supra petram & noluerunt reuerti.* Et Ezechielem his verbis Hebræorum mores Ier. 5. Ezech. 2.

Dominus edocet, *filij dura facie, & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te.* Hanc animi fortitudinem, duritiem scilicet, sapientia mollit, vt velut ager mollitus, & oblimatus animus, virtutum semen, Dei manu sparsum, suscipiat, quare *fortitudo facierum eius mutabitur.* Antequam sapientiæ ad se aditum aperuisset, durior quidem, & obfirmatior, & peruersissimis fuerat moribus, cùm primùm verò ei adfuit sapientia, morum cœpit in eo, & studiorum, totiúsque vitæ fieri commutatio. Nam *per sapientiam,* vt inquit sapiens, *sanati sunt, quicunque placuerunt tibi Domine à principio.* Sap. 9.

Hanc verò, Septuaginta & duo interpretes, Salomonis orationem his sunt verbis interpretati, *Sapientia hominis illuminabit vultum eius, & inuerecundus facie sua, odio habebitur.* Et Chaldæus, *sapientia,* inquit, *viri sapientis illustrat splendorem faciei eius inter iustos; & impudens facie, immutantur viæ eius de bono in malum.* Quasi sapienti, Salomon, insipientem opponat, vt inde clariùs splendescat sapientia, illiúsque dignitatem & amplitudinem admiremur, vt enim sapiens præclarè se gerit, cùm virtute plurimùm præstet, & gloria maximè excellit: ita insipiens, errore opinionum ductus, in ratione vitæ peccat, & in officio turpissimè labitur, opertúsque dedecore & ignominijs omnibus appetitus, naturæ vi erubescit, & in hominum insigne quidem odium incurrit.

## *Ego os Regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei.*

Obedientiæ sinu, & complexu contineri sapientiam affirmat, vt si quis eam velit adipisci, Deo se obedientem præbeat, & in vita instituenda, illius præscripta seruet. Præclarè quidem Ecclesiasticus, *Filij,* inquit, *sapientia, Ecclesia iustorum, & natio illorum, obedientia, & dilectio.* Eccl. 3.

Rom. 7. & 8. Est autem duplex in homine lex, vt docet Paulus, altera mentis, & spiritus vitæ in Christo Iesu, quæ & *Dei lex* appellatur: altera, membrorum, *peccati,* & *mortis* nuncupatur, quæ carnis, & ipsa esse *caro* dicitur. Hæc sensuum lenocinijs hominem astringit, & ne quid amplius, quàm quod sensus afferunt, amplectatur, irretitum tenet, in quo vis maxima illius tyrannidis existit: illa vinculis soluit, vt rerum momenta, mens ipsa ponderet, quid sequendum quídve fugiendum sit, ostēdit, à scelere auocat, ad honestatem ducit, & veram in animo libertatem cōstituit, vt lex ipsa sit libertatis. Solus autem sapiens liber est, libertas autem, si tyrannis vigeat, esse non potest. Oportet igitur, imò & necesse est, eum legi Dei obtemperare, & carnis in se tyrannidem, diuino præsidio stabilitum delere.

*Ego os Regis obseruo, & præcepta iuramenti eius.* Duplex Dei præceptorum genus commemorat, alterum, quod ea viuendi præcepta continet, quæ ille suis ita tradidit, vt iureiurando in eos, qui ea seruarent, se plurima beneficia collaturum polliceretur, eorúmque perditos mores, & conatus, qui ea negligerent, impositis supplicijs, vindicaturum; alterum, eorum, quæ dat pro tempore, & loco, vel futura pronuntiat, vt ea homines discant, vel animo antè percipiant, quorum perceptio ipsis maximè sit salutaris, & ad illius quasi normam, vitam dirigant: hæc ex ore illius dicuntur exire, & illis, quæ alterius sunt generis, hac in oratione, vt res diuersæ opponuntur.

Primùm

Primùm igitur Salomon, vt sapientiam consequeretur, ad illud Dei promissum, quo nullum vnquam potuit esse vberius, aut maius, mentis oculos coniecit, quo in se ille futurum recepit, vt ipse humana indutus forma, genus hominum, à peccati, hoc est, ab insipientiæ tyrannide vindicaret; hinc enim, nec aliunde, veram poterat haurire sapientiam. Quemadmodum verò sacer autor, vt eum, qui obedientiam abiecerat, significaret, inquit, *qui contradixerit ori tuo*, Et, *vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini*: Ita hoc in loco Salomon, vt sapientiam obediendo se fuisse adeptum ostendat, *Ego*, inquit, *os Regis obseruo.* Legi autem scriptæ, quam *præcepta iuramenti Dei*, vocat, ita se affirmat adhæsisse, vt eam, ad id præcipuum Dei promissum, quo Messiam venturum sperabat, constanter reuocaret. Non enim lex poterat hominum animis præstare sapientiam, quia, vt inquit Paulus, *ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo; iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi.* Meritò igitur Salomon, obedientiam fidei, legi prætulit, & legis normam esse fidem statuit, & vt ad sapientiam consequendam, non quancunque, sed fidei esse obedientiam necessariam ostendat, *Ego*, inquit, primùm *os Regis obseruo*, deinde, *Præcepta iuramenti eius.*

Iosu 1.
3. Reg. 1.
Rom. 3.

Septuaginta & duo interpretes hoc in loco Salomonem putant suos de officio Regi præstãdo admonere, in eóque maximũ requirere studium, sic enim illi hunc locum Græcè verterunt, *os Regi obserua*, & de sermone iuramenti Dei, Chaldæus quoque, non de se ipso Salomonem habuisse orationem hoc in loco existimat, sed suos, vt iussa regis in reprehensionem minimè vocent, illísque singulari studio obtemperent, & iureiurando frustra, aut temere se non astringant, admonere.

*Ne festines recedere à facie eius, neque permaneas in opere malo, quia omne quod voluerit, faciet, & sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest, quare ita facis? Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali.*

Ad obedientiam Salomon hortatur, quam ne vmquam, Deo, cui subiecti sumus lege naturæ, abiiciamus, illius in nos collata beneficia efficere potuissent, & tamẽ cùm maxima sint, ac si vilia essent, quia quotidiana sunt & communia, parui ducimus. Nobis igitur Salomon, summi principis timorem inijcit, qui appetitus frænet, & intra rationis terminos contineat. *Ne festines recedere à facie eius.* A sensibus, etsi rerum cognitio incipiat, haud tamen in illis est iudicium veritatis: non enim id, quod simplex, & vnius modi est, illi cernunt, in quo omnis veritas inest. Cùm igitur sensus nobis aliquid afferunt, & velut iucundum, suauéque tradunt, admonet Salomon, ne festines, ne scilicet appetitus præcurrat rationem, sed eam consequatur.

Est autem *recedere à facie eius*, obedientiam relinquere, & iussa aspernari, vt est illud sapientis. *Impij autem secundùm quæ cogitauerunt, correptionem habebunt, qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt.* Et, *Ab hac vt re-* Sap. 3. Sap. 10.

*cessit in iustus, in ira sua deperijt.* Obedientiam verò abijcimus, vel cùm temere in officio labimur, vel cùm ita sumus in scelere, vt in eo vitæ statu maneamus. Quãobrem admonet, primùm vt quisque temeritatem cohibeat, & ab omni lapsu contineat, in quo primus quasi officij splendor elucet, *Ne inquit festines recedere à facie eius.* Deinde, quia in scelus naturæ corruptela ducimur, *scio* enim, inquit Paulus, *quia non habitat in me*, hoc est, in carne mea *bonum.* Si quando carnis illecebris ducti, officium deseruimus, ad id statim redeamus, *Ne permaneas*, inquit, *in opere malo.* Ne si diutiùs in scelere versemur, iram in nos diuinam excitemus, *An*, inquit Paulus, *diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram, in die iræ & reuelationis, iusti iudicij Dei?*

Rom. 7.

Rom. 2.

Vt autem cùm scelus commisimus, statim nos ab eo seuocemus, diuini numinis virtutem potentiamque, ad timorem ita proponit, vt simul illius in genus hominum, benignitatem commendet, qui nunquam sibi supplicem excludit. Nam non ita est sceleris vindex, vt in supplicio imponendo, misericordiam non adhibeat, imò cùm nemo ab eo possit, actionum suarum, quæ ratio, quiue modus fuerit, postulare, ita se in vindicando gerit, vt si à scelere commisso abhorreas, ipse quoque te à suppliciorum metu, vindictáque liberet; *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum*, inquit Zacharias, *& conuertar ad vos, dicit dominus exercituum.* Præclarè quidem Ioannes, *Si confiteamur*, inquit, *peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Zach. 1.
1. Ioan. 1.

Luculenter quidem Oseas hunc, vt ita dicam, Dei amorem, & consuetudinem exponit, cùm populum Israëlis, ad scelerum detestationem, his verbis allicit, *Conuertere Israël ad Dominum Deum, quoniam corruisti in iniquitate tua; tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei, omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum, Assur non saluabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus vltra, Dij nostri opera manuum nostrarum, quia eius, qui in te est, misereberis pupilli.* Quàm verò facilè hæc errati confessio, Deum ad misericordiam reuocarit, illisque hominibus occurrerit, ipse vir Sanctus explicat, cùm Deum sic loquentem inducit, *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè, quia auersus est furor meus ab eis, ero quasi ros Israeli, germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius, vt libani.*

Ose. 14.

Hoc idem, Salomon dum nos admonet, vt in officium redire, omni festinatione properemus, innuit: nisi enim omnibus reditus in gratiam pateret, frustra Dei timore nobis iniecto, ne in scelere simus, hortaretur. Hic autem numinis timor, animum à temeritate seiungit, & ne nimis appetat, néue præceps feratur, cohibet, nam dum animus alienam, & offensam Dei voluntatem perhorrescit, ad eam, velut ad normam, vitæ suæ actiones dirigit: at si in tantis tenebris aliquid offendat, neque enim fieri potest, vt nusquam incurrat; eum non hic sanctissimi numinis metus frangit, aut debilitat, sed a scelere, quo nihil potest esse grauius, aut perniciosius malum reuocat.

Vt

Vt autem ipse rerum omnium conditor, naturæ prouidens dedit animantibus metum, cauendi causa, vt saluti faciliùs consulerent, ita & hominum animis, vt illius offensionem effugiant, sui numinis metum abiicit, quem in singularis beneficij loco reponimus: nisi metum, quo animantes, quæ sibi sunt perniciosa fugiunt, reprehendas. Omnes autem, quæ bona sunt natura appetunt, & à malis natura declinant: hæc autem si cum ratione fiat à malis declinatio, sapiens quidem cautio meritò appellatur, si verò sine ratione, cum pacti animi humili exâminatione, reprehenditur. 3.Eth.6.3. mor. vnd. 3.

Inter ea autem, quæ hominibus accidunt, vel interitum afferunt, vel molestiam: illa vt, & quando oportet, timenda sunt; hæc autem animum quidem mouent, & afficiunt, sed in metu ponenda non sunt. Illa quoque in duplici sunt genere, vel enim mentem humanam superant, vel ab ea vinci, & superari possunt, quanuis interitus terrorem afferant: hæc timere, non ita vt animum abiiciat, fortis est, & sapiẽtis hominis officium, quinimò, & infamiam vir probus metuit, eámque omni conatu, & viribus effugiet. Num igitur insipiens, & timidus erit ille existimandus, qui ob scelus commissum, timeat summi principis offensionem, & impendens sibi supplicium metuat? Minimè quidem. Illius enim numen nullis poterit placare precibus, nec se illi supplicem ad pedes abiiciet, nisi priùs illius in vindicando, vim timeat: supplicij enim diuini metus, vt diximus, in vitia, quasi in procliue incitatum, animum sustinet, & ad virtutis studium, inde seuocat. Hic igitur numinis metus dum animum, vel à scelere reuocat, vel continet, ne præcipitet, eum cum Deo in veterem gratiam, & charitatem reducit, vt ipse gratiæ sit reconciliatæ radix, & initium: vnde Sapienter quidem Dauid, & Salomon, hunc timorem, sapientiæ esse principium affirmarunt: quem hoc in loco Salomon, dum potentiam Dei, verbis effert, eámq; nobis ante oculos proponit, animis iniicit, eos enim hic numinis metus, quodammodo circunsepit, ne vltra quàm postulat ratio progrediantur, progredientes verò comitatur, vt impediat, & longiùs progressos, inde ad sapientiam retrahit. Psal.110. Prou.6.

Cùm autem omnis legitima potestas à Deo sit orta, is, qui ei obtemperat, Deo quoque obediens est, & timor, quem illa iniicit, à scelere quoque, sibi subiectos, ad virtutis studium auocat, neque quisquam priuatus homo magistratibus resistit, quin tanti commissi sceleris pœnam subeat: est enim tum à summo principe, in eum pœna constituta, tum maxima in magistratibus facultas, & impiorum, pœna eum, quam meretur, afficiendi. Quamobrem hanc Salomonis orationem, tnm de Deo, cùm etiam de rege & summis magistratibus interpretamur. Vitam verò, actiones, & consilia, si officio, hoc est Dei lege, timoréque, & legitimi principis iussis, moderemur, nihil statutæ scelerato pœnæ sustinebimus. *Qui custodit præceptum non experietur quicquam mali.* Hoc quidem elegãter sic Paulus explicat, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi dãnationem acquirunt, nam* Rom.13.

*cessit in iustus, in ira sua deperijt.* Obedientiam verò abijcimus, vel cùm temere in officio labimur, vel cùm ita sumus in scelere, vt in eo vitæ statu maneamus. Quãobrem admonet, primùm vt quisque temeritatem cohibeat, & ab omni lapsu contineat, in quo primus quasi officij splendor elucet, *Ne inquit festines recedere à facie eius.* Deinde, quia in scelus naturæ corruptela ducimur, *scio* enim, inquit Paulus, *quia non habitat in me*, hoc est, in carne mea *bonum.* Si quando carnis illecebris ducti, officium deseruimus, ad id statim redeamus, *Ne permaneas*, inquit, *in opere malo.* Ne si diutiùs in scelere versemur, iram in nos diuinam excitemus, *An*, inquit Paulus, *diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram, in die iræ & reuelationis, iusti iudicij Dei?*

Rom. 7.

Rom. 2.

Vt autem cùm scelus commisimus, statim nos ab eo seuocemus, diuini numinis virtutem potentiamque, ad timorem ita proponit, vt simul illius in genus hominum, benignitatem commendet, qui nunquam sibi supplicem excludit. Nam non ita est sceleris vindex, vt in supplicio imponendo, misericordiam non adhibeat, imò cùm nemo ab eo possit, actionum suarum, quæ ratio, quiue modus fuerit, postulare, ita se in vindicando gerit, vt si à scelere commisso abhorreas, ipse quoque te à suppliciorum metu, vindictáque liberet; *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum*, inquit Zacharias, *& conuertar ad vos, dicit dominus exercituum.* Præclarè quidem Ioannes, *Si confiteamur*, inquit, *peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Zach. 1.
1. Ioan. 1.

Luculenter quidem Oseas hunc, vt ita dicam, Dei amorem, & consuetudinem exponit, cùm populum Israëlis, ad scelerum detestationem, his verbis allicit, *Conuertere Israël ad Dominum Deum, quoniam corruisti in iniquitate tua, tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei, omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum, Assur non saluabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus vltra, Dij nostri opera manuum nostrarum, quia eius, qui in te est, misereberis pupilli.* Quàm verò facilè hæc errati confessio, Deum ad misericordiam reuocarit, illisque hominibus occurrerit, ipse vir Sanctus explicat, cùm Deum sic loquentem inducit, *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè, quia auersus est furor meus ab eis, ero quasi ros Israeli, germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius, vt libani.*

Ose. 14.

Hoc idem, Salomon dum nos admonet, vt in officium redire, omni festinatione properemus, innuit: nisi enim omnibus reditus in gratiam pateret, frustra Dei timore nobis iniecto, ne in scelere simus, hortaretur. Hic autem numinis timor, animum à temeritate seiungit, & ne nimis appetat, néue præceps feratur, cohibet, nam dum animus alienam, & offensam Dei voluntatem perhorrescit, ad eam, velut ad normam, vitæ suæ actiones dirigit: at si in tantis tenebris aliquid offendat, neque enim fieri potest, vt nusquam incurrat; eum non hic sanctissimi numinis metus frangit, aut debilitat, sed a scelere, quo nihil potest esse grauius, aut perniciosius malum reuocat.

Vt.

Vt autem ipse rerum omnium conditor, naturæ prouidens dedit animantibus metum, cauendi causa, vt saluti faciliùs consulerent, ita & hominum animis, vt illius offensionem effugiant, sui numinis metum abiicit, quem in singularis beneficij loco reponimus: nisi metum, quo animantes, quæ sibi sunt perniciosa fugiunt, reprehendas. Omnes autem, quæ bona sunt natura appetunt, & à malis natura declinant: hæc autem si cum ratione fiat à malis declinatio, sapiens quidem cautio meritò appellatur, si verò sine ratione, cum pacti animi humili examinatione, reprehenditur. 3.Eth.6.3. mor. vnd. 3.

Inter ea autem, quæ hominibus accidunt, vel interitum afferunt, vel molestiam: illa vt, & quando oportet, timenda sunt; hæc autem animum quidem mouent, & afficiunt, sed in metu ponenda non sunt. Illa quoque in duplici sunt genere, vel enim mentem humanam superant, vel ab ea vinci, & superari possunt, quamuis interitus terrorem afferant: hæc timere, non ita vt animum abiiciat, fortis est, & sapiẽtis hominis officium, quinimò, & infamiam vir probus metuit, eámque omni conatu, & viribus effugiet. Num igitur insipiens, & timidus erit ille existimandus, qui ob scelus commissum, timeat summi principis offensionem, & impendens sibi supplicium metuat? Minimè quidem. Illius enim numen nullis poterit placare precibus, nec se illi supplicem ad pedes abiiciet, nisi priùs illius in vindicando, vim timeat: supplicij enim diuini metus, vt diximus, in vitia, quasi in procliue incitatum, animum sustinet, & ad virtutis studium, inde seuocat. Hic igitur numinis metus dum animum, vel à scelere reuocat, vel continet, ne præcipitet, eum cum Deo in veterem gratiam, & charitatem reducit, vt ipse gratiæ sit reconciliatæ radix, & initium: vnde Sapienter quidem Dauid, & Salomon, hunc timorem, sapientiæ esse principium affirmarunt: quem hoc in loco Salomon, dum potentiam Dei, verbis effert, eámq; nobis ante oculos proponit, animis iniicit, eos enim hic numinis metus, quodammodo circunsepit, ne vltra quàm postulat ratio progrediantur, progredientes verò comitatur, vt impediat, & longiùs progressos, inde ad sapientiam retrahit. Psal.110. Prou.6.

Cùm autem omnis legitima potestas à Deo sit orta, is, qui ei obtemperat, Deo quoque obediens est, & timor, quem illa iniicit, à scelere quoque, sibi subiectos, ad virtutis studium auocat, neque quisquam priuatus homo magistratibus resistit, quin tanti commissi sceleris pœnam subeat: est enim tum à summo principe, in eum pœna constituta, tum maxima in magistratibus facultas, & impiorum, pœna eum, quam meretur, afficiendi. Quamobrem hanc Salomonis orationem, tum de Deo, cùm etiam de rege & summis magistratibus interpretamur. Vitam verò, actiones, & consilia, si officio, hoc est Dei lege, timoréque, & legitimi principis iussis, moderemur, nihil statutæ scelerato pœnæ sustinebimus. *Qui custodit præceptum non experietur quicquam mali.* Hoc quidem elegãter sic Paulus explicat, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi dãnationem acquirunt, nam* Rom.13.

*cessit in iustus, in ira sua deperijt.* Obedientiam verò abijcimus, vel cùm temere in officio labimur, vel cùm ita sumus in scelere, vt in eo vitæ statu maneamus. Quàobrem admonet, primùm vt quisque temeritatem cohibeat, & ab omni lapsu contineat, in quo primus quasi officij splendor elucet, *Ne inquit festines recedere à facie eius.* Deinde, quia in scelus naturæ corruptela ducimur, *scio* enim, inquit Paulus, *quia non habitat in me*, hoc est, in carne mea *bonum.* Si quando carnis illecebris ducti, officium deseruimus, ad id statim redeamus, *Ne permaneas*, inquit, *in opere malo.* Ne si diutiùs in scelere versemur, iram in nos diuinam excitemus, *An*, inquit Paulus, *diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram, in die iræ & reuelationis, iusti iudicij Dei?*

Rom.7.

Rom.2.

Vt autem cùm scelus commisimus, statim nos ab eo seuocemus, diuini numinis virtutem potentiamque, ad timorem ita proponit, vt simul illius in genus hominum, benignitatem commendet, qui nunquam sibi supplicem excludit. Nam non ita est sceleris vindex, vt in supplicio imponendo, misericordiam non adhibeat, imò cùm nemo ab eo possit, actionum suarum, quæ ratio, quiue modus fuerit, postulare, ita se in vindicando gerit, vt si à scelere commisso abhorreas, ipse quoque te à suppliciorum metu, vindictaque liberet; *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum*, inquit Zacharias, *& conuertar ad vos, dicit dominus exercituum.* Præclarè quidem Ioannes, *Si confiteamur*, inquit, *peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Zach.1.
1.Ioan.1.

Luculenter quidem Oseas hunc, vt ita dicam, Dei amorem, & consuetudinem exponit, cùm populum Israëlis, ad scelerum detestationem, his verbis allicit, *Conuertere Israël ad Dominum Deum, quoniam corruisti in iniquitate tua, tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei, omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum, Assur non saluabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus vltra, Dij nostri opera manuum nostrarum, quia eius, qui in te est, misereberis pupilli.* Quàm verò facilè hæc errati confessio, Deum ad misericordiam reuocarit, illisque hominibus occurrerit, ipse vir Sanctus explicat, cùm Deum sic loquentem inducit, *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè, quia auersus est furor meus ab eis, ero quasi ros Israeli, germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius, vt libani.*

Ose.14.

Hoc idem, Salomon dum nos admonet, vt in officium redire, omni festinatione properemus, innuit: nisi enim omnibus reditus in gratiam pateret, frustra Dei timore nobis iniecto, ne in scelere simus, hortaretur. Hic autem numinis timor, animum à temeritate seiungit, & ne nimis appetat, néue præceps feratur, cohibet, nam dum animus alienam, & offensam Dei voluntatem perhorrescit, ad eam, velut ad normam, vitæ suæ actiones dirigit: at si in tantis tenebris aliquid offendat, neque enim fieri potest, vt nusquam incurrat; eum non hic sanctissimi numinis metus frangit, aut debilitat, sed a scelere, quo nihil potest esse grauius, aut perniciosius malum reuocat.

Vt autem ipse rerum omnium conditor, naturæ prouidens dedit animantibus metum, cauendi causa, vt saluti faciliùs consulerent, ita & hominum animis, vt illius offensionem effugiant, sui numinis metum abiicit, quem in singularis beneficij loco reponimus: nisi metum, quo animantes, quæ sibi sunt perniciosa fugiunt, reprehendas. Omnes autem, quæ bona sunt natura appetunt, & à malis natura declinant: hæc autem si cum ratione fiat à malis declinatio, sapiens quidem cautio meritò appellatur, si verò sine ratione, cum pacti animi humili examinatione, reprehenditur. 3.Eth.6.3. mor. vnd. 3.

Inter ea autem, quæ hominibus accidunt, vel interitum afferunt, vel molestiam: illa vt, & quando oportet, timenda sunt; hæc autem animum quidem mouent, & afficiunt, sed in metu ponenda non sunt. Illa quoque in duplici sunt genere, vel enim mentem humanam superant, vel ab ea vinci, & superari possunt, quamuis interitus terrorem afferant: hæc timere, non ita vt animum abiiciat, fortis est, & sapiētis hominis officium, quinimò, & infamiam vir probus metuit, eamque omni conatu, & viribus effugiet. Num igitur insipiens, & timidus erit ille existimandus, qui ob scelus commissum, timeat summi principis offensionem, & impendens sibi supplicium metuat? Minimè quidem. Illius enim numen nullis poterit placare precibus, nec se illi supplicem ad pedes abiiciet, nisi priùs illius in vindicando, vim timeat: supplicij enim diuini metus, vt diximus, in vitia, quasi in procliue incitatum, animum sustinet, & ad virtutis studium, inde seuocat. Hic igitur numinis metus dum animum, vel à scelere reuocat, vel continet, ne præcipitet, eum cum Deo in veterem gratiam, & charitatem reducit, vt ipse gratiæ sit reconciliatæ radix, & initium: vnde Sapienter quidem Dauid, & Salomon, hunc timorem, sapientiæ esse principium affirmarunt: quem hoc in loco Salomon, dum potentiam Dei, verbis effert, eámq; nobis ante oculos proponit, animis iniicit, eos enim hic numinis metus, quodammodo circumsepit, ne vltra quàm postulat ratio progrediantur, progredientes verò comitatur, vt impediat, & longiùs progressos, inde ad sapientiam retrahit. Psal.110. Prou.6.

Cùm autem omnis legitima potestas à Deo sit orta, is, qui ei obtemperat, Deo quoque obediens est, & timor, quem illa iniicit, à scelere quoque, sibi subiectos, ad virtutis studium auocat, neque quisquam priuatus homo magistratibus resistit, quin tanti commissi sceleris pœnam subeat: est enim tum à summo principe, in eum pœna constituta, tum maxima in magistratibus facultas, & impiorum, pœna eum, quam meretur, afficiendi. Quamobrem hanc Salomonis orationem, tum de Deo, cùm etiam de rege & summis magistratibus interpretamur. Vitam verò, actiones, & consilia, si officio, hoc est Dei lege, timoréque, & legitimi principis iussis, moderemur, nihil statutæ scelerato pœnæ sustinebimus. *Qui custodit præceptum non experietur quicquam mali.* Hoc quidem elegāter sic Paulus explicat, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi dānationem acquirunt, nam* Rom.13.

*cessit in iustus, in ira sua deperijt.* Obedientiam verò abijcimus, vel cùm temere in officio labimur, vel cùm ita sumus in scelere, vt in eo vitæ statu maneamus. Quãobrem admonet, primùm vt quisque temeritatem cohibeat, & ab omni lapsu contineat, in quo primus quasi officij splendor elucet, *Ne inquit festines recedere à facie eius.* Deinde, quia in scelus naturæ corruptela ducimur,
Rom.7. *scio* enim, inquit Paulus, *quia non habitat in me*, hoc est, in carne mea *bonum.* Si quando carnis illecebris ducti, officium deseruimus, ad id statim redeamus, *Ne permaneas*, inquit, *in opere malo.* Ne si diu-
Rom.2. tiùs in scelere versemur, iram in nos diuinam excitemus, *An*, inquit Paulus, *diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram, in die iræ & reuelationis, iusti iudicij Dei?*

Vt autem cùm scelus commisimus, statim nos ab eo seuocemus, diuini numinis virtutem potentiamque, ad timorem ita proponit, vt simul illius in genus hominum, benignitatem commendet, qui nunquam sibi supplicem excludit. Nam non ita est sceleris vindex, vt in supplicio imponendo, misericordiam non adhibeat, imò cùm nemo ab eo possit, actionum suarum, quæ ratio, quiue modus fuerit, postulare, ita se in vindicando gerit, vt si à scelere commisso abhorreas, ipse quoque te à suppliciorum metu, vindictáque liberet; *Conuertimini ad*
Zach.1. *me, ait Dominus exercituum*, inquit Zacharias, *& conuertar ad vos, dicit*
1.Ioan.1. *dominus exercituum.* Præclarè quidem Ioannes, *Si confiteamur*, inquit, *peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Luculènter quidem Oseas hunc, vt ita dicam, Dei amorem, & consuetudinem exponit, cùm populum Israëlis, ad scelerum detestatio-
Ose.14. nem, his verbis allicit, *Conuertere Israël ad Dominum Deum, quoniam corruisti in iniquitate tua; tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei, omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum, Assur non saluabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus vltra, Dij nostri opera manuum nostrarum, quia eius, qui in te est, misereberis pupilli.* Quàm verò facilè hæc errati confessio, Deum ad misericordiam reuocarit, illísque hominibus occurrerit, ipse vir Sanctus explicat, cùm Deum sic loquentem inducit, *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè, quia auersus est furor meus ab eis, ero quasi ros Israeli, germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius, vt libani.*

Hoc idem, Salomon dum nos admonet, vt in officium redire, omni festinatione properemus, innuit: nisi enim omnibus reditus in gratiam pateret, frustra Dei timore nobis iniecto, ne in scelere simus, hortaretur. Hic autem numinis timor, animum à temeritate seiungit, & ne nimis appetat, néue præceps feratur, cohibet, nam dum animus alienam, & offensam Dei voluntatem perhorrescit, ad eam, velut ad normam, vitæ suæ actiones dirigit: at si in tantis tenebris aliquid offendat, neque enim fieri potest, vt nusquam incurrat; eum non hic sanctissimi numinis metus frangit, aut debilitat, sed a scelere, quo nihil potest esse grauius, aut perniciosius malum reuocat.

Vt autem ipse rerum omnium conditor, naturæ prouidens dedit animantibus metum, cauendi causa, vt saluti faciliùs consulerent, ita & hominum animis, vt illius offensionem effugiant, sui numinis metum abiicit, quem in singularis beneficij loco reponimus: nisi metum, quo animantes, quæ sibi sunt perniciosa fugiunt, reprehendas. Omnes autem, quæ bona sunt natura appetunt, & à malis natura declinant: hæc autem si cum ratione fiat à malis declinatio, sapiens quidem cautio meritò appellatur, si verò sine ratione, cum pacti animi humili exàminatione, reprehenditur. 3. Eth. 6. 3. mor. vnd. 3.

Inter ea autem, quæ hominibus accidunt, vel interitum afferunt, vel molestiam: illa vt, & quando oportet, timenda sunt; hæc autem animum quidem mouent, & afficiunt, sed in metu ponenda non sunt. Illa quoque in duplici sunt genere, vel enim mentem humanam superant, vel ab ea vinci, & superari possunt, quanuis interitus terrorem afferant: hæc timere, non ita vt animum abiiciat, fortis est, & sapiẽtis hominis officium, quinimò, & infamiam vir probus metuit, eamque omni conatu, & viribus effugiet. Num igitur insipiens, & timidus erit ille existimandus, qui ob scelus commissum, timeat summi principis offensionem, & impendens sibi supplicium metuat? Minimè quidem. Illius enim numen nullis poterit placare precibus, nec se illi supplicem ad pedes abiiciet, nisi priùs illius in vindicando, vim timeat: supplicij enim diuini metus, vt diximus, in vitia, quasi in procliue incitatum, animum sustinet, & ad virtutis studium, inde seuocat. Hic igitur numinis metus dum animum, vel à scelere reuocat, vel continet, ne præcipitet, eum cum Deo in veterem gratiam, & charitatem reducit, vt ipse gratiæ sit reconciliatæ radix, & initium: vnde Sapienter quidem Dauid, & Salomon, hunc timorem, sapientiæ esse principium affirmarunt: quem hoc in loco Salomon, dum potentiam Dei, verbis effert, eámq; nobis ante oculos proponit, animis iniicit, eos enim hic numinis metus, quodammodo circumsepit, ne vltra quàm postulat ratio progrediantur, progredientes verò comitatur, vt impediat, & longiùs progressos, inde ad sapientiam retrahit. Psal. 110. Prou. 6.

Cùm autem omnis legitima potestas à Deo sit orta, is, qui ei obtemperat, Deo quoque obediens est, & timor, quem illa iniicit, à scelere quoque, sibi subiectos, ad virtutis studium auocat, neque quisquam priuatus homo magistratibus resistit, quin tanti commissi sceleris pœnam subeat: est enim tum à summo principe, in eum pœna constituta, tum maxima in magistratibus facultas, & impiorum, pœna eum, quam meretur, afficiendi. Quamobrem hanc Salomonis orationem, tum de Deo, cùm etiam de rege & summis magistratibus interpretamur. Vitam verò, actiones, & consilia, si officio, hoc est Dei lege, timoréque, & legitimi principis iussis, moderemur, nihil statutæ scelerato pœnæ sustinebimus. *Qui custodit præceptum non experietur quicquam mali.* Hoc quidem elegãter sic Paulus explicat, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi dãnationem acquirunt, nam* Rom. 13.

Dominus edocet, *filij dura facie, & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te.* Hanc animi fortitudinem, duritiem scilicet, sapientia mollit, vt velut ager mollitus, & oblimatus animus, virtutum semen, Dei manu sparsum, suscipiat, quare *fortitudo faciei eius mutabitur.* Antequam sapientiæ ad se aditum aperuisset, durior quidem, & obfirmatior, & peruersissimis fuerat moribus, cùm primùm verò ei adfuit sapientia, morum cœpit in eo, & studiorum, totiúsque vitæ fieri commutatio. Nam *per sapientiam,* vt inquit sapiens, *sanati sunt, quicunque placuerunt tibi Domine à principio.*

Sap. 9.

Hanc verò, Septuaginta & duo interpretes, Salomonis orationem his sunt verbis interpretati, *Sapientia hominis illuminabit vultum eius, & inuerecundus facie sua, odio habebitur.* Et Chaldæus, *sapientia,* inquit, *viri sapientis illustrat splendorem faciei eius inter iustos; & impudens facie, immutantur viæ eius de bono in malum.* Quasi sapienti, Salomon, insipientem opponat, vt inde clariùs splendescat sapientia, illiúsque dignitatem & amplitudinem admiremur, vt enim sapiens præclarè se gerit, cùm virtute plurimùm præstet, & gloria maximè excellit: ita insipiens, errore opinionum ductus, in ratione vitæ peccat, & in officio turpissimè labitur, opertúsque dedecore & ignominijs omnibus appetitus, naturæ vi erubescit, & in hominum insigne quidem odium incurrit.

## *Ego os Regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei.*

Obedientiæ sinu, & complexu contineri sapientiam affirmat, vt si quis eam velit adipisci, Deo se obedientem præbeat, & in vita instituenda, illius præscripta seruet. Præclarè quidem Ecclesiasticus, *Filij,* inquit, *sapientiæ, Ecclesia iustorum, & natio illorum, obedientia, & dilectio.*

Eccl. 3.

Rom. 7. & 8.

Est autem duplex in homine lex, vt docet Paulus, altera mentis, & spiritus vitæ in Christo Iesu, quæ & *Dei lex* appellatur: altera, membrorum, *peccati,* & *mortis* nuncupatur, quæ carnis, & ipsa esse *caro* dicitur. Hæc sensuum lenocinijs hominem astringit, & ne quid amplius, quàm quod sensus afferunt, amplectatur, irretitum tenet, in quo vis maxima illius tyrannidis existit: illa vinculis soluit, vt rerum momenta, mens ipsa ponderet, quid sequendum quidve fugiendum sit, ostẽdit, à scelere auocat, ad honestatem ducit, & veram in animo libertatem cõstituit, vt lex ipsa sit libertatis. Solus autem sapiens liber est, libertas autem, si tyrannis vigeat, esse non potest. Oportet igitur, imò & necesse est, eum legi Dei obtemperare, & carnis in se tyrannidem, diuino præsidio stabilitum delere.

*Ego os Regis obseruo, & præcepta iuramenti eius.* Duplex Dei præceptorum genus commemorat, alterum, quod ea viuendi præcepta continet, quæ ille suis ita tradidit, vt iureiurando in eos, qui ea seruarent, se plurima beneficia collaturum polliceretur, eorúmque perditos mores, & conatus, qui ea negligerent, impositis supplicijs, vindicaturum; alterum, eorum, quæ dat pro tempore, & loco, vel futura pronuntiat, vt ea homines discant, vel animo antè percipiant, quorum perceptio ipsis maximè sit salutaris. & ad illius quasi normam, vitam dirigant: hæc ex ore illius dicuntur exire, & illis, quæ alterius sunt generis, hac in oratione, vt res diuersæ opponuntur.

Primùm

Primùm igitur Salomon, vt sapientiam consequeretur, ad illud Dei promissum, quo nullum vnquam potuit esse vberius, aut maius, mentis oculos coniecit, quo in se ille futurum recepit, vt ipse humana indutus forma, genus hominum, à peccati, hoc est, ab insipientiæ tyrannide vindicaret; hinc enim, nec aliunde, veram poterat haurire sapientiam. Quemadmodum verò sacer autor, vt eum, qui obedientiam abiecerat, significaret, inquit, *qui contradixerit ori tuo*, Et, *vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini*: Ita hoc in loco Salomon, vt sapientiam obediendo se fuisse adeptum ostendat, *Ego*, inquit, *os Regis obseruo*. Legi autem scriptæ, quam *præcepta iuramenti Dei*, vocat, ita se affirmat adhæsisse, vt eam, ad id præcipuum Dei promissum, quo Messiam venturum sperabat, constanter reuocaret. Non enim lex poterat hominum animis præstare sapientiam, quia, vt inquit Paulus, *ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo; iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi*. Meritò igitur Salomon, obedientiam fidei, legi prætulit, & legis normam esse fidem statuit, & vt ad sapientiam consequendam, non quancunque, sed fidei esse obedientiam necessariam ostendat, *Ego*, inquit, primùm *os Regis obseruo*, deinde, *Præcepta iuramenti eius*.

Iosu 1.
3. Reg. 3.
Rom. 3.

Septuaginta & duo interpretes hoc in loco Salomonem putant suos de officio Regi præstādo admonere, in eóque maximū requirere studium, sic enim illi hunc locum Græcè verterunt, *os Regi obserua*, & de sermone iuramenti Dei, Chaldæus quoque, non de se ipso Salomonem habuisse orationem hoc in loco existimat, sed suos, vt iussa regis in reprehensionem minimè vocent, illísque singulari studio obtemperent, & iureiurando frustra, aut temere se non astringant, admonere.

*Ne festines recedere à facie eius, neque permaneas in opere malo, quia omne quod voluerit, faciet, & sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest, quare ita facis? Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali.*

Ad obedientiam Salomon hortatur, quam ne vmquam, Deo, cui subiecti sumus lege naturæ, abiiciamus, illius in nos collata beneficia efficere potuissent, & tamē cùm maxima sint, ac si vilia essent, quia quotidiana sunt & communia, parui ducimus. Nobis igitur Salomon, summi principis timorem inijcit, qui appetitus frænet, & intra rationis terminos contineat. *Ne festines recedere à facie eius*. A sensibus, etsi rerum cognitio incipiat, haud tamen in illis est iudicium veritatis: non enim id, quod simplex, & vnius modi est, illi cernunt, in quo omnis veritas inest. Cùm igitur sensus nobis aliquid afferunt, & velut iucundum, suauéque tradunt, admonet Salomon, ne festines, ne scilicet appetitus præcurrat rationem, sed eam consequatur.

Est autem *recedere à facie eius*, obedientiam relinquere, & iussa aspernari, vt est illud sapientis. *Impij autem secundùm quæ cogitauerunt, correptionem habebunt, qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt*. Et, *Ab hac vt re-*

Sap. 3.
Sap. 10.

Vt autem ipse rerum omnium conditor, naturæ prouidens dedit animantibus metum, cauendi causa, vt saluti faciliùs consulerent, ita & hominum animis, vt illius offensionem effugiant, sui numinis metum abiicit, quem in singularis beneficij loco reponimus: nisi metum, quo animantes, quæ sibi sunt perniciosa fugiunt, reprehendas. Omnes autem, quæ bona sunt natura appetunt, & à malis natura declinant: hæc autem si cum ratione fiat à malis declinatio, sapiens quidem cautio meritò appellatur, si verò sine ratione, cum pacti animi humili examinatione, reprehenditur. 3. Eth. 6. 3. mor. vnd. 3.

Inter ea autem, quæ hominibus accidunt, vel interitum afferunt, vel molestiam: illa vt, & quando oportet, timenda sunt; hæc autem animum quidem mouent, & afficiunt, sed in metu ponenda non sunt. Illa quoque in duplici sunt genere, vel enim mentem humanam superant, vel ab ea vinci, & superari possunt, quanuis interitus terrorem afferant: hæc timere, non ita vt animum abiiciat, fortis est, & sapiẽtis hominis officium, quinimò, & infamiam vir probus metuit, eámque omni conatu, & viribus effugiet. Num igitur insipiens, & timidus erit ille existimandus, qui ob scelus commissum, timeat summi principis offensionem, & impendens sibi supplicium metuat? Minimè quidem. Illius enim numen nullis poterit placare precibus, nec se illi supplicem ad pedes abiiciet, nisi priùs illius in vindicando, vim timeat: supplicij enim diuini metus, vt diximus, in vitia, quasi in procliue incitatum, animum sustinet, & ad virtutis studium, inde seuocat. Hic igitur numinis metus dum animum, vel à scelere reuocat, vel continet, ne præcipitet, eum cum Deo in veterem gratiam, & charitatem reducit, vt ipse gratiæ sit reconciliatæ radix, & initium: vnde Sapienter quidem Dauid, & Salomon, hunc timorem, sapientiæ esse principium affirmarunt: quem hoc in loco Salomon, dum potentiam Dei, verbis effert, eámq; nobis ante oculos proponit, animis iniicit, eos enim hic numinis metus, quodammodo circunsepit, ne vltra quàm postulat ratio progrediantur, progredientes verò comitatur, vt impediat, & longiùs progressos, inde ad sapientiam retrahit. Psal. 110. Prou. 6.

Cùm autem omnis legitima potestas à Deo sit orta, is, qui ei obtemperat, Deo quoque obediens est, & timor, quem illa iniicit, à scelere quoque, sibi subiectos, ad virtutis studium auocat, neque quisquam priuatus homo magistratibus resistit, quin tanti commissi sceleris pœnam subeat: est enim tum à summo principe, in eum pœna constituta, tum maxima in magistratibus facultas, & impiorum, pœna eum, quam meretur, afficiendi. Quamobrem hanc Salomonis orationem, tnm de Deo, cùm etiam de rege & summis magistratibus interpretamur. Vitam verò, actiones, & consilia, si officio, hoc est Dei lege, timoréque, & legitimi principis iussis, moderemur, nihil statutæ scelerato pœnæ sustinebimus. *Qui custodit præceptum non experietur quicquam mali.* Hoc quidem elegãter sic Paulus explicat, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi dãnationem acquirunt, nam* Rom. 13.

*principes non sunt timori, boni operis sed mali, vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.*

*Tempus & responsionem cor sapientis intelligit. Omni negotio tempus est, & opportunitas: & multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo potest scire nuntio.*

Si denique diuinis præceptis pareamus, si ius à Deo, & ab iis, quos ille cæteris hominibus præfecit, constitutum colamus, sapientiam quidem cõsequemur: nam cùm sapientia ex stirpe diuina sit generata, eam quidem propriis viribus, nobis parare non possumus, sed nostro generi, eam præstitit Deus, dum illud instituit ad honestatẽ, & ad omne officij munus instruxit. Hunc autem totius vitæ præceptorem sequimur, in quo sapientiam summam posuit antiquitas: si illius, in vita moderanda, instituta sequamur: quem non corporis vestigiis consequimur, sed mente nescimus, & in mundi fabrica, & in iis, quæ ad Religionem, & ad humanam societatem seruandam, hominibus præscripsit, quasi in vestigio ponimus.

Deum igitur, cùm hæc sola possimus ratione sequi, nulla profectò nobis reliqua erit ratio inueniendi sapientiam, præter vnam excelsi animi obedientiam, qua appetitus tenemus, & coërcemus, ne finem modúmque transeat, & Deum, dum nos illi præstamus obedientes, imitamur. Hunc autem mirabilis vtilitatis fructum, metus diuini numinis præbet: dum enim animus supplicij metu perculsus, quo in statu sit, animaduertit, sempiternam sibi pœnam fore sustinendam, & malum quidẽ sempiternum perhorrescit: ea quæ fecerat improbè, vertit, sapientiam expetit & legem Dei, vt pœnam in nocentes constitutam effugiat, sibi necessariò seruandam esse ducit. Cùm verò ex ea hominibus sapientiæ lumen eluceat, eam incipit attentiùs intueri, & summæ pulchritudinis specie commoueri, vnde amor emergit, vt iam non timore, sed impulsus amore, præceptis obediat. Hoc autem summa est in homine sapientia, vt sapiens luculenter quidem his verbis explicuit, *Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est, incorruptio autem facit esse proximum Deo.* Is igitur, qui præscriptis diuinis obtemperat, tum nullam nocentibus pœnam constitutam, ob scelus à se commissum sustinet, tum maximè splendor sapientiæ, in illius actionibus apparet: horum alterum Salomon asseruit, cùm inquit, *qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali.* Et nos ex Pauli sententia explicuimus.

Sap. 6.

Alterum verò his verbis explanat, *Tempus, & responsionem cor sapientis intelligit.* Deum enim nihil siue præteritum, siue futurum sit, & nobis circunfusum tenebris lateat, vllo modo fugit, quamobrem is, qui actiones vitæ ad mentis diuinæ normam dirigit, faciendi, vel non faciendi, opportunitates noscit, & quid de re quáque iudicandũ sit, non ignorat, cùm omnia ad mentem diuinam reuocet, quæ ad cognitionem praui & hone

honesti, regula quidē est, ad quam omnia iudicia rerū, diriguntur. *Tempus igitur, & responsionem, cor sapientis intelligit.* summus scilicet ille rerū omnium princeps intuetur omnia, cùm præsens omnibus adsit, & totius sapientiæ sit fons & origo: quare is, qui se illi instituendum tradiderit, illiúsque præceptis fuerit obediens, vt in tanta imbecillitate, & fragilitate humani generis fieri potest, erit sceleris expers, & eo quidem studio, sapientia inter cæteros homines præstabit. Cùm enim illi, in rerum ignoratione versentur, ipse quid honestum, quídve turpe sit, & quæ sit faciendi, vel non faciendi opportunitas, cognoscit.

Luculenter quidem Dauid hanc Salomonis sentētiam expresserat, cùm de supplicij diuini timore, ita disseruit, *sanctum & terribile nomen eius.* Ad timorem nobis, vt paulo antè fecerat Salomon, Dei numen, & maiestatem proponit. Addit deinde: *Initium sapientiæ timor domini.* Ne verò summi numinis terrorem frustra hominibus denuntiasse videretur, fructum huiusce terroris præstantissimum ostendit, sapientiam nempe, quæ etsi à Deo, hominibus detur; animos tamen erroribus infectos, & moribus agrestes, & duros, supplicij diuini metus subigit quodammodo, & mollit, vt diuinæ doctrinæ semen sparsum accipiant, ídque amplexu suo foueant, vt radices agat, & fructum ferat sapientiæ. *Intellectus*, inquit, *bonus omnibus facientibus eum.* Hoc est, vt ait Salomon, *Tempus & responsionem cor sapientis intelligit.* Psal. 110.

Tempus Salomon faciendi, vel non faciendi opportunitatem, appellat, huic enim, rationi hæc verba coniungit, *Omni negotio tempus est, & opportunitas. Responsio* verò ea est pars Sapientiæ, quæ actiones ad certam normam, siue regulam rationis dirigit, & quorsum vnaquæque spectet, demonstrat: nomen enim Hebræum, *iudicium*, normam, & regulam significat, lex nanque diuina, iustum ab iniusto, honestum à turpi distinguit, estque ipsa norma, ad quam sunt hominum facta reuocanda. Is igitur, qui legem diligenter obseruat, regulam quidem seruat, qua iusta, & iniusta, vera & falsa iudicentur: scit ergo tempus, quid scilicet lex iubeat, quid vetet, & opportunitates rerum lege metitur: responsionem quoque intelligit, cur nempe hoc, vel illud agendum sit, si responsione sit opus, ex lege diuina explicat, quam vitæ quasi regulam quia seruat, ab honesto; & à vero iudicio rerum non aberrat: cùm interim cæteri homines in rerum maximarum ignoratione versentur, præterita enim non tenent, & futura minimè prouident, vnde communis illa in qua sumus, oritur molestia, & afflictio, quæ vt morbus, animos omnium peruadit.

Tēpus pro faciendi aut non faciēdi opportunitate.

Ex hoc autē consequēs est, vt qui legi diuinæ paret, ex iis, quibus afficitur muneribus sapientiæ, incredibilē lætitiæ voluptatem capiat, Nam, vt inquit Salomon, *Multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo potest scire nuntio.* At qui Dei iussa, & legem obseruat, non eum illa, quæ cæteros homines, earum rerū quæ fuerunt, ignoratio, & quid consequens tempus sit allaturū solicitat, mentis nanq; diuinæ, quæ omnia intuetur, & prospicit, norma actiones suas dirigit, & iudiciū Dei, in omni negotio anteponit

ponit,suo. Quamobrũ cùm Deum,qui præterita,& futura,naturæ amplitudine,& infinitate complectitur, ante oculos habeat,eúmque vnum, in vita moderanda,intueatur,& ducem sequatur, præterita quidem, videre, & futura prouidere, meritò dici potest, præcipuè cùm ex lege diuina, ea omnia, ad illorum, qui legi diuinæ obtemperant, vtilitatem referri à Deo prospiciat. Hac igitur, quæ hominum animos tristitia contrahit, ipse caret,& lætitia, quam illi ex rerum cognitione minimè percipiunt, incredibili quidem,& propè diuina afficitur.

Nec hoc quidem mirum videri debet, cùm ij, qui legem diuinam negligunt, & infringunt, sensuum iudicio se ipsos moderandos subiiciant.
Gal.5. *Manifesta sunt* autem,inquit Paulus,*opera carnis,quæ sunt fornicatio,immunditia,impudicitia,luxuria,idolorum seruitus,veneficia,inimicitiæ, contentiones, æmulationes,iræ,rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes,& his similia.* At qui legem obseruat, se ipsum à sensuum consuetudine seuocat, & institutis diuinæ philosophiæ,ad decus, & ad honestatem,diuino se spiritui,informandum, tradit, cuius præceptis eruditus, optimum,& honestum,quod in vita sit, in diuinæ legis obedientia ponit:
Gal.5. *fructus* autem *Spiritus*,inquit Paulus,*est charitas,gaudium,pax,patientia,benignitas,bonitas,longanimitas,mansuetudo,fides, modestia,continentia,castitas.* Hæc autem hominem verè sapientem efficiunt, & singulari gaudio complent:illa verò ei mentem eripiunt, & ita huc & illuc contorquent, vt ipse à se ipso diffideat,& vndique eum miseriæ premant.

*Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis,nec sinitur quiescere ingruente bello, nec saluabit impietas impium.*

Cur præteritorum,futurorumque ignoratio,tantopere homines excru-
Rom.3 & 6. ciet,Salomon ostendit. *Omnes enim peccauerunt*, vt inquit Paulus, *& stipendia peccati mors.* Dum enim à Deo discessimus, ad carnis, nos exercitum contulimus,in quo militauimus:est autem nobis,quod meriti sumus, stipendium persolutum. Nam caro imbecilla est, fragilis & caduca,neque suis aliud poterat,vel decernere,vel persoluere stipendium. Non enim illa nobis vitam tradidit, sed acceptam eripuit. Non solùm cùm ipsa interit, necessariò hinc erit nobis aliò commigrandum: sed dum illius tyrãnis existit,ita nos in suam seruitutem adducit, eámque ijs lenocinijs astringit, vt libertatem ,ad quam nati sumus, ei postponendam sentiamus. Vnde & mors nobis est necessariò subeunda,& mens circunfusa tenebris,carnis interitum perhorrescit, & dolet ad vitæ exitium vocari, quia præterita non tenet,& futura nunquam præuidit.

Longè verò aliter sapienti accidit,qui depulsa carnis seruitute,illius tyrannidem morte fugiendam esse ducit, & carnis interitu, vitam beatam sapientibus esse degendam,longè antè prospexit.

Insipientes igitur,quia mortem nullo modo effugient,intolerabili dolore cruciantur, præteritum enim tempus reuerti non potest conscientiæ animi terrent, & quid sequatur scire non possunt. *Non est in hominis*

*hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis.* Vita hominum spiritu continetur, viuimus enim dum spiritu continetur, viuimus enim dum spiritum ducimus, si verò is nobis aufera tur, & vitam simul auferri necesse est. At, vt Hebræus inquit, *nemo in spiritum tenet imperium*; extremum enim vitæ spiritum edere, certo ac definito tempore, nos ipsa natura cogit: quamobrem, cùm sensim omnia, quæ oriuntur, labantur, & fluant, nemo potest illud assequi, vt prohibeat, ne corporis sui coagmétatio labefactetur, néve vmquam se vires deficiant, quòminus animam excipere, eamque respirare possit. Mors igitur omnia hæc, quæ sunt corporis inclusa compagibus, delet.

Quemadmodum verò si durum aliquod bellum moueatur, eóque prouincia flagret, nemo eorum, qui eam incolunt, vel periculorum erit, vel malorum expers, quæ bellum inuehit: ita & mors omnibus impendens timorem infert, perturbat, & euertit. *Nec finitur quiescere ingruente bello.* Est enim mors omnibus definita. Et vt Hebræus verti latinè potuisset, *Ingruente bello non est emissio.* Nec scilicet quisquam ab illius poterit esse solutus molestia, quemadmodum cùm bellum in prouincia versatur, omnes percellit, & nemo militiam subterfugit, ita maximis licet sis opibus auctus, hæc tibi moriendi semel cum plebe cõmunis, erit subeunda conditio.

*Nec saluabit impietas impium. Impietatem* vocat improbitatem opibus stabilitam: is autem, qui legem Dei violat, à sacris auctoribus *impius*, appellatur; eundem enim Dauid, & *iniquum* & *impium* vocat, cùm de eo apud Deum is verbis querimoniam defert, *Dum superbit impius inceuditur pau-* Psal. 9.
*per, comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant, quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Hi autem qui honestum & vtile, cupiditate sua metiuntur, aut semper, aut plerúmque diuitias congerunt, & potentiam consequuntur. *Zelaui*, inquit Dauid, *super iniquos, pacem* Psalm. 72.
*peccatorum videns, quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum: ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias. Et terra*, inquit Iob, *data est in manus impij.* Cùm verò natura ita effičti, Iob. 9.
& nati sumus, vt nobis sit necessariò moriendum, nec illi quidem vllis eam poterunt opibus, conditionem respicere. Quamobrem de rebus suis acerbissimè afflictantur, quòd ea, quæ fuerunt aliquando, illis in obscuro latent, & quæ euentura sint ignorant.

*Omnia hæc consideraui, & dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub Sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum: Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum. Sed & hoc vanitas est.*

Vt se opinionem sapientiæ commendet, singulari studio, ea quæ dixerat, & quæ dicturus sit, se inuestigasse commemorat, quod sæpe sæpius facit, vt suam apud homines autoritatem constituat: ad eam enim vt ipsi se conferant, toto pectore, vt inquiunt, perficere conatur: nam si id

præstiterint, sine dubio, ea, quæ ipse disserit, eorum infixa animis hærebunt. Ad præcepta deinde vitæ moderandæ, & ad earum rerum commemorationem, quæ sunt consideratione dignæ, orationem conuertit, & in illis, quemadmodum in aliis omnibus, quas in medium protulit, inesse vanitatem affirmat, *Interdum dominatur homo homini, in malum suum*. Vt homines inter se, ius societatis seruarent, ad vnum iustissimum, & sapientissimum fuit imperium delatum, qui sibi in imperio gloriam, aliis verò salutem afferret, hanc ad salutẽ Deus, generis nostri, vtilitatẽ, opportunitatémque prouidens, quibusdã hominibus, in alios potestatem tribuit, qui dum se moderatè gerunt, & imperium sapienter administrant; omnes sibi subiectos, iustitiæ quasi vinculo, & charitatis astringũt: dum tamẽ imperio abutuntur, Deum, qui illis imperium dederat, offendunt, & ipsi in se hominum odium, & offensionem concitant, vt se ipsos à societate diuina, & humana disiungant. Quo fit, vt hi, qui in eorum imperio sunt, malis vexentur, & ipsi dum imperij diligentis in suos, & moderati, officium, nullum non prætermittunt, sibi mala quàmplurima, & perniciem sæpe sæpius afferant. Hoc autem omnis testatur historia. Fit etiam sæpenumerò, vt vir sapiens, dum in suos imperium tenet, eorúmque libidinem, & intemperantiam coërcet, in eorum offensionem incurrat: insipiens quoque dum est in imperio, non solùm se legibus solutum, sed omnia & velle, & perficere se posse existimat, vt ipse non legum & imperij, sed vt leges & imperium, ipsius sint ministri libidinis, & satellites: ij verò, qui in illius sunt imperio malis vexati, vt libertatem tueantur, de illius exitio cogitant; & tandem eò prorumpunt, vt illi interitum moliantur, & quacumque possit ratione inferant. Oratio enim illa, *In malum suum*: sæpenumerò imperium, tum ei, qui illud gerit, tum etiam subiectis, esse exitio, significat.

Chaldæus Salomonem existimat, omnia hæc singulari studio considerasse, cùm res humanæ eo in statu essent, quo plures, ea potestate, quam aliis imperandi habebant, in eorum perniciem vtebantur. Hebræus: *Tempore*, inquit, *quo homo homini dominatur in malum suum*. His autem verbis, *Tempore, quo*, &, vt noster Latinus vertit, *Interdum*, nos Salomon admonet, non casu, sed Deo moderante fieri, vt, cùm tempus postulat in scelerum nostrorum pœnam, eos, qui salutis nostræ vindices esse deberent, acerbiores dominos, imò & hostes perferamus; Sic enim iuris ratio exigit, vt qui legem Dei violant, iis legitimum imperium in tyrannidem commute-
Isai. 3. tur. *Dabo*, inquit, Dominus apud Isaiam, dum in Iudæos sceleribus coopertos inuehitur, *pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis*.

Nec quidem, vt gentis alicuius scelus vindicet, ei viros improbos, & intemperantes præficit, sed vt eos etiam, quibus potestatem defert, supplicio puniat. Nam sæpe in priuata vita, ei specie, & simulatione virtutem ostentant, vitia verò, quæ vultu, quasi velis obtendebant, in imperio foras prorumpunt, eósque in suorum, & in propriam perniciem præcipitantes impellunt, nec vllo in loco sistere patiuntur, vt extrinsecus omnibus odio sint, & intus eos, in animis inclusus angor excruciet, & ipsi scelus compleant, quo eos diuinum numẽ offensum extinguat, & quę merentur supplicia eis imponat. Quamobrem Salomon, *Vidi*, inquit, *impios sepultos*

*tos, qui etiam cùm adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate, quasi iustorum operum, sed & hoc vanitas est.* Hos enim, cùm simulatio virtutis, in imperio diuturna esse non possit, & ipsi scelera sceleribus cumulent, vis diuina in necem abripit, & eorum, qui viuunt, & posterorum erunt odio & obliuione sepulti, est enim eorum nomen inuidiosum, & infamiæ subiectum. Etsi verò, dum in vita priuata manebant, quia seipsos ad voluntatem aliorum fingebant, eo studio, & iustitiæ simulatione, in ore omnium versabantur, & sanctitatis nomine, & religionis procurandæ munere, & officio, inter omnes eminebant, impij tamen erant, hoc est, vitiis, quæ in imperio proposita impunitate se foras proruperunt, inquinati. Illud enim Salomonis, *Vidi impios sepultos*; eos significat, qui virtutem simulabant, quamuis sanctitatis nomen fuerint assecuti, improbè tamen se gessisse in imperio, rem fuisse notam, & omnibus manifestam, & eo nomine, etiam postquam è vita discesserunt, verborum contumeliis lacerari.

Nam etsi, vt inquit Iob, *Iste moritur robustus, & sanus, diues & felix, viscera eius plena sunt adipe & medullis ossa illius irrigantur; alius verò moritur in amaritudine animæ suæ, absque illius opibus; & tamen simul in puluere dormient, & vermes operient eos*: Quamuis, inquam, hæc moriendi conditio fuerit omnibus constituta, quam possit nemo respuere, & improbi sæpe opibus abundent, cùm interim probi iustique homines, malis oppressi, adiumento omnium indigeant, quod ad iustè & sapienter omnia moderantis Dei iudicium referimus: eorum tamen, qui virtutem ementiuntur, status non quidem est natura fixus, atque fundatus, virtutis enim simulatione, quæ diuturna esse non potest, continetur. Quamobrem Baldad Suhites cum Iobo hac de re eleganter differens, sententiam suam his similitudinibus aperuit, *Nunquid viuere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua? cùm adhuc sit in flore, ne carpatur manu, ante omnes herbas arescit, sic viæ omnium, qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit.* Est enim honor, & dignitas, præmium virtutis, propter magna merita, claris viris delatum: hoc autem, si splendor virtutis non adsit, & opinionis errore, vt sæpe fit, alicui tribuatur, nec amplum existimari debet, nec diutius permanet, euulsa enim virtutis radice, concidit, & siccitate quodammodo arescit. Quare imperij eorum diuturnitati, ipsa se natura obiicit, & opponit; vt è natura sit interitus illius, eodem verò illud statu, aliquandiu manere violentum.

Iob. 21. Iob 8.

Eorum igitur statum conuelli, iustum, & rationi consentaneum esse ducimus, & nulla admiratione dignum, & illorum fuisse studium inane dicimus; quo etsi locum sanctitatis quæsierint, illumque occupauerint, loci tamen & Religionis sanctitatem, impiè violarunt, & quam gerebant personæ dignitatem, & decus, vmbram virtutis sectando, vt vitia occulerent, quibus erant cumulati, deseruerunt.

*Etenim, quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo, filij hominum perpetrant mala.*

Prouidentia Dei, quæ mundum administrat & rebus humanis con-

sulit, haud quidem Salomon reprehendit: sed improbos sceleris damnat
Iob.24. quòd ea, impiè abutátur, *Dedit ei Deus*, inquit Iob, *locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam.* Cùm enim ipsa sit rerum omnium moderatrix, generis humani salutem, singulari studio curat, & ne illud omnino deleat, eos, qui in officio delinquunt, vt se ad intermissum muneris sui studium reuocent, diutiùs, quàm oportere videtur, iis qui Deum ex suo metiuntur ingenio sustinet: sic enim sapiens hac de re orationem ad Deum instituit,
Sap.12. *O quàm bonus & suauis est, Domine, spiritus tuus in omnibus? ideóque eos, qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris, vt relicta malitia, credant in te Domine.* Et sapientiam ad sceleratos, & improbos
Prou.9. loquentem Salomon his verbis inducit, *Si quis est paruulus veniat ad me, & insipientibus locuta est, Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Præclarè quidem Paulus, *Scimus enim*, inquit, *quoniam iudi-*
Rom.2. *cium Dei est secundùm veritatem, in eos, qui talia agunt, existimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? an diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit?*

Cùm itaque generis humani saluti prospicit, non ijs statim, qui officium deserunt: supplicia imponit, est enim illud scelerũ vinculis illaqueatum, & irretitum, peccandique consuetudine implicatum, *Omnes*, nan-
Psalm.13. que, vt Dauid inquit, *declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui fa-*
1Joan.1. *ciat bonum, non est vsque ad vnum.* Et Ioannes, *si diximus*, inquit, *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Si igitur in eos, qui ius violant, seuerus, & non perindulgens esset, vt ipsis sceleratis conniuere videatur, genus hominum ad nihilum recideret, cùm in manifesto peccato teneatur, nec hominis vlla sit vitæ pars, sceleris expers. Hanc autem summi iudicis prouidentiam, cùm improbi, scelerum circunfusi tenebris, non agnoscant, ita in scelera ruunt, ac si Deus peccandi licentiam illis, & impunitatem dedisset. Quid si vbi primum fuisset scelus commissum, vindicaret, num ita facilè obedientiam abijcerent, & metus pœnæ, eos in officio contineret? At omnes *eramus*, vt inquit Paulus, *natu-*
Eph.2. *ra filij iræ*, si autem omnes statim pro offensæ magnitudine puniret, cùm
Rom 7. *mors* sit, vt Paulus asserit, *stipendium peccati*, sine dubio, cùm sit numen infinitum, quod nostro scelere offendimus, mortis esset nobis pœna subeunda, ac totum genus humanum, in nihilum interiret: si ergo in eos, qui peccant, seuerè iudicium exerceret, nec eos, ad honesti studium adduceret, cùm omnes capite damnatos, morte multaret, nec aliqui remanerent, quos supplicij illorum metus à scelere cohiberet.

Accedit etiam, quòd metus, non est optimus probitatis custos, nec diuturnus. Non enim ad honestatem animos excitat, nec lumen præfert, quo possint, quid optimum, quídve sequendum sit, intueri, Deus autem ita seueritatem in iudicando, cum benignitate coniungit, vt, impendentis supplicij metu, homines velit, à scelere continere, & summi imperij beneuolentia, ad virtutis studium allicere: quam diuinæ prouidentiæ vim generi humano salutarẽ, quia improbi mente minimè percipiũt, eos Salomõ asserit, scelera sceleribus cumulare: vt qui magistratũ & imperiũ gerũt, de quibus disseruerat, omnia iuris, pudoris, & officij repagula perfringant, virtu

Metus non est optimus probitatis custos, nec diuturnus.

virtutémque in summo scelere simulent, ídque impunè sibi licere putent, quòd Deum, qui præsentis flagitij pœnas sæpenumerò in diem reseruat, in maximis eorum sceleribus conniuere existiment.

Huius autem diuinæ patientiæ fructus, vtilitatémque deinde commemorat, vt improborum mentis cæcitatem, qua in officio labuntur, & summam Dei prouidentiam, omnium rerum altricem, moderatricémque nobis ante oculos proponat.

*Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui, quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius.*

Hæc Dei patientia, qua improbi ad scelus abutuntur, non solùm est, dum leuiùs punit, quàm promerentur, ad virtutis studium excitat, & variis rationibus, efferatos quodammodo, ad humanitatẽ deducit; sed iis etiam, qui virtutis decus admirantur, & ad illud aspirant, est maximè salutaris. Eos enim primùm, vt in offensione, si qua exorta sit, mansuetudinem adhibeant, diligenter instruit; Nam præpotens rerum omnium princeps, si eos, qui numen illius offensum non horrent, nec precibus placare curant, sed dum scelera sceleribus addunt, vehementiùs offendunt, nõ omni supplicio excruciatos necat; quid nos imbecilles homunculi, si accepta sit offensiuncula aliorum peruersitate, irascimur, & puniendi cupiditate flagramus? *Serue nequam*, inquit Dominus, *omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui.* Eósque in iure dicundo, & sontes puniendo, vt iracundiam repudient, eadem ratione instituit. Matth. 16.

Deinde, cùm naturæ imbecillitate, officij onus sustinere non possint, quia sæpius labantur, ídque sit meritò illis vitio tribuendũ, quia sponte ictum cum Deo fœdus sanctissimum violant, ne cùm peccauerint, eos in illius gratiam redeundi spes deficeret, eam ipse, dum sceleratos benignè tolerat, non solùm ostentat, sed etiam confirmat: quî enim fieri potest, vt de iis, qui abiecta obedientia, cooperti sceleribus, sine numinis metu viuunt, supplicia, quæ merentur, non sumat, vt resipiscant; illis autem, qui etsi in Deum peccent, illius tamen iudicium perhorrescunt, erratique veniam petunt, non sit ad illius benignitatem locus?

Hæc Salomon, eos, qui Deum timent, à Dei patientia, honestẽ viuendi habere adiumenta testatur, quæ etsi non explicat, his tamen verbis indicat, *Ex eo, quòd peccator centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui, quòd erit bonum timentibus Deum.* Quasi dicat ij, qui Deum pietate colunt, sanctéque venerantur, ex eo, quòd scelerati pœnas, quas merentur, non sustinent, & illis ad Dei gratiam redeundi, aditus patet, non mediocre ad pietatem, & ad virtutem omnium ornamenta, sibi subsidium comparant; quod Salomon *bonum* appellat; illud verò quàm sit multiplex, satis quidem disseruimus, & luculentiùs vir sapiens, hac breui oratione explicat, *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate indicas, & cum magna reuerentia disponis nos, subest enim tibi cùm volueris, posse, docuisti autem populum tuum, per talia opera, quoniam oportet, iustum esse & humanum, & bona spei fecisti filios tuos; quoniam indicans, das locum in pec-* Sap. 12.

*catis pœnitentiæ: Si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, & liberasti, dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicasti filios tuos, quorum parentibus iuramenta, & conuentiones dedisti bonarum promissionum.*

*Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius, sed quasi vmbra transeant, qui non timent faciem Dei.*

Quia Deus, cùm ex nihilo genus nostrum condidit, in illius natura legem inseuit, quæ iubet ea quæ facienda sunt, & prohibet contraria, ex eáque natæ sunt leges scriptæ, institutáque populorum, quæ rectè facere iubent, & vetant delinquere; is, qui ea negligit, iure optimo erit impius existimandus. Deum enim totius iuris principium negligit, qui iura frangit, & violat, *Per me enim*, inquit ille, *reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* (Prou.8.) Quamobrem sacri autores, vt alio in loco disseruimus, eos, qui improbi sunt, & scelerati, impios appellant. Eos igitur Salomon execratur, vt commoditatem prosperitatémque vitæ non habeant, nec diutius in vita sint, quàm vmbra, quæ non apparet, cùm primùm Sol, corpori, quod ipsa sectatur, se non opponit.

*Est & alia vanitas, quæ fit super terram. Sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant. Sed & hoc vanissimum iudico.*

Vanitatem appellat, hoc, quo philosophi, Dei prouidentiam negabant, quia ij, qui virtutem amplectuntur, sæpe malis opprimuntur; ij verò quorum est scelerata flagitiosáque vita, bonis affluunt: nulla enim re alia, misera generis nostri conditio, clariùs apparet, quàm quod nec probitas, nec improbitas, id quod promeretur, accipiat. Quamobrem addit Salomon, *sed & hoc vanissimum iudico.* Verùm, quid de prouidentia Dei erit existimandum, qua mundum administrari dicimus? & de qua ipse Salomon ait, *In omni loco, oculi domini contemplantur bonos & malos.* (Prou.15.)

Primùm Dei prouidentiæ vim maximam admiramur, quæ ita se hominibus in rebus omnibus ostendit, & quodammodo obiicit, vt eas si velint studiosé contemplari, illam possint, in se ipsis intueri. Deinde ita hominibus consulit, vt illis quid in vita moderanda fugiendum sequendúmve sit, ostendat. Nam dum bonos muneribus afficit, malos autem inuectis malis excruciat, quis cùm rebus humanis prouidere non asserat? At si hoc, inquies, illius prouidentiam probat, non minùs illam, contrarium negat. (Rom.11.) *O altitudo*, inquit Paulus, *diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt indicia eius, & inuestigabiles viæ eius?* Ille autem nos ad virtutis, & honestatis decus, nō solùm lege, quam in animis inseuit, sed factis,

&

& operibus instituit, vt cùm Abrahamum opibus sepit, & ei prolem amplissimam pollicetur, fidem sibi vni esse maximè adhibendam, hominibus præcipit: Saulem verò è regno deiicit, quia fidem religionémque violarat, vt perfidiam impietatémque hominibus, omni esse studio fugiendam, huiusce pœna, & sanguine sanciret. Simili quoque ratione, ne boni, cùm se munitos esse opibus videant, ita illis animos adiiciant, vt nihil amplum, diuinúmque, humi strati suspiciãt, eos aliquando despicit quodammodo, vt vitam in egestate degant: improbos autem, opibus & honoribus auget, vt hæc omnia, quæ bona nominantur, probi homines infra se ducant, quia improbi, dum ea possident, non meliores fiunt.

Mouit hæc adeo philosophos ratio, vt omnia, quæ extrinsecus sunt, & appellantur bona, viro sapienti, contemnenda esse prædicarent. Quid enim magis, ne dicam, despiciendum, sed execrandum, quàm sit ipsa improbitas? si igitur ea, opibus, imperio, voluptatibus, & honoribus circumfluit, num hæc expetenda esse iudices? Quid si illis instituta efferatur, vim legibus impune afferat, & Deo ipsi bellum indicat? stulti ergo, & insanissimi erit, hæc in bonis ponere, aut singulari studio sectari, quamuis ne in egestate sit, vnicuique, quæ ad victum necessaria sunt, moderato sint studio quærenda.

Cùm igitur probi homines sæpe rerum sint omnium egentissimi, & improbi diuitiis opibúsque affluant, ad rerum profectò humanarum despicientiam, contemptionémque, ea maximè ratione ducimur, ne illis, quasi vinculis astricti, officium præstare nequeamus. Inde quoque futuræ vitæ rationem ducimus. Nam cùm neque improbitas suppliciis, nec virtus, in hac vita mortali, præmiis afficitur, aliò nos commigraturos esse præsagimus, vbi sit vtrique, quod promeretur, à iudice sanctissimo reddendum. Hac igitur Dei prouidentia, tum ad infima hæc despicienda, tum ad futuræ vitæ cogitationem excitamur.

Chaldæus autem, quia nemo sit criminis expers, ideo putat, viros sanctitate præstantes, sæpenumerò malis vexari, vt eorum, quæ in vita peccauerant, pœnas luant, & ex hac vita, non ad supplicium aliquod, sed ad beatam, & bonis omnibus affluentem vitam proficiscantur: improbos verò, quia aliquando rectè agunt, pro hoc, quodcunque sit, meritò, his infimis, & caducis bonis affici, vt è vita cùm discesserint, scelerum, quæ commiserant, supplicia perferant.

*Laudaui igitur lætitiam, quòd non esset homini bonum sub sole, nisi quòd comederet, & biberet, atque gauderet, & hoc solum, secum auferret de labore suo, omnibus diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole.*

Hæc, quæ disseruimus, cùm non solùm vanam, sed miseram hominis esse conditionem prædicent; reliquum erat, aut iniquissima eum fuisse conditione generatum, aut nihil esse, quod in vita, boni rationem obtineat, præter voluptatem. Ea est enim humanæ vitæ conditio, vt nulla illius

illius pars malis non sit innumerabilibus onerata, quin & ipsa virtus plerunque sit ærumnis oppressa. Quid igitur in vita erit expetendum nisi voluptas? Ad hanc ipse nos sensus, & humani ingenij tenuitas, opinionem adducit, in vita enim animum lætitia perfundi, & sensus iucundè commoueri, optimum visum fuit Epicuris, quorum sectam, rationémque vitæ, plures, summo Christianæ Reipublicæ malo, re magis quàm verbis sequuntur. De iis autem, quæ externa sunt, & ad corpus pertinent, hanc orationem interpretamur, si enim virtus, quia malis non vacat, mortalem hanc, quam agimus vitam, à miseriis vindicare non potest, quid in vita poterit inueniri, quod illam non miserrimam efficiat?

Quamobrem Salomon, vt quàm sit misera humani generis conditio, ostenderit, eò rem deduxit, vt in ea nihil non miserum, nihil non lamentandum esse docuerit: si quid verò speciem boni præ se ferat, vt sæpe in hoc libello disseruerat, voluptatem esse, quandiu permanet. Ea verò, quæ quidem optimum in vita videri poterat, quantis sit implicata miseriis, satis luculenter explicuit, cùm de ea ita disseruit, *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, & cor sapientum vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia.* Si ergo voluptatem Salomon sapienti haud conuenire affirmat, & stultum appellat, qui eam sectatur, non quidem illam nobis appetendam esse persuadet; sed non mediocri dicendi artificio, quàm sit misera nostri generis conditio, ostendit, *Laudaui*, inquit, *lætitiam, quòd non esset homini bonum sub sole, nisi quòd comederet, & biberet, atque gauderet.*

Eccl. 7.

Luculenter quidem postquam communem hanc vitam miseriis esse plenam, commemorando, quæ in eam incurrunt mala, demonstrauit, his tandem verbis, huiusce miseriæ magnitudinem explicat, nihil enim in vita, præter voluptatem reperiri potest, quod sit in bonorum numero collocandum: adeo est misera hæc nostra vitæ conditio, vt in ea, nullus sit, bonis licèt externis, & corporis, quæ breui temporis spatio euanescunt, nisi voluptati locus: quæ nonnisi ab insipiente, & stulto appetitur, hominémque de mentis statu deiicit. Si hoc igitur, quod in communi hac vita est optimum; sic hominem inuertit, vt brutis similem reddat, quid, nostræ hæc vitæ conditio vt sit miserrima, deesse poterit? *Laudaui*, inquit, *lætitiã*, non quia laude dignam esse voluptatem existimaret, sed quia, hominis conditionem cùm attentiùs cogitaret, & eam vndique miseram reperisset, vidit sensibus nostris suauiter blandiri voluptatem, eáque perfusos hiare. Quamobrem omnibus externis, & corporis bonis longè præstare voluptas videbatur. Eam tamen, vt vidimus, reiiciendam esse sapientibus docuit. Ad summam igitur nostri generis miseriam, hic, ex illius blanditiis, cumulus accedit.

Laudat ergo voluptatem Salomon, hoc est, inter omnia, quæ hominibus accidunt, eam censuit excellere. Huius verò sententiæ suæ rationem reddit, cùm inquit, *Quòd non esset homini bonum sub sole, nisi quòd comederet, & biberet, atque gauderet, & hoc solùm auferret de labore suo, omnibus diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole.* Præstat quidem voluptas, & excellit, quia tum animo, tum corpore percipitur, in illísque inest:

cætera

cætera verò, quæ bona dicuntur, sunt extra, adeo vt nec animum, nec corpus pertingant, & quia externa sunt, haud poterunt appellari nostra, cùm tamen voluptas vel in animo, vel in sensibus corporis insideat. Quare nihil boni, ex ijs laboribus, in quibus omnem vitæ cursum conficimus, nisi voluptatem percipimus; omnia enim, vt diximus, quæ ad vitam communem hanc, & mortalem pertinent, extra nos sunt, cùm de bonis animi hic minimè differamus; ideo Salomon. *Et hac*, inquit, *solùm auferret de labore suo.* Quid stultitia miserius? quid turpius? miserrima igitur, & deploranda nimis erit, mortalis nostræ vitæ conditio, in qua voluptas excellit, quæ stultitiam generat. Sapienter ergo Salomon, ex iis in quibus viuimus, miseriis, colligit, nihil in vita hac mortali, esse voluptate præstantius, vt miserrimam esse generis nostri conditionem probaret.

Etsi verò hanc explicandi rationem sequamur, illam minimè reiicimus, imò & amplectimur, quam à Patruo Osorio accepimus, qui hunc, vt omnia sapienter solebat, & eleganter his verbis locum explicabat, ille lætatur, qui iustitiam colit, & sui curam Deo committit: ille comedit, atque bibit, qui dum licet, bonis suis, sapienter vtitur, & perficit, vt omnia ad vtilitatem suam, conferantur. Salomonem existimat Gregorius Neocæsariensis, voluptuarij hominis, hoc loco gessisse personam. De eo, verò, quo animus noster, diuino munere perfunditur gaudio, & de cibo, potuque, quo eum, diuinus spiritus complet, Hieronymus interpretatur. Greg. Eccl. 8. Hier. Eccl. 8

*Et apposui cor meum, vt scirem sapientiam, & intelligerem distentionem, quæ versatur in terra: est homo, qui diebus & noctibus somnum non capit oculis.*

Eximius est hic, quem cepit Salomon, ex humanæ vitæ consideratione, fructus. Sunt enim ea, quæ nobis accidunt, veluti quidam ad sapientiam gradus. Nam si voluptatem, vt fecit Salomon, omni studio sequaris, eam Eccl. 2. postquam fueris consecutus, minimi faciendam esse cognosces, illudque, ad sapientiam comparandam, studium conferes. Si verò diuitias congeras, quid illæ tibi commodi, nisi voluptatem afferent? at voluptas quàm sit contemnenda vides, etsi eam, omnium nostrarum actionum gubernatrix ratio, ad Dei præscripta temperet: quid si ipsa in homine dominetur, nónne illius erit tyrannis detestanda? mentis enim oculos perstringit, & nullum habet cum virtute commercium.

Cùm igitur diuitiæ, & opes, nihil ne dicam, quod sit homine dignum, sed quod miseriis non sit vndique refertum, nobis afferant, illis profecto spretis, ad sapientiam, quæ animi humani sitim restinguat, si sanæ fueris mentis, studium, & curam conuertes. Quid si virtutem colas, illiusque præsidio, consequi non possis, vt te mala vndique non oppugnent, & opprimant? Voluptas quidem iterum sese offeret, vt te blanditiis delinitum Eccl. 8. deuinciat. Num igitur parum hæc erit vitæ nostræ deploranda conditio, quæ nos adeo vehementer ad voluptatem impellit? Hæc quidem luculen-

ter Salomon nam cùm de voluptate dissereret, *Risum*, inquit *reputaui erro-*
Eccl. 2. *rem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis*: Cùm verò de opibus, & de diuitiis ageret, *Hoc*, inquit, *nónne vanitas est? nónne melius est comedere, & bibere?* Postremò, cùm hoc in loco, de illorum, qui virtute plurimùm præstant, conditione egisset, *laudaui*, inquit, *lætitiam, quòd non esset homini bonum sub sole, nisi quòd comederet & biberet.*

Hinc quemadmodum ex voluptate diuitiisque fecerat, ad sapientiam sibi gradum ædificat. Cùm enim ea, quæ perstrinximus, fuisset expertus, diligenterque animaduertisset, longiùs sibi progrediendum esse censuit, vt maiori studio sapientiam, hoc est, cur ita inter homines virtus, quæ summis debuerat muneribus affici, malis sæpenumerò oppressa iaceat, & homines, ita curis distendãtur, vt nullam requietem habeant, inquireret. Sic enim illud, *& est homo, qui diebus & noctibus, somnum non capit oculis*, explicamus: quia scilicet hominum animos, noctes diesque solicitudines exedunt: somnus nanque videtur esse perfugium omnium laborum, & solicitudinum, quem dum nos mala premunt, capere haud possumus, per somnum enim
Dan. 6. animus curis vacuus, quiescit. Vnde Daniel, vt maximam Regis Persarum fuisse solicitudinem ostenderet, *Insuper*, inquit, *& somnus recessit ab eo.* Et
1. Maç. 6. Antiochus eam, qua erat affectus, solicitudinem, eodem dicendi genere significauit, *Recessit*, inquiens, *somnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde, præ solicitudine.* Aut, si magis placet, studium, quo ipse sapientiam consequi nitebatur, Salomon illis verbis ostendit.

*Et intellexi, quòd omnium operum Dei, nullam possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole, & quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minùs inueniat: etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.*

Præclaram quidem, & omni studio nobis amplectendam ad vitæ moderationem, philosophiam tradit. Si enim Deus omnia prospicit, omnia moderatur & regit, quid nobis homunculis venit in mentem, illius in mundi gubernatione, & summi imperij procuratione, consilium sapientiamque inquirere, qui humi strati, ea, quæ parum à sensibus distant, minimè suspicimus? Nónne potiùs rerum illi nostrarum cura fuisset omnino committenda, qui in nos beneuolentissimus existit, & infinita excellit sapientia? Piè quidem atque prudenter Iob, cùm de misera vitæ suæ conditione quereretur, & cum Deo, de iis, in quibus erat miseriis, homo innocens & religiosus expostularet, vbi primum de virtute, & prouidentia singulari, qua rerum omnium saluti prospicit, Deum disserentem audiuisset,
Iob. 42. *scio*, inquit, *quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio, quis est iste, qui celat consilium, absque scientia? Ideo insipienter locutus sum & quæ vltra modum excederent scientiam meam.*

Eccl. 8. Cùm igitur, vt inquit Salomon, *sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant.* Ne huiusce rei causam, rationemque fuisse te assecutum existimes,
Iob. 12. etenim in occulto latet: *Lampas*, inquit Iob, *contẽpta apud cogitationes diuitum;*

*tum parata ad tempus statutum.* Non enim Dei sapientiam, & in gubernando prouidentiam nos decet ad mentis nostræ normam, homunculos reuocare, scit enim ille, quando maximè deceat, hos, vel illos, aut suppliciis punire, aut malis, ad veram excitare sapientiam, vt cuius sunt infirmæ, & tenues sapientiæ opes, augeantur & crescant.



# CAPVT IX.

*Omnia hæc tractaui in corde meo, vt curiosè intelligerem. Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrùm amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta, eo quòd vniuersa, æquè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator; vt periurus, ita & ille qui verum deierat.*



STudium, quo sibi sapientiam parabat, vt iis, quæ dixerat, autoritatem afferat, & fidem, iterum commemorat. Deinde, cùm iustos, ac si iniusti essent, malis vexari, iniustos autem asseruisset, ac si iusti essent, diuitiis & opibus confirmari: ne quis propterea Dei prouidentiam damnaret, quorsùm ille consilia sua in mundi gubernatione dirigat, in obscuro latere etiam sapientibus, affirmauit. Hoc autem nunc singulari hac ratione probat. Nonnullos esse homines, qui virtute & sapientia sint præditi, quis neget? ab iis autem si quæras, vtrùm Deo chari sint, vel inuisi, aut, etiam, aut, non, respondere minimè poterunt: quamuis enim id à nobis certum sciri, & planè cognosci videatur, quod intus in animo sit inclusum, & quod ipsi cogitamus, molimur, & agimus; *Quis enim hominum*, inquit Paulus, *scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Illud tamen cùm ad diuinæ mentis normã reuocamus, mens sui ipsius inscia stupet, & ignorat, sítne præclarum, & laude dignũ id, quod singulari studio proficiendum esse iudicauerat: nostrarum enim actionum dignitas, ex ea Dei similitudine pendet, quam illius charitate animus exardescens arripit. Est autem hæc diuino munere in animos charitas infusa, quæ illam similitudinem excitat, & perficit, quam sui ipsius Deus, naturæ hominis, dum eam ex nihilo condidit, inseuit, & peccati vis, etsi non eam restinxit, refrigerauit suo quodam quasi frigore. 1.Cor. 2.

Est alia etiam Dei, vt optimi, & beneficentissimi, nec non & patriæ, parentumque charitas, quæ primùm à natura gignitur. Quis verò, illa in Deũ charitas, num in animo suo insideat, cognoscit? cùm enim sit corporis expers, haud sensu percipi, nec vlla poterit ratione comprehendi. Nam licèt, ij, qui se ad auram popularem fingunt, & virtutum se magistros hominibus profitentur, ex eorum moribus, síntne ficti, atque men- Mat. 7.

daces cognoſcimus:non tamen, noſtras ex illa,vel hac charitate, actiones, proficiſci noſcimus. Illi enim cùm virtutem prædicent, ſi ſe ſceleribus dedant, ſine dubio eorum vitam, orationi minimè conuenire cernimus, quamobrem nos ab illis decipi, eoſque ex fraude & mendacio eſſe compoſitos iudicamus.

Verùm cùm de actionibus noſtris,non ſceleratis quidem,ſed hominum opinione præclaris,& honeſtis,ſit iudicium faciendum,vtrùm illæ Dei charitatem nobis,& gratiam concilient, non ſolùm difficile eſt iudicare, ſed ſummis circunfuſum tenebris latet: vnde enim illæ generatæ, quò recurrant,nulla licèt ſit acerrima humanæ mentis acies percipit. Nam ſi hominis naturam, in peccato Adami prolapſam conſideres, omnes, vt inquit
Ephes. 2. Paulus,*eramus filij iræ*. Ita tamen vt ad honeſtum,& decorum,inſitus in ea appetitus non fuerit extinctus, quo aliquando ad virtutis ſtudium excita-
Rom. 2. mur,& recta honeſtaque retinere nitimur,id enim Paulus, gentibus, quæ legis diuinæ erant expertes, tribuit. Num autem hinc, quæ gerimus, recta & honeſta oriantur, ipſi neſcimus:inde enim exorta, etſi videantur, recta & honeſta appellari non poſſunt, cùm ad illud vltimum, quò referenda
Rom. 7. ſunt omnia,minimè conferantur.*Scio*,inquit Paulus,*quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea,bonum*.Non ergo proprium,nec noſtrum eſt,hoc honeſtatis decus,ſed nobis illud aliunde aſſumimus.

Mens noſtra ſingulari præſtantia, rebus omnibus præcellit, illius igitur dignitas,quæ cum virtute coniuncta eſt,à ſolo Deo,à quo eſt generata pen-
Rom. 8. det. Præclarè quidem Paulus, *Qui in carne ſunt*,inquit,*Deo placere non poſſunt,vos autem in carne non eſtis,ſed in ſpiritu,ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis*. Quis verò ſe, hoc viuere, ali, & augeri ſpiritu audeat profiteri? Sed inquies, id nos Paulus docet,ſic enim ille hac de re diſſerit,*Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei*. Optimè quidem & diuinitus Paulus rem pertractauit:antequam enim hæc verba ſcriberet, illam,quam hominum animis infigi,cupiebat,ſententiam explicuit,*Ergò*,inquiens,*fratres, debitores ſumus, non carni, vt ſecundùm carnem viuamus:Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini,ſi autem ſpiritu,facta carnis mortificaueritis, viuetis, quicunque enim ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei:non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis,iterum in timore,ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum,in quo clamamus, Abba pater, ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei*.

Tres Paulus ſpiritus,ſcilicet Dei,ſeruitutis in timore,& hominis eſſe præcipit. Dei ſpiritu,carnem, hoc eſt,libidinem, in ea,poſt Adami peccatum, inſitum, rationi, quæ diuinæ mentis præſcriptis eſt obediens, ſubiicimus: qui ſpiritum noſtrum,ſiue animos hominum monet,denuntiat, atque teſtatur, eos,ſi hac vna ratione officium tueantur, excellens hoc,& omnium præſtantiſſimum nomen,& decus filiorum Dei eſſe conſecutos: hoc enim ille hominibus prædicat, legis ſe ab eis iugum repuliſſe, ſeruitutis, & carnis deleuiſſe tyrannidem, eoſdemque ſibi Deum filios adoptaſſe, quia nec ſupplicij metu, ſibi legis veteris ſacrificiis, & ritibus opus eſſe ad ſalutem exiſtimant,nec ſenſibus in vita moderanda obediunt,ſed Chriſtianam ſibi diſciplinam ſequendam eſſe proponunt, eamque non timore, ſed amore
ſeruan

seruandam esse deducunt. Verùm eodem quo antea dubio mens implicata hæret, Quis enim ad hæc, in quibus versatur, Dei se potiùs spiritu, quã suo commoueri asserat? suspicari quidem, & de summa diuini patris in suos benignitate, hoc tantum, & tam excellens munus nobis polliceri licet, imò & oportet. Sed eo nos esse affectos nullis vel augmentis probare vel signis comprehendere, aut oratione possumus explicare. Dum illum in nos beneuolentissimũ esse scimus, in eam spem adducimur, & cõfidimus, filiorum Dei summam ab eo, dignitatem nobis esse tribuendam: cùm enim nos iniuriam nemini intulisse, & Deum nobis esse propitiũ credimus, futuræ vitæ beatæ expectatione erigimur, quæ tam vehementer animum ad Dei charitatem excitat, vt numquam à se posse illam euelli Rom. 8.
existimet, idque affirmare non dubitet, quod Paulum fecisse nouimus, in cuius animo Deus singulari quadam ratione insidebat: plurimos tamen, qui doctrina Christiana instituti, illius studium, multis erroribus, imbuti intermiserant, & religionem violarant, idem sibi arrogasse scimus, & à religionis Christianæ hostibus, supplicij causa, quia Christum Deum esse fatebantur, morte non solùm fuisse affectos, sed eam appetiisse: quorum rerum futurarum spem, eadem plena erroribus opinio aluit, quæ illam postea tantopere auxit, vt eos ad mortem oppetendam induceret: vnde nobis latere discimus, in præclaris etiam actionibus, Deúmne ducem, an falsam opinionem sequamur.

Sapienter igitur Salomon, prouidentiam Dei, ab omni reprehensione vindicat, etsi ij, quos iustos esse arbitramur, malis afficiantur, improbi verò bonis huiuscè vitæ mortalis cumulentur. Non enim, vt disseruimus, ille ipse iustus & sapiens se Deo esse clarum agnoscit, & multò quidem minùs, cur se ita vexari ille permittat. Quare illud totum erit Deo comittendum, nec illius curiosiùs ratio prouidentiæ conquirenda, quæ hominem licèt sapientissimum fugit. Hæc autem hominum iustitia, siue sanctitas, & quæ in eis elucet sapientia, non à se ipsis oritur, aut generatur, sed datur eis diuino beneficio, ac munere quod Salomon his verbis explicuit, *Et opera eorum in manu Dei.* Est autem manus ad opus apta, & nihil, nisi manus accessisset ageremus. Nam etsi sancti homines, cùm liberi sint arbitrij, dent virtuti, & rebus diuinis operam Dei tamen manus, id opus inchoat, & singulari virtute efficit, sic enim ipse, *Ego inquit, sum vitis, vos palmites, qui* Ioann. 15
*manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.*

Præclarum est enim hoc, & præstantissimum nostri generis decus & ornamentum, nullum ex se opus, quod vera sit laude dignum, sine Dei quodammodo cultu, & curatione efficere, & nauare posse. Quemadmodum enim vitis nihil fert, quod sit dulce, & suaue, nisi hominũ cultura adhibeatur, & vt sarmenta, quæ agricolarum ars circumcidit, & amputat, nullum possunt fructum edere, & vt circuncisa sunt, & amputata moriuntur, ita qui Deo non adhæret, & ab eo, spiritum, quo viuat, non haurit, nihil, quod perfectum, & absolutum sit, molitur, aut efficit, imò nulla ei vita esse poterit, hominis præstantiæ consentiens, diuinisque in eum collatis muneribus respondens. Hunc igitur ille quasi agrum sibi

Prou. 8. colendum aſcripſit, vt ſe quodammodo, illius vltione oblectaret: *Cùm eo*, inquit ille, *eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies ludens coram eo, omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*. Hoc quidē pro certo, quicumque ſanę mentis ſunt, habent: illo autem, an ſcilicet amore ſit dignus, vel odio, eſt nihil obſcurius, nihil incertius. Nam id ſi, aliqua poſſet ratione comprehendi, ea quidem fuiſſet, qua ex iis, quæ hominibus accidunt, ad iudicium progredimur. Cùm verò eos, qui ſceleribus ſunt cooperti, vitam bonis refertam ducere videamus, eos autem, quos probos, & virtutibus exornatos eſſe ducimus, malis opprimi, & affligi, erit hæc quidem via, ad id inueſtigandum conſequendúmque inepta.

Matt. 10. Luc. 12. Quamobrem cùm Deum humanis rebus prouidere teneamus, ſic enim ipſe, *Nónne*, inquit, *duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis nō cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt*: Oportet, & eſt quidem neceſſarium, fateri, hæc omnia ſummo Dei iudicio fieri, quorum etſi nunc in tenebris ratio, cauſaque latet, futurum tamen eſt, vt omnibus pateat.

*Sed omnia*, inquit Salomon, *in futurum ſeruantur incerta*. Id autē ſapienter quidem & luculenter probat, *Eo quod*, inquit, *vniuerſa æquè eueniunt iuſto & impio*. Si enim Deus cùm ſit præpotens rerum omnium princeps, improbos, & ſceleratos minimè puniret, & probos, ſanctóſque nullis vnquam muneribus afficeret, nec meritum, vt ita dicam, illis præmiū perſolueret, in non mediocri eſſet iniuſtitia. At cùm ipſe ſit iuſtus, & totius iuſtitiæ fons, & origo, ſi viri ſancti ſæpe malis vexantur, improbi verò, bonis iis, quæ vulgo ſunt in pretio, abundant, illud erit habendum pro comperto non hîc præmia, vel ſupplicia extare pro meritis, ſed vitam mortalem hanc aſſequendam quaſi ludum diſcendi, in quo variis, ac diuerſis diſciplinæ rationibus, ipſe nos totius Sapientiæ parens Deus, ad rectè honeſtéque viuendum, inſtituit; quare ineptè de præmio agimus, cùm adhuc ſumus in curſu, & totis viribus oporteat conniti, vt illum cum vera laude conficere poſſimus. E vita igitur, quaſi confecto curſu, ad Dei. O. M. iudicium diſcedimus, cui omnia reſeruantur. *Sic currite vt comprehendatis*,

1. Cor. 9. inquit Paulus.

*Hoc eſt peſſimum inter omnia, quæ ſub ſole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt. Vnde & corda filiorum hominum, implentur malitia & contemptu in vita ſua, & poſt hæc, ad inferos deducentur.*

Nomen Hebræum רע quo Salomon hoc in loco vtitur, ſi à verbo רעה originem ducat, voluntatem ſignificat, vt non caſu, ſed ſummo Dei iudicio, & voluntate fieri affirmet, quòd in humanis caſibus, quibus eſt vita communis expoſita, nullum ſit inter iuſtos & iniuſtos in hac vita diſcrimen. Idem verò nomen ſi à רוע oriatur malum ſignificat, quemadmodum Latinus noſter, doctè, & eruditè interpretatur, *peſſimum*. Eſt autem hoc malum, non maleficiū, non fraus, non improbitas, ſed moleſtia

ſingu

singularis,quæ proborum hominum animos excruciat, sed ærumna, quæ premit, sed ratio & causa improbis, qui Dei monitis, ad se aditum intercludunt, cur tot tantáque maleficia perpetrent. Est inquam illis ratio, & causa, quia, id peccandi impunitatem putant, & sensuum iudicio ducti, virtutis, quia in malis eam sæpe versari vident, studium pro nihilo ducunt, quòd nihil ad opes infirmas,ad honores inanes,& ad fallaces voluptates adipiscendas valet, has enim solùm sensuum illecebris irretiti appetunt, etsi veras, & stabiles opes,& honores in se ipsa virtus contineat & maximas efficiat voluptates.

Cùm autem hæc rerũ omnium gubernatio, qua homines,summus ipse rector,& dominus regit, & moderatur,sit optima, vt quæ iudicij futuri metu,libidinem coërceat,& spe boni,quod nunquam sit interiturum,nos ad virtutem maximè alliciat:sic quæ metu,& spe,vitam humanam temperet, vt homo nusquam desperet, nec sese nimium efferat, sed in aduersis de officio à Deo se admoneri existimet,& in prosperis, tum gratias ei agat maximas,& habeat,tum diligenter curet,ne illius numen,à quo tot accepit beneficia,offendat: non tamen homo hac se diuinæ mentis gubernatione regit, sed fidem sensibus adhibet, eáque solùm appetit, quæ sensus mouent,& futura,ac si non ad se pertinerent,minimè cogitat, quia in hac vita mortali proborum & improborum,sublatum esse discrimen videat,& eandem omnes conditionem subeant, nam secunda & aduersa vtrisque accidunt: quare virtutem despicit,Dei timorem abijcit, & scelera sceleribus cumulat. *Hoc* igitur, quia inde velut à fonte in genus hominum mala quàm plurima emanant, *Est*, inquit Salomon, *pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt*; Dum autem Dei in gubernando sapientiam,mens humana non percipit,illius benignitate, qua in nos beneficia confert,vt nos ad se, & ad verum decus trahat,abutimur, & illius disciplinam non solùm non sequimur,sed impiè aspernamur, qua nos ad optimam viuendi rationem,dum res nobis aduersæ accidunt,reuocat, vel etiam punit,quamuis honestatis virtutísque studium amplectamur; quia, vt Ioannes asserit, *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Hæc cùm sensuum iudicio metimur, longiùs à diuinæ mentis norma,regula,& præscriptione,ad impietatem,& ad scelus aberramus. **1.Ioan.1.**

Peccato,asserit Paulus,nullum,nisi ipsam mortem,stipendium persolui: **Rom.6.** nostri enim generis princeps,& sibi,& ijs,qui ab eo initium duximus,cùm primùm se astrinxit scelere, illud meruit. Verùm corporis interitus, etsi eum ipsa natura perhorrescat,non adeo fuisset in malis, si animus peccati quasi quodam veneno,sibi ipse mortem minimè consciret.Dum enim sensibus sese tradit,quos ipse debuerat,imperio moderari,nullam naturæ suæ præstantia dignam actionem suscipit, vt nihil ipse, ac si mens in eo fuisset extincta,iudicet,nihil imperet,nihil perficiat,sed totum ad sensuum iudicium confert,illorúmque sponte stare sibi potiùs esse existimat. At vita in actione consistit,si igitur nihil præclarum,nihil præstans,quod naturæ suæ sit conueniens agit,interiisse dicitur.

Hos

Hos igitur homines, qui ex eo, quòd sensus admonent, & immani sua tyrannide præscribunt, & non ex eo, quod homini conuenit, quod mens diuina docet, & sempiterna lex ipsa iubet ratiocinantur, mortuis Salomon adiungit. *Et post hæc, ad inferos,* inquit, *deducentur.* Est quidem omnibus moriendum, sed qui in vita sua Deo adhæserunt, ita ex eo discedunt vt ad tranquillam, quietam, beatamque vocati commigrent; longè secus illi, qui à se Deum optimum parentem alienarunt, hinc abeunt: quod Salomon licèt obscurè significat.

*Nemo est, qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam. Melior est canis viuus leone mortuo. Viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui verò, nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem, quia obliuioni tradita est memoria eorum. Amor quoque & odium, & inuidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, & in opere, quod sub sole geritur.*

Communis hæc moriendi conditio, est omnibus subeunda, quam nemo potest, siue iustus, siue iniustus respuere. Est tamen inter eos non mediocre post obitum discrimen. Imò ille ipse, qui sensuum potiùs quia iustos humanarum miseriarum casibus afflictos viderat, quàm Dei iudicio, stare maluit, à seipso, postquam è vita migrauit, plurimùm differt: fuerat enim illius multò melior in vita conditio. *Melior,* inquit Salomon, *est canis viuus leone mortuo.* Nam etsi Leo inter omnia animalia, sit viribus præstans, illius tamen cadaueris nullæ sunt vires, quæ enim illum mouebat, animam afflauit. At canis dum viuit, latrat, Dominum quàm fidelissimè custodit, odoratur, peruestigat. Sic etiam iniustus, postquàm è vita discessit, omniũ, quæ illi, vel ad virtutis decus, & ad vitæ ornamentum esse poterant, expers, in miseriis iacet, & nihil à mortuo leone differt.

Huius rationem reddit Salomon, cùm statim adiungit, *Viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt ampliùs, nec habent vltra mercedem, quia obliuioni tradita est memoria eorum.* Est enim mors tum vitæ, tum etiam humanarum actionum terminus constitutus. Dum autem viuimus, certò scimus, nos esse morituros, illuc enim progredimur, nec cursum hunc sustinere possumus, nec ab eo aliquis nos reuocare potest, quem tandem morte conficimus. Quare ea, quæ ad exitum vitæ spectant, vt sit optabilis, paramus, in quo vno sapientia maximè elucet. Verùm cõfecto iam vitæ cursu, cùm ad exitum vitæ peruentum sit, nec liceat longiùs progredi, nihil mortui cogitant, & moliuntur quod ad exitum vitæ pertineat, nec ex illis ampliùs locus, & tempus ad hanc, vel ad illam sibi propositam conditionem sequendam: eam enim, quam hinc exeuntes sustinent, perpetuò tolerabunt. *Nihil* igitur, vt inquit Salomon, *nouerũt ampliùs.* Quia in hoc, quo sunt statu, quid fugiendum sit, quídve sequendũ, minimè peruestigant, nec mente inquirunt, quo vitam beatam, consequi possint: sed quia culpa sua, iis carent, quæ beatos illos efficere

efficere potuissent, in summis se miseriis versari lamentantur: hoc vnum sciunt, hoc norunt, hoc experiuntur. Cùm igitur virtutis laus in actione consistat, ea verò mors homines spoliet, nemo quidem mortuus præmium poterit, aut pœnas mereri. Dum in vita manemus, virtuti possumus operam nauare, eóque studio veram laudem, & beatam vitam consequi. At hinc exeuntes pro meritis à sanctissimo iudice recipimus. Illic autem, nihil omnino agimus, cui sit præmium, aut supplicium constitutum.

Quamobrem, *Nec habent*, inquit Salomon, *vltra, mercedem*. Est autem hoc in loco *merces*, præmium, quod sit virtuti deferendum, vt apud Mosem, cùm Deus Abrahamum ad fidem sibi adhibendam excitaret, *Noli*, inquit, *timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magnanimis*. Gen. 15.
Hoc autem ideo contingit in mortuis, quia nulla cum carne illis contẽtio manet, in qua esse possit specimen aliquod virtutis. *Quia obliuioni*, inquit, *tradita est memoria eorum*. Hinc nempe, vbi campus datus est omnibus, in quo virtus excurrere, & cognosci possit, abierunt: & illuc commigrarunt, vbi nemini sit virtutis cursus apertus ad gloriam. Quamuis autem, ita hominis ferat conditio, vt omnium ferè, qui vita functi sunt, memoriam sempiterna deleat obliuio: non tamen omnes, quemadmodum è vita, sic ex omni sunt euulsi memoria: multorum namque, tum ob virtutis laudem, tum etiam ob scelerum immanitatem, memoriam tenemus, & eam monumentis immortalem reddimus. Sed eorũ ipsa status conditio, & stabilis, firmáque ratio viuendi efficit, vt nihil, quod sit dignum memoria agere, vel moliri possint, quo ipsi se ab obliuione hominum, & à silentio vindicent. Nullus enim est illic virtuti ad agendum locus, cùm ipsa amplissimis, summísque præmiis, & honoribus affecta, diuinitus data sibi placidissima pace, & trãquillitate fruatur: scelus verò omnino conticescat, cùm id, quod merebantur, supplicium, scelerati perferant, nec quidquam miseri agant, nisi, quemadmodum Sap. 5.
Sapiens luculenter commemorat, se ipsos reprehẽdant, & temeritatem, qua sunt in tot scelera prolapsi, exerceantur. Quamobrem hi, quibus ipsa conditio, in qua sunt, omnem ad virtutis laudem, aditum interclusit, iacere in obliuione, meritò dicuntur, cùm eorum nec virtus possit vsquam, nec improbitas eminere.

*Amor quoque*, inquit Salomon, *& odium, & inuidia simul perierunt*. Hi omnium malorum fontes, quæ vitam communem perturbant, & optimam viuendi rationem euertunt, sunt in corpore: dum illud quidem viget, sensus, statum rationis acerrimè oppugnant, eámque sub suam ditionem redigere, summis viribus nituntur. At oppugnata ratio, vehementissimè illis repugnat, vt in illos traditum sibi imperium tueatur. Acerrima quidem hæc est in nobis pugna, & summa contentione pugnatur, in qua virtus maximè elucet, *Caro*, enim, inquit Paulus, *concupiscit aduersus spiritum; spiritus autem aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur*. Gal. 5.
At si corpus concidat, fontes illi sitiunt, pugna non solùm sedatur, sed nulla poterit ampliùs committi. Nullum igitur mortui sibi præmium, quod virtuti debetur, polliceri poterunt, cùm ibi, nullum cum sensi-

bus certamen ineant: postquam enim corporis vinculis soluti hinc euolarunt, hoc, quo nos militiæ sacramento obligamur, amisso, nec hostes habent, quibuscum pugnare possint, nec vllam nostræ conditionis partem sequuntur: hoc est, vt inquit Salomon, *Nec habent partem in hoc sæculo, nec in opere, quod sub sole geritur.* Non enim ea, qua nati sunt ad agendum, conditione, vtuntur. Ille igitur, qui è vita plurimis damnatus criminibus discessit, afflictiori est nunc conditione, quàm dum viuebat: & quilibet humilis & abiectus homo, qui in vita manet, ei, vt canis viuus, mortuo leoni, erit præferendus.

*Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.*

Cùm itaque innumeris sit hæc vita communis plena miseriis, & improborũ sint exitus tristes, & nulla post obitum, illis sit spes, aliquando, è malis, quibus excruciantur, emergendi, meritò quidem Iacobus, hac
Iacob. 5. eos oratione, ad studiũ virtutis hortatur. *Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis.* Probos verò Salomon, quorũ vita, & mores, institutis diuinis conformantur, admonet, vt ex his rebus quæ sensus mouent, eam quæ hominis naturæ, & dignitati, contraria nõ sit, voluptatẽ excipiant. *Quia Deo,* inquit, *placent opera tua.* Est enim mens illa sempiterna, totius legis, humanæque virtutis norma: is verò, qui ad eam se ipsum dirigit, Deum imitatur, eóque suo studio sibi charitatẽ illius conciliat. Qui verò Deum vitæ ducẽ sequi studiosè diligentérque curat, is profectò hisce rebus, licèt infirmæ sint, & nullius ferè momẽti, lætatur. Nam cùm in eo non dominetur, effrænatam efficiens appetentiam, & nusquã finem inueniens, grauiùs semper & ardentiùs sitiens libido, quieto quidem & tranquillo animo, illis vtitur. Turbidus enim animus, & sceleribus inquinatus, cùm vbi consistat, vspiam non habeat, quippe qui à seipso diffideat, nulla vnquam poterit lætitia perfrui. Nisi enim singularis quædam illi quies & tranquillitas adsit, ægritudine minimè vacabit, nec vllam, vt hominem decet, lætitiæ percipiet voluptatem. Cùm enim, ad id, quod bonum sibi videtur, illectus & inflammatus rapiatur, id quidem si fuerit adeptus, necesse est, vt efferatur, & gestiat; si verò caruerit, nimis doleat. At gestiens lætitia, est homine indigna, mentem enim eripit, & est futilitatis & leuitatis plenissima.

Sapienter quidem Iacobus, & quo erat afflatus spiritu, voluptatem, quam ex his infimis rebus liceat aliquãdo percipi, nobis indicat, & quónam modo ea sit temperanda præcipit, ait enim, cùm ad suos scribit,
Iacob. 1. *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, diues autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit.* Est enim in omni voluptate adhibenda moderatio, ne fastidio nobis sit, & ibi plus mali, quàm boni reperiamus, néue eam reiiciamus, aut illecebris illius astricti, de statu nostræ
Prou. 25. dignitatis recedamus. Quod Salomon alio in loco, his verbis eleganter significat. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud.*

Eorum igitur animos, qui sese Deo tradiderunt, hoc in loco, tum erigit,

git, cùm inquit, *Quia Deo placent opera tua.* Tum etiam eos ſolos in his rebus, & in hac vita, lætari poſſe ſignificat, cùm eos his verbis ad voluptatem hortatur, *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum.* Hæc enim ipſa, quam illis Salomon affert, diuinæ erga eos ſpes beneuolentiæ, per quam in rebus ſuis, omnem in Deo fidentiam, collocant, non ſolùm ad lætitiam, viam præclarè munit, ſed etiam efficit, & multis acceſſionibus auget, mentem enim ſtabilit, libidinem coërcet, & voluptatem corporis ita moderatur, & temperat, vt eam rectæ rationi ſubiiciat. Quò fit vt, ſi rem hanc cum animis noſtris conſideremus ad veritatem, neminem niſi probum, & optimis moribus inſtitutum, frui voluptate arbitremur. His autem verbis, *comede & bibe*, tum lætitiam in animo, tum voluptatem in corpore ſubiicimus, quæ, vt diſſeruimus, nonniſi homini, qui Deo charus ſit, contingunt. *Iuſtus*, inquit Salomon, *comedit, & replet animam ſuam, venter autem impiorum, inſaturabilis.* Prou. 13.

*Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.*

*Omni tempore*, hoc eſt, ſiue aduerſa, ſiue ſecunda nobis accidant, ſi Deum vitæ ducem habemus, & ſequimur, nec animo ſuccumbamus, nec efferamur inſolentiùs: omnia námque moderatè feremus, & ſemper in nobis naturæ humanæ dignitatem ſeruabimus, nec aliqua eam, ſi fieri poſſit, labe aſpergemus. Hunc vitæ ſplendorem, qui in probis hominibus lucet, Salomon commendat, cùm inquit, *Sint veſtimenta tua candida.* Eique ſapientiæ decus adiungit. *Et oleum de capite tuo non deficiat.* Quia verò ij, qui diuinæ ſunt ſapientiæ muneribus affecti, tum ſecundis rebus lætantur, tum etiam aduerſis minimè cedunt, inde illud eſt ortum, quod Paulus ad Philippenſes ſcripſit, *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.* Phil. 4.

Hoc autem animi gaudium, & hanc lætitiæ voluptatem, ex his etiam rebus infimis, ij, teſte Salomone percipiunt, qui Dei inſtitutis viuunt. Hic enim veſtium candor, quem Salomon ſanctis hominibus tribuit, & vnguentum, quo vult, vt ipſi niteant, quieti animi tranquillitatem, & hominis cum Deo coniuncti, voluptatem, in omni rerum ſtatu, incredibilem ſignificat: quod etſi nihil aliud in virtute eſſet, ad illius nos ſtudium alliceret. *Veſtium candor*, quo vt probi homines, omni tempore fulgeant, Salomon perſuadet, animi lætitiam, in ſacris litteris ſignificat, quemadmodum beatiſſimæ illæ mentes, cùm Chriſtus, O.M. ſeipſum è mortuis excitauit, candidis indutæ veſtibus, Sanctis mulieribus apparuerunt: quin & animum caſtum, & purum, indicat, vt eſt illud Ioannis, *Datum eſt illi, vt cooperiat ſe, byſſino ſplendenti, & candido, byſſinum enim iuſtificationes ſunt ſanctorum.*

Veſtium candor in Scriptura quid ſignificet.

Matt. 17. Marc. 16.

Apoc. 19.

Nomen Hebræum, tum oleum, tum etiam vnguentum ſuauitate conditum ſignificet, quo conuiuæ perfricari ſolebant, & illud, quo Sacerdotes diuino ritu, & ſacris inſtitutis vngebantur. Palæſtini verò,

Psal. 103. & omnes ferè hominum nationes, qui ad ortum solis, terras incolunt, dum non erant in mœrore, oleo vngebantur, quod Dauid his versibus narrat, *Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis, vt exhilaret faciem in oleo,* Eo igitur tum lætitiæ voluptatem, vt Salomon, *Thesaurus,* inquiens, *desiderabilis & oleum inhabitaculo iusti.* Et Dauid, *Impinguasti in oleo caput meum.* Tum etiam Diuini spiritus munus, & donum, quo nos à sensuum iudicio, ad diuinæ mentis rationem intuendam seuocamus, sacri autores significant, quemadmodum Ioannes, de vera religione, & fide disserens, *sed vos,* inquit, *vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia. Et vos vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis: & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus.*

Prou. 21. Psalm. 22. 1. Ioan. 2.

Quemadmodum verò Christus O.M. cùm suis præciperet, vt si ieiuni sint, cibúmque respuant, lætitiam tamen præ se ferant, & iis rebus vtantur, quæ voluptatem dignam homine ferunt, hac eos ad id officij munus exequendum, oratione hortabatur. *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Ita & Salomon eos iubet, candidis vestibus, & oleo vti. Eos enim, qui opes sibi maximas fraude & scelere cōparant, & deliciis affluunt, quanuis beati, hominum opinione esse videantur, maximæ quidem miseriæ, & ærumnæ premunt: ea enim, quæ illis obiiciuntur extrinsecus, non autem quæ sunt in animo inclusa cernimus, quæ si inde trahi possent, vt in conspectu omnium ponerentur, quàm illis sint opes ærumnosæ, quámque ingratæ, & insuaues deliciæ, videremus.

Matt. 6.

Quamobrem Salomon, eos, quorum opera, Deo placent, qui scilicet, Deum vt fas est, imitantur, ad splendorem vitæ, & ad lætitiæ percipiendam voluptatem excitat: in his enim est illa pacis tranquillitas, quam spiritus diuinus constituit, qua sensus rationi, ratio autem Deo obedit: etsi, vt humana fert conditio, sensus aliquando agitantur immoderatè, statim tamen quasi sedatis fluctibus, & tempestate mutata, animus suum tuetur imperium, & soli Deo, cui est subiectus lege naturæ, paret. In hoc illi animi statu constituti, cùm nullæ intus in animo appetitiones inclusæ, inter se dissideant, & discordent, iis omnibus, quæ Deus humano generi donauit, nã, vt inquit, Ecclesiasticus, *Bona bonis creata sunt ab initio,* moderatè quidem, & cum non mediocri vtuntur voluptate, quam ipsa, qua Deo obtemperant obedientia, magno quidem cumulo auget, & amplificat. Ne verò ita voluptatem esse hominibus appetendam arbitraremur, vt ipsa sit, quasi actionum humanarum norma, eam Salomon lege temperat, & certis quibusdam quasi terminis circunscribit.

Eccl 39.

*Perfruere vita cum vxore quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi, sub sole, omni tempore vanitatis tuæ: hæc est enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras sub sole.*

Cùm

Cùm multa ſint voluptatum genera, quibus ſenſus iucundè in corpore mouentur, meritò viſum fuit Salomoni, vt ſi eam, quæ in hominis natura maximè implicata inſidet, ratione eſſe coërcendam præciperet, cæteras quoque, ne vltra quàm par eſt, progrediantur, rationis eſſe imperio continendas, intelligeremus. Quemadmodum enim corporum commiſcendorum inſita in natura libido, eſt ea lege cohibenda, quam natura in coniugiis virorum & vxorum coniungendis ſanxit, ne brutorum more, præſtantiſſimum hoc rationis particeps animal, ſine iudicio, ad eam omni impetu feratur incitatum: ita & in cæteris voluptatibus, quarum non ita hominis natura, cupiditate flagrat, erit, quid lex diuina, quid recta ratio prohibeat, quídque permittat, ſingulari ſtudio inueſtigãdum, vt id quaſi terminum ſibi quiſque conſtituat, quem vel euellere ſit nefas, vel tranſgredi.

Hoc autem matrimonij fœdus eleganter quidem alio in loco, his verbis Salomon commendat, *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui, ſit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adoleſcentiæ tua: cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus, vbera eius inebrient te omni tempore, in amore eius delectare iugiter.* Quàm verò ſit hominibus pernicioſum, hoc ſanctum naturæ fœdus violare, longiori ille quidem oratione explicat. Prou.7.

Ne verò ſat eſſe putaremus, in voluptatibus moderationem adhiberi, *Cunctis*, inquit, *diebus vitæ inſtabilitatis tuæ, qui dati ſunt tibi ſub ſole, omni tempore vanitatis tuæ.* Vitæ ſcilicet humanæ breuitatem, & rerum noſtrarum commemorat vanitatem: vt dum ex illis voluptatem percipimus, mors quàm ſemper nobis impendeat, quámque infecti ſæpe, & triſtes caſus, in eos incurrant, qui voluptatibus affluunt, animo cogitemus: vt ſi voluptas ſenſus iucundè moueat, eóſque ad ſe alliciat, animus tamen liber, ſapientiæ ſtudio vacet. Ibidem.

Eodem fuit Paulus noſter hac in re cum Salomone ſenſu, etſi eum, vt tempus poſtulabat, luculentiùs explicuerit, ſic enim Corinthios, vt in his rebus non ſolùm moderationem teneant, ſed & ſapientiæ operam ſtrenuè nauent, in prima, quam ad eos ſcripſit epiſtola, admonet, *Hoc itaque dico fratres, tempus breue eſt, reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non poſſidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur; præterit enim figura huius mundi.* 1.Cor.7.

Hunc igitur Salomon voluptatibus terminum præſcribit, quem natura, & ipſa mens diuina, procreandi in homine inſitæ cupiditati conſtituit, vt in iis ſemper ſuus veræ philoſophiæ locus relinquatur. Hæc eſt illa quidem voluptas, non rationi inimica, & cum honeſtate coniuncta, quam vir ſapiens, dum in tellure verſatur, ex his rebus infimis percipit.

Cùm verò rarò hominibus ſecunda, ſæpe ſæpius verò aduerſa accidant, & ſecunda mentem ſi non eripiant, id totum Deo ſit referendum: Diuino quidem munere efficitur, vt quis ſenſibus voluptatem ſimul percipiat, & decus honeſtatémque ſeruet. Quamobrẽ Salomon, iis, quæ dixerat, addit, *Hæc eſt enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras ſub ſole.* Nihil eſt enim in his rebus, quæ ſenſibus comprehenduntur, in quibus

cum tanta ſolicitudine, & moleſtia verſamur, naturæ humanæ magis conueniens. Nam, vt animus in corpore incluſus, ei vitam tribuit, & imperat; ita & voluptas cum honeſtate coniuncta, ſenſus iucundè mouet, & rationi obtemperat, vt omnia ſibi ipſis conſentiant, & corpus non omni voluptate careat, quam natura appetit, nec animus ſibi commiſſũ imperium amittat.

*Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia, erunt apud inferos, quò tu properas.*

Ex iis rebus, quæ omnes ad interitum properant, nobis licet, vt Salomon docuit, eam, quæ eſt cum honeſtate coniuncta, voluptatem libare potiùs, quàm haurire, aut in ea diutiùs commorari, cùm ipſi quoque in curſu ſimus ad interitum. Reliquum eſt igitur, ſi ita volat ætas, & ipſa voluptas præterit, vt quidquid ad officij noſtri rationem pertinet, id ſingulari curâ & ſtudio perficere conemur, ne otio nos torpentes, mors occupet, & omnes ad decus, & honeſtatem aditus intercludat. *Quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia, erunt apud inferos, quò tu properas.* Hoc autem in loco, *Inferorum*, nomini, nulla niſi ſepulchri notio ſubeſt, vt eo etiam in loco, in quo, cùm nollet Iacob Beniaminum in Ægyptum duci, petenti Rubeno maiori natu filio, ita reſpondit, *Si quid ei aduerſitatis acciderit in terra, in quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Et Dauid, Cùm Salomonem ad regnum Iſraëlis adminiſtrandum inſtitueret, mortis ſupplicio, quo Ioab, & Semei digni erant, monuit, vt poſtquã ipſe è vita diſcederet, eos afficiendos curaret, *Deduces*, inquit de Ioab, *canos eius, cum ſanguine ad inferos.* At in morte nullus eſt corporis ſenſus, nulla rationis actio, quæ vel ad nominis gloriam, vel ad ſapientiam, vel ad ſcientiam, aliquid proficiat: mors enim eſt huius vitæ curriculi, quaſi meta, ad quam humanæ gloriæ curſus & virtutis hæret, quamobrem Dauid cùm infirma, vel potiùs perdita valetudine eſſet, Deum hac vna oratione, vt ſibi ſalutem redderet, obnixè precabatur, *Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui, aut in inferno quis confitebitur tibi?* Hoc, quod Salomon multis ſæculis antè poſtea Paulus Galatis præceptum tradidit, *Bonum*, inquit, *facientes non deficiamus; tempore enim ſuo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes; quia*, vt inquit Ioannes, *tempus non erit amplius.*

[Margin notes: Inferi, pro ſepulchro. — Geneſ. 42. & 44. — 3. Reg 2. — Pſalm. 6. — Gal. 6. — Apoc. 10.]

*Verti me ad aliud, & vidi ſub ſole, nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellũ nec ſapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam: ſed tempus caſumque in omnibus.*

Capita quaſi quædam malorum, quæ in communem hanc vitam incurrunt

currunt, Salomon exposuit. Ad ea verò malum, quòd velut cumulus accedit, his nunc verbis commemorat. Est autem hoc in vita quidem grauissimum, quod eos vrget, qui inter alios longè præstant. Nec enim id, quod ex humanæ naturæ conditione nascitur, & in nos inuehitur, in malis ita ducimus, vt illud esse maximum opinemur: id autem quod, vel hominum moribus, vel eorum, qui principem, in republica locum autoritatémque tenent, contrahitur culpa, multò est acerbius. Quod enim est à natura constitutum, nec est insperatum, nec tantum vulnus imponit, quin illud non æquo animo homines ferant. At si peruersi, tum vulgi, tum etiam principum mores instigant, omni est illud pondere grauius. Cùm verò casus id affert, vt viri à natura, & à doctrina non mediocriter instituti, eo aliis cedant, in quo ipsi maximè excellunt, ex depprauatis quidem moribus, & mala disciplina accidit. Vnde virtutes omnes, quod est maximum in republica malum, & optimæ scientiarum disciplinæ, in tenebris iacent.

Quamobrem Salomon, in rebus humanis asserit, id esse maxima dignum consideratione, cur ij, qui ad cursum velocitate valent, illum minimè conficiant: eum enim vel sustinent, vel quia tenere non possunt, aliò vestigium inflectunt: & ij qui bellica sunt virtute, & viribus præstant, vel principum inertia, bellicam rem non administrent, vel commilitonum ignauia victi in prælio concidant: & rerum humanarum diuinarúmque scientiæ compotes, vel quia hæc infima despiciunt, vel quia ab iis, qui imperio potiuntur, maximarum hæc scientiarum studia negliguntur, rebus omnibus indigeant: &, quod magis mirandum est, qui prudentiam, siue domesticam, siue ciuilem, adepti sunt, nec diuitiis quidem semper affluant, nec illud consequi possint, vt respublica sit opibus firma: & qui pertractandorum animorum scientiam habent, in eáque arte maximè excellunt, nec principum, nec vulgi gratiam acquirunt: *sed vidi*, inquit Salomon, *tempus, casúmque in omnibus.*

Etsi verò Salomoni fuerit certum, quod Deus ipse testatur, cùm suos ad veram fortitudinem instituit, inquiens, *Nónne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?* Non tamen quisquam negauerit, multa sic cadere, & euenire, vt vel non cadere atque euenire, vel aliter cadere atque euenire potuerint: id autem Salomon, *tempus*, quia rerum in eo sit vicissitudo, & mutatio casúmque appellat, quia non pro cuiusque meritis, si ea sensu iudicióque humano ponderentur, cadant. Verùm non vi aliqua cælesti rapimur, aut contorquemur, vt à proposito cogamur aberrare, sed insita in natura libido nos à recta abducit ratione, sine qua nostræ actiones, eò, quò referendæ sunt, dirigi non possunt: vnde sæpe nos, ipsa vel spes, vel opinio fallit. Accedit etiam, quòd in aliorum cùm sumus imperio, ad quorum nutum, ipsi nos totos fingimus, ex illorum moribus, & libidine, acerbissimi sæpe casus incidant: & dum illorum gratiam, & ingenij imbecillitatem aucupamur, ea aggredimur, & perficere conamur, quæ quo sint concludenda exitu,

Matth. 10.

præ-

præuidere, si nobis ambitio mentem non eripuisset, poteramus.

Ij quoque, qui omnia suo regunt arbitrio, aliorum'seruiunt libidini, qui non fide, & virtute, officium, sed vtilitate dirigunt. Vnde illa, quæ hoc in loco Salomon refert, oriũtur. Illis enim, qui regibus & principibus assentantur, faciles sunt ad honores aditus, & incredibilis ad omnes dignitates cursus, vt aliis præsint, quibuscum ipsi minimè sunt conferendi: qui verò summa fide, & religione, liberè regibus & principibus dicunt, quid iustum, quídve honestum sit, quídque de republica sentiũt, ac si eos maximè offendãt, illis sunt in odio. Quin id etiã in cæteris quoque hominibus, cernimus, sic enim quisque se nimis diligit, maximè verò Reges, vt præ se minimè alios, homines ducant; eos verò qui se ad eorũ nutum diligenter effingunt, cæteris esse præstantiores putent, sibíque ad reipublicæ gubernacula, & ad imperij procurationem asciscunt.

Casu igitur euenit, vt Reges, & Principes sapienti partem aliquam reipublicæ gubernandam committant, tum quia, cùm ipsi sibi assententur, & se maximè delectent, aures assentatoribus præbent, ex eorúmque libidine, rerum momenta ponderant: tum quia, cùm ferè sit omnis ad eos sapientibus aditus interclusus, ad eorum consuetudinem, velut æstus quidam marinus, ad littus, hos vel illos defert, è quibus, non qui sint ad rempublicam commodissimi, eligunt, sed potiùs quasi de naufragio tabulam, casu eos arripiunt, ad quos gubernandæ curam reipublicæ deferant.

*Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tẽpore malo, cùm eis extemplò superuenerit.*

Est quidem mens humana certis circunscripta terminis, quos ipse naturæ architectus pepigit, iisque parendum est, nec latiùs quàm ipsi postulent, certa firmâque ratione peruagari potest. Quamobrem etsi aliqua prouideat, plura tamen quæ prouentura sunt, ei in occulto latent. Animi quoque prauitas, in summas eam adducit angustias, ne multa, quæ potuisset, obcæcata libidine prospiciat, quæ hominem nec opinantem opprimunt.

*Nescit homo finem suum.* Vox Hebræa *tempus* significat, pro qua noster interpres *finem & tempus* hoc in loco latinè reddidit, vt est illud, *sic capiuntur homines in tempore malo.* Græcus & Chaldæus, Hebræum ita vertunt, vt huic voci, nullam nisi temporis notionem subiiciant. At verò *tempus* apud Hebræos, *diem*, quæ facit viuendi nobis finem, significat, vt est il-
Matth.26. lud, *Tempus meum prope est*, Et, *Tempus meum non aduenit.* Opportunitas au-
Ioan.7. tem faciendi, aut non faciendi aliquid, casúsque rerum, maximè hoc vno
Ierem.8. nomine declarentur, quemadmodum eo vsus est Ieremias, sic enim ille de suorum ciuium improbitate, & animi cæcitate disserens, inquit,
Thren.1. *Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui. Et vocauit aduersum me tempus, vt contereret electos*

meos,

*meos*. Hæc autem cùm homines nec animaduertant, nec futura ante videant ob ingenij tenuitatem, & ob deprauatos mores, qui animis caliginem offundunt, piscium quidem more, qui inter omnia animantia sensu maximè carent, in rebus prosperis, se totos ita libidini dedunt, ac si à mente omnino deferantur, nec quid sit opportunum, quídue conueniens, quídue sibi inde mali euenturum sit, secum ipsi cogitant, sed ad ea, quæ sibi sunt voluptati, velut aues summa celeritate aduolant. *& omnes*, vt inquit Ieremias, *conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium*. Quamobrem hi, vt Iudas Apostolus inquit, *quæcunque naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur*. Ierem.8.

Cùm igitur belluarum more viuant, similes quoque exitus vitæ habẽt, iidémque in eos casus incurrunt. Voluptatem enim dum ardenter appetunt, eáque maximè gaudent, & singulari cura hæc infima sectantur, eo ipso studio, quod malorum est omnium esca, nec quidem opinantes capiuntur, vt hamo pisces, & collum vt aues in laqueum inserent: illud nanque, mirum est, quas eis solicitudines animi corporísque ægritudines afferat, quàm celeriter aliquando omnia vertat, quas sæpe calamitates importet, etsi enim opes sæpenumerò augeat, non eas ita firmat, & stabilit, quin hominum inuidia, & ipse rerum cursus eas non euertat. Nihil horum, quæ homini euenire possunt, dum toti in eo studio sunt, illi cogitant, subitò igitur eos vel rerum casus premit, vel mors extinguit.

Vtrunque Salomon *malum tempus* appellat, illius enim motu, cætera quoque mouentur, oriuntur, & occidunt, vigent, & senescunt, & nunquã semper suo statu manent. Si igitur, vt volumus, res cadant, *bonum* quidem; si verò aduersæ accidant, *malum tempus* Hebræi appellant, vt Amos.5.
Amos, cùm inquit. *Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum* Mich.2.
*est*. Et Micheas, *Non ambulabitis superbi, quia tẽpus pessimum est*. Dauid quo- Psal.36.
que de iustis hominibus differens, *Non confundentur*, inquit, *in tempore malo*.

*Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, & probaui maximam. Ciuitas parua, & pauci in ea viri; venit contra eam Rex magnus & vallauit eam; extruxit munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio, inuentúsque est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.*

Ea, quæ Salomon hactenus disseruit, exemplo probat luculenter, Cur nempe in hominum vita casus dominetur, & dum se ipsos felices putant, eos præter spem, repentina calamitas opprimat. Vrbem commemorat, paruam quidem, nec copiosam, à Rege quodam obsessam fuisse maxima multitudine, & oppugnatam vehementissimè: hominem verò, cui nullæ erant opes, sed qui aliis sapientia præstabat, etsi eum ciuitatis illius principes, ne quidem nouerant, eam consilio suo, & virtute, summis obsidionis periculis liberasse.

Verba autem illa, *& nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis*, ita cum illis, quæ antecedunt, cohærent, vt ante obsidionem, sapienti illi, ad reipublicæ gubernandæ curam, ad honorésque aditum minimè patuisse significent. Nomen autem illud, *Deinceps*: cùm non sit apud Hebræum, vt luculentiùs, quàm sint homines accepti beneficij immemores, explicaret, noster interpres, addidit.

Rem autem non mediocris esse momenti, hæc Salomonis oratio persuadet, *Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, & probaui maximam.* Est enim illud non mediocre sapientiæ decus, ita viuere, vt tecum ipse viuas, te vnum moderere, & huiusce reipublicæ, etsi paruæ, ita clauum teneas, vt si sensuum fluctibus ipsa iactetur, non alluatur, illísq; sedatis, semper mens suum tueatur imperium. In hac verò gubernanda, qui suo præclarè fungitur munere, cùm ad illius reipublicæ, quæ plures iure societatis deuincit, gubernacula tractanda sit asciscendus, ipse ne nomine quidem aliis notus, tranquillo animo degit, séque ab illis contemni, pro nihilo ducit, etsi rempublicam ab insipientibus administrari doleat: sibi verò, ne dicam potiùs reipublicæ illatam iniuriam, ita despicit, vt in grauissimo illius tempore, cùm prope laberetur, eam ipse sustineat, virtutéque singulari confirmet. Quàm verò sit hoc eximium, & præstans, quis non videat? quis non summis laudibus prædicet?

At cur huius ciuitatis principes ante obsidionem, nec ciuitatem munierant, nec sapientis opera, in illius moderatione, vsi fuerant, aut eam
Eccl. 9. aliquando postularant? Quia, vt inquit Salomon, *Vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus, casúmque in omnibus.* Non enim ad eos, qui futuri essent reipublicæ commodiores, sed ad illos, qui gratia, qui affinitatibus, qui assentandi artificio valent, honorem, & imperium deferunt, illud autem, cùm ea ratione sint assecuti, totum ad vtilitatem suam dirigunt, & cùm reipublicæ tempora calamitosa incidunt, quid agant, ignorant; sapientiam enim, quæ rerumpublicarum custos est, & moderatrix, non habent. Hoc autem illud consequitur, vt ipsi tanquam pisces, ea, quam auidè arripuerant, esca capiantur, & laqueo, tanquam volucres, cui semel collum inseruerunt, irretiti teneantur. Quid indè? animis concidunt, exitium perhorrescunt, metu debilitantur. Cùm denique munus, quod imprudenter susceperant, explere non possint, seipsos sapienti submittunt, qui malum impendens, ab eorum ceruicibus depellat. Cùm igitur in eum casum, ciuitatem hanc, suorum ciuium insipientia demiserit, cúmque sapiens releuarit, & in eo fuerit illam tutatus, & conseruauerit, nónne in rebus humanis casum sæpe dominari cernimus, quia sapientiæ studium homines aspernantur, & respuunt?

At quanta sit in hominibus sapientiæ contemptio, & despicientia, Salomon his verbis explicat, *Et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.* Iis enim sunt principes moribus educati, vt si parumper ad sapientiam, animum conuertant, dignitati suæ notam inussisse putent, ad quorum se mores, cæteri effingunt. Quamobrem dum omnia prosperè

eueniunt,

eueniunt, ſapientiam pro nihilo ducunt: ſi acerba incidant tempora, & omnibus periculis cincti, ſeipſos explicare nequeant, tunc humanæ ſalutis cuſtodem, & procuratricem, implorant, & appellant, ſapientiam: cuius cùm fuerint virtute, in libertatem vindicati, eam ſummo ingrati animi ſcelere deſpiciunt: non enim in perditis moribus eſt ſapientia, quemadmodum hac oratione ſapiens docet, *Quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sap.1.

*Et dicebam ego, meliorem eſſe ſapientiam fortitudine. Quomodo ergo ſapientia pauperis contempta eſt? & verba eius non ſunt audita?*

Si igitur ſapiens ille nullis ſuis opibus munitus, ciues, ne capta vrbe perirent, integros, & incolumes ſeruauit, quis non ſapientiam fortitudini anteponat? *Melior*, inquit ſapiens, *eſt ſapientia, quàm vires: & vir prudens, quàm fortis.* Eſt autem, vt Ariſtoteles cenſet, fortitudo inter metum & fiduciam, mediocritas. Et, vt Chryſippus luculentiùs inquit, eſt ſcientia perferendarum rerum, vel affectio animi in patiendo, ac perferendo, ſummæ legi parens, ſine timore. Hæc autem eſt viri maximè propria virtus, quæ in magnis & formidoloſis ſubeundis, repellendíſque cernitur, eorum conſeruans ſtabile iudicium: eáque in bello, vbi præclaræ pro religione, & patriæ ſalute, mortes oppetuntur, elucet. At quis illam, quæ Peripateticis placet, mediocritatem tenet? ipſe illorum princeps, quàm eſſet, aperuit, difficile. Illa verò Chryſippi affectio animi, ſummæ legi parens, ſine timore, ita reiicit timorem, vt animus ab officio non diſcedat, & diuinæ legi, omnibus innatæ ſit obediens. Sap.6. 3.Eth.6. Tuſc.4. Fortitudinis definitio.

Quis hoc vnquam fuit niſi Dei munere conſecutus? vt omittam noſtros, qui diuino ſpiritu afflati, quidquid pulchri & honeſti, in nobis ineſt, ad Dei benignitatem reuocant, vnum Platonem, qui in natura rerum impreſſis veſtigiis, ſapientiam, ſingulari eſt ſtudio perſecutus, referam: is autem Socratem cum Alcibiade de virtute ita loquentem inducit, vt eam nonniſi à Deo gigni in nobis affirmet. Nemo igitur fortis vir erit, qui Deo non adhæreat, eúmque colat, & diligenter obſeruet. Hoc autem hominibus ſola præſtat ſapientia: Deum enim ſibi conciliat, & amore, coniunctionéque aſtringit. *Neminem* enim, inquit ſapiens, *diligit Deus, niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat.* Quàm verò ſit fruſtra, omnis in ſapientiæ ſtudio, hominum labor inſumptus, Paulus oſtendit, in ea epiſtola, quam ad Romanos ſcripſit. Eam traditam à Deo accipimus, ſi noſipſos minimè deſeramus, & quibus poſſumus viribus ad eam nitimur, ſic enim ſapiens eam ſe fuiſſe conſecutum affirmat, *Et vt ſciui*, inquit, *quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum, adij Dominum, & deprecatus ſum illum.* Sap.7. Rom.1. Sap.8.

Sapientiam igitur ſolus autor illius Deus hominibus tradit, quæ eſt morum cuſtos, & præceptrix hominum, nóſq; exhorreſcere metu non ſinit.

Cùm verò fortitudo, sine sapientia hominibus non adsit, vt quæ à Deo tota pendeat, non enim, nisi munere diuino illam tenet mediocritatem, & summæ legi obtemperat, longè profectò, quæ Deum semper obseruat sapientia, multúmque, fortitudini antecellit.

2. Mor. Eud. Sed cùm multa, vt refert Aristoteles, fortitudinem imitentur, quibus nomen & laus illi debita, tribuitur, interea bellica fortitudo, ad verum illius decus, & dignitatem, maximè accedit. Verùm hæc si non sit sapientiæ muneribus exculta, haud virtutis decus obtinet. Quid igitur mirum, si cum sapientia non sit conferenda? Illud tamen est admiratione dignum, qua ratione dum vrbs obsidione premitur, dum hostes oppugnant, sit ipsa sapientia, rei militaris virtuti anteponenda, si sapientia abest, illa quidem, vt diximus, non est in virtutibus ponenda. Ea enim sapientiæ præsidio indiget, vt quovsque progrediendum sit, teneat, vt mortem sibi oblatam, quia honestum sit, despiciat, & inter nimium, & parum, se mediā ferat. Verùm sapientia ita est *rerum diuinarum, & humanarum cognitio*, vt non solùm eas perceptas habeat, sed omnes vias doceat, quæ ad veræ virtutis decus, & honestatem ferunt, & in officio colendo, honestum, vt cōseruare totis viribus nitamur, efficit, & in negligendo, turpitudinem fugiamus. Non enim otio, sapientia diffluit, hebescit, aut languet, sed cùm ratio postulat, nec eam temporis iniuria, & acerbitas impedit, est rerum maximarum effectrix: animos enim ad virtutem informat, instituit, & ad omne officij munus instruit. Est enim cæterarum omnium virtutum moderatrix; quod sapiens præclarè quidem, & eleganter satis differit, in ea, quam de sapientiæ laudibus habuit, oratione, si enim inter alia, hæc de

Sap. 8. sapientia affirmare non dubitat, *Doctrix enim est disciplinæ Dei, & electrix operum illius: etsi diuitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur, omnia? si autem sensus operatur, quis horum, quæ sunt magis, quàm illa est artifex? etsi iustitiam quis diligit: labores huius magnas habent virtutes: sobrietatem enim, & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus.*

Virtutis autem nomine post iustitiam, fortitudinem significat, vt illas quatuor, vnde cæteræ, quasi riuuli deriuantur, virtutes doceat, è sapientia, in genus humanum emanare: vt ab ea, rei militaris virtutem perfici, & augeri fatendum sit, quod ipse his verbis, eodem in loco testatur per hanc *timebunt me,, audientes Reges horrendi, in multitudine videbor bonus, & in bello fortis.* Nihil enim foris arma proderunt, si domi sapiens consilium non sit: quemadmodum enim corporis membra, etsi viribus valeant, si mens, & ratio non dominetur, non vtilia, sed potiùs sunt perniciosa, ita & bellica illa fortitudo, nisi sapiens consilium aliquod consistat, quod persequatur, præcipitat, & in perniciem ruit. In maximis igitur periculis plus ipsa mali, quàm boni affert, quod plurimi rerumpublicarum lamentabiles casus, & regnorum testantur interitus. Optimè quidem Salomon, *Vbi*, in-

Prou. 11. quit, *non est gubernator, populus corruet, salus autem, vbi multa consilia.*

Psal. 17. Quid igitur cùm tantum generi humano boni afferat sapientia, vt non solùm quietem animorum det placidissimam, sed, vt inquit Dauid, *Docet manus meas ad bellum, & digitos meos ad prælium.* Quid, inquam, erit in cau

causa, vt eam homines despiciant, & pro nihilo putent, si ipsa opibus & diuitiis non sit abundans, &, vt inquiunt, sit *sub sordido palliolo?* Hanc verò quæstionem postremo Salomon affert, eámque breui hac oratione explicat.

*Verba sapientium audiuntur in silentio, plusquam clamor principis inter stultos.*

Ipsa rerum natura, & ratio postulat, vt sapientium oratio ad se hominum animos alliciat, eósque teneat: rerum enim maximarum, eis cognitionem affert, &, vt beati esse possint, eos instituit. Verùm nisi ad eam se dociles præbeant, & animos acriter intendant; nec eam habebunt in pretio, nec assequentur. Hæc autem docilitas, est animi singularis quædam tranquillitas, & studium honestatis. Si enim perturbatus sit animus, & ab honestate abhorrens, à sapientiæ quoque studio, erit alienus. Si igitur tranquillus, & quietus sit animus, aures præbebit orationi sapientis, ex eáque totus pendebit. Non enim illius, vt decet, erit auditor, in quo insit aliqua perturbatio, quæ aditum sapiētiæ intercludat. Hoc autem Bersabet à filio Salomone, dum ei præcepta sapientiæ, viuendíque traderet, maximè requirebat, *Fili mi*, aiebat, *si susceperis sermones meos, & mandata* Prou. 2.
*mea absconderis penes te, vt audiat sapientiam auris tua, inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.* Vtrunque enim prestes oportet, audias, nempe, & animum intendas, si sapientiæ velis præceptis & institutis abundare. Hoc auditoris officij munus haud poterit, perturbatus animus explere. Cùm igitur vix quisquam reperiri possit, qui animi perturbatione vacet, ideo sapientia contemnitur, & pro nihilo putatur.

Nomē Hebrǫum נחת, vt noster Latinus hoc in libello, & Septuaginta Eccl. 4.
& duo interpretes hoc in loco, putarunt, & Hebræi asserunt, *quietem* significat, vt nihil sit, nisi animi quies, silentium: cùm libidines silent, & sese animus ad sapientiam, illius verbis excitatus erigit.

Quis autem non videt, ad sapientiæ studium, hominum fuisse genus à Deo conditum, vt in eo, nisi immoderata quædam intemperantia, illud à recta ratione seuocaret, mirabilis illius amor exardesceret? Si igitur libidinum sit in animo silentium, si ipse taceat, si cùm sapientia in his rebus, quas cernimus oculis, sibi elucet, eam à se non reiiciat, & de ea dicentem non spernat, mirum est, quàm ipsa in eum influat, & penetret, eúmq; fingat quodammodo, & formet ad honestatem. Quemadmodum verò si materiæ, quæ non possit ignem concipere, illum subiicias, frustra in eo laborem insumas, ita in eo instituendo operam & studium perdes, quem diuersi & concitati motus interiùs agitant, non obtemperantes rationi: quandiu enim is animi status permanet, repellitur sapientia. Quamobrem, *Verba sapientium*, inquit Salomon, *audiuntur in silentio.*

Accedit, quòd is qui veræ sapientiæ disciplina sit excultus, non eam scientiæ ostentationem putat, sed legem vitæ, cui ipse summo studio ob

temperet,vt eum, quem in iis, quos instituit, quietum & placatum animi statum requirit, ipse in se tueatur: quod etiam Salomon hoc in loco, eadem oratione significat. Non enim sapiens, scientiam leuitate ostentat, & iactat, sed in omnibus se gerit moderatè, vt in ipsa docendi ratione, auditoribus quieti animi sui splendor eluceat, quod sapientis *silentij* nomen indicat.

Summi illius magistri, videtur Salomon speciem adumbrare, quã Diuinus Pater apud Isaiam, antequam hoc docendi munus susciperet, in hominum animis, hac oratione signauit, *Ecce seruus meus, suscipiam eum, electus, meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet, non clamabit, nec accipiet personam, nec audietur vox eius foris.*

Isai.4.

Non solùm igitur, quia in nobis sit auersa à recta ratione animi commotio, vt diximus, sed quia sapiens se ita gerit, & ita præcepta sapientiæ tradit, vt in eo singularis appareat moderatio, contemnitur. At si auditores dociles inueniat, illius cultu, eorum animi, fructus vberrimos edunt, & ita sapientiæ adhærent, vt si omnia corporis & fortunæ bonæ in vnum locum collata sint, cum ea minimè comparanda existiment, *Præposui*, inquit Sapiẽs, *illam regnis, & sedibus & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum, in cõspectu illius, super salutem & speciem dilexi illam.*

Sap.7.

Cùm igitur Sapientia in iis, qui eam, non se reijciunt, tam admirabiles sui amores excitet, nemo quidem mirabitur, potentium hominum opes, vim, atque tyrannidem, ab illius studiosis, contemni, vt eam assequantur. Quare Salomon hæc meritò verba adiunxit, *Plusquam clamor principis inter stultos.* Insipiens, iis, quibus dominatur, clamorem edit, vel cùm eos imperio premit, & siue velint, siue nolint, ad opus cogit, idque lege sancit, cui etsi obediant, eámque laudent, sublatã tamen vellent, & execrantur: vel cùm ad aliquid suos ita hortatur clamore, vt potiùs metu, quàm ratione persuadeat: vel cùm in rebus aduersis opem ab aliquo petit, & cùm in prosperis fuerit intemperans, in his animo fracto conqueritur. Hęc autem ille, cùm intemperanter, traditum sibi à Deo imperium administrat, stultis, quos sibi in consiliũ adhibet, digna esse principe, summa vocis contentione prædicat, quæ aduersante, & repugnante natura, nõ ita in eorum animis insident, sicut ea, quæ sapiens disserit, in eorum animis, qui se aliquantulum à sensuum consuetudine seuocant, illorum quasi conciliatrice natura infiguntur.

Iob 2.
Thre. 2.
Amos 8.
Silentium pro summo dolore, vel omnium rerum vastatione.

*Silentium* quoque in sacra scriptura præter res alias summum vel dolorem significat, quemadmodũ amici Iob, cùm eum vidissent, nec verbum illum dicuntur emisisse, & taciti humi iacebant: & Ieremias, *Sederunt*, inquit, *in terra, & siluerunt senes Sion.* vel etiam omnium rerum vastationem, vt est illud Amos, *Multi morientur, in omni loco proijcietur silentium.* Cùm igitur acerbissimus homines dolor cruciat, & rebus suis impendentem calamitatẽ vident, ad sapientiam, vt salutẽ sibi afferat, animos conuertunt qua etiam potest ratione, non ineptè quidẽ hæc Salomonis oratio, *Verba*

*sapien*

*ſapientiũ audiuntur in ſilentio explicari.* Nõ enim principis adeo attẽtè orationẽ ſtulti audiũt,cùm aliis ipſe minatur,& ſe inſolentiùs ſermonibus & verbis effert,quam res ipſa ad extremũ diſcrimen adducta,facit audiẽtiam ſapienti.Is autem,qui minitatur,in ſacris litteris,*clamare*, aliquãdo dicitur, vt Michæas,*Vox*,inquit,*Domini ad ciuitatem clamat*.Et illud Goliath cùm iactaret ſeipſum inſolẽter,& ignauiam,hoſtibus exprobraret,*ſtans*,inquit, ſacer auctor, *clamabat aduerſus phalangas Iſrael*, Et cùm idem auctor Dauidem de Abſolonis filij ſui morte fleuiſſe commemoraret,*Porro*, inquit, *Rex operuit caput ſuum, & clamabat voce magna.*

Mich. 6. Clamare pro minari. 1 Reg. 9. 2. Reg. 17.

*Melior eſt Sapientia , quàm arma bellica , & qui in vno peccauerit,multa bona perdet.*

Quanta ſit ad generis humani ſalutem, vis ſapientiæ , breui hac Salomon oratione demonſtrat; Arma,vt aiunt,membra militis ſunt , illis enim & hoſtem propulſat, & ſe ipſum tuetur. Verùm , vt vidimus , cùm ſæpe nullis reipublicæ ſtatus poſſit armis ſtabiliri , quin vel hoſtium impetu, vel principum ſtultitia, conuellatur:aliunde quidem illius ſtabilitas, &,vt ita dicam, æternitas pẽdet.Eſt autem ſapientia rerum ſcientia,& facultas, qua ſapiens cæteris hominibus præſit. Eius verò,qui imperium tenet , eſt illud maximum,& præclariſſimum in vita munus,ſuos beatos efficere. Id autem in animi bonis,& in optimè conſtitutis ciuitatis opibus eſt poſitum: ita vt poſterius à ſuperiori pendeat.Nec enim diu reſpublica opibus florebit,in qua vitioſi,corruptíque ſint principum mores:optimos verò ſapientia,in hominum animis inſerit, néve corrumpantur , efficit. Quòd ſi ipſa, in republica principem locum teneat , omnia ad rectæ rationis normam dirigit,eámque ita moderatur, & ſtabilit , vt ſi humana id conditio ferat, nullis vmquam ſæculis intereat.Nec enim imperante ſapientia,ciues inter ſe diſſident , vt diſcerpta in nihilum reſpublica redigatur : nec principes, ſibi ordine , & opibus inferiores opprimunt, vt cæteræ reipublicæ partes, quaſi exhauſto ſanguine contabeſcant, illíſque labefactatis , ipſi vnà cum republica , ſuo ipſorum ictu , concidant. Cùm autem pax & concordia moderatrice ſapientia,domeſticis inſidet,cæteris quoque gignitur,vicinarúmque gentium animos,tum iuſtitiæ laude conciliat , tum metu continet,ne fœdus violent;norunt enim,quantæ ſint opes ſapientiæ , quibus ſi munitum ſit regnum , tutum illud quidem eſſe ſciunt , & inexpugnabile: quas ſi dominandi libido , ad bellum inferendum compellat:ita ſapiens illud ſuſtinet, conſilióque adminiſtrat , vt cùm minùs id homines opinentur,opprimat.

Verùm arma , & ipſa bellica virtus,nec animi impetus rationi non obtemperãtes,coërcet,nec corruptos ac deprauatos mores immutat, & temperatos moderatoſque reuocat,quibus reipublicæ ſalus, & vtilitas continetur.Imò erepto reipublicæ ſapiente,qui eam moderabatur,nihil ei , virtus illa militaris prodeſt:ſi enim ſapiẽtia abſit,omnia conturbantur officia: quemadmodum enim recta ratio ſenſus,ita & ſapientia,virtutes moderatur.Quamobrẽ Salomõ ne eã ſpernemus,his verbis admonet,*Et qui in vno*

*peccaue*

*peccauerit, multa bona perdet.* Est enim rarum, quidquid in rebus excellit, &, vt ipse inquit, *infinitus est numerus stultorum, cùm sapiens vix possit aliquis inueniri*, vt in ea vrbe contigit, quam sapiens vir vnus, opibus tenuis, ab obsidionis periculis liberauit, quem nobis Salomon, vt sapientiam suspiceremus, ante oculos proposuit. De eo igitur differens, *qui in vno*, inquit, *peccauerit, multa bona perdet.* Nam cùm vehementissimè vrbs illa oppugnaretur, si sapientem ciues spreuissent, in miseram seruitutem traderentur, quæ est omnium in vita malorum extremum. Hoc vno quidem tam singulari accepto beneficio, debuissent illum summo studio obseruare, & sapientiam amplecti, quòd, cùm ingratè officium deseruissent, in pristinum statum redierunt. Idem omnibus, qui sapientiam à se reiiciunt, eueniet.

Eccl. 2.

In officio autem delinquit & peccat, qui sensuum iudicium, & hæc infima anteponit sapientiæ. Hic autem quæ & quanta bona eo scelere amittat, quis non videt? Animo enim sine sapientia, sensus offundũt tenebras, in quibus ruit. Vt omittam de iis dicere, qui impiè sapiẽtem illum, qui est, vt inquit Ioannes, in sinu Patris, spernunt, & eius monita, legésque despiciunt, quem, vt diximus, Salomon obscurè commemorat. Sapientẽ quoque monet, vt in officio tuendo, nihil omnino, etsi leue, & nullius prope momenti esse videatur, prætermittat. Is enim, qui semel in re parua officium deserit, viam sibi munit ad omnia officij repagula perfringenda: officij enim, in re etsi paruula, intermissio, in graui quoque nos ad illud intermittendum adducit, assuescit enim animus non parere sapientiæ, eámque aspernari, & quasi incitatus in procliue, labitur.

Ioan. 1.

Est igitur omni studio nobis cauendum, ne vnquam à sapientia discedamus: nos enim fallit opinio, cùm si semel, aut iterum peccemus, nõ adeo nos ipsis nocuisse arbitramur: multa enim in nos, eo vno scelere, mala inuehimus, quæ dicendo tetigimus. Illud autem, quod silentio non est prætereundum, quàm graue est existimãdum, à sapientia deseri? Præclarè quidem Iacobus, *Quicunque*, inquit, *totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus; qui enim dixit, non mœchaberis, dixit, & non occides, quòd si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.* Plura enim viuendi nobis ille præcepta tradidit, quibus sapientis vita est instituta: horum autem cuicunque, sapiens si non paruerit, eũ à quo omnis hæc optima morum institutio proficiscitur, offendit, & à se alienat: & quia legem, quæ omnia vetat, quæ non sunt facienda, negligit eorum, quæ lege sunt vetita, reus erit appellandus. Quòd verò sapientem oporteat, leuia etiam peccata cauere, similitudine deinde confirmat.

Iac. 2.

CAP.



# CAPVT X.

*Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti: pretiosior est sapientia, & gloria parua & ad tempus stultitia.*

ODoribus delectamur, quia nec mentem nobis, eorum suauitas eripit, nec corpori astringit, cùm enim sublime ferantur, non in hæc infima nos detrudunt, sed ad superiora secum deferunt: quamobrem, & illis incensis Deum veneramur, & sapientiam virtutemque ex se suauissimos afflare odores prædicamus: *Deo* autem *gratias*, inquit Paulus, *qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo.* Verùm alabaster vnguenti plenissimus putet, si muscæ in eo mortuæ sint: etsi enim minimæ sint, earum tamen fœditate, nec aspici vnguentum, sine fastidio potest, nec esse odoratu iucundum. Sic sapiens cùm paruum aliquod dat stultitiæ signum, iam non sapientiæ, qua maximè inter omnes excellebat, dignitatem retinet, sed stultitia nomen subit. 2. Cor. 2.

Hanc verò esse huius orationis sententiam, ea, quæ consequitur, oratio explicat: *Pretiosior est sapientia, & gloria, parua & ad tempus stultitia.* Hoc est, parua, & ad tempus stultitia, est pretiosior, quàm sit sapientia, & gloria. *Pretiosum*, inquit Hebræus, *à sapientia & gloria, parum stultitiæ.* Quamuis enim sapientia summi sit pretij, & rebus omnibus antecellat, quodlibet tamen stultitiæ signum, illius dignitatem frangit: quidquid enim stultitiæ in homine insidet, illud omnes magis reprehẽdunt, quàm sapientiæ splendorem, qui in anteacta vita lucebat, ipsi laudauerant: vt si paruam stultitiam, cum sapientia & gloria, summis parta laboribus conferas, pluris stultitiam, quàm ipsam esse sapientiam, hominibus, iudices. Nam etsi ille maximis semper sapiẽtiæ laudibus floruerit, cùm semel in officio fuerit lapsus, non sapiẽs, sed stultus habetur. Hac igitur ratione maioris est stultitia apud homines pretij, quàm ipsa omnium rerum præstantissima sapientia.

Quanto igitur studio, sapiens in officio tuendo, hæc minima & leuia peccata, cauere debeat, Salomon ostendit, cùm muscarum fœditate, asserit, vnguentum, quod fuerat suauissimum, putere; & paruum stultitiæ signum, ad sapientiæ gloriam adimendam, pluris quàm vitæ ante actæ laudem, ad illam conseruandam, valere: peccans enim à sapientis dignitate discedit, & ad stulti se mores accommodat, illiusque personam sustinet.

*Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti, in sinistra illius, sed & in via stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.*

Est hoc munus sapientis, sic se in vita gerere, vt nihil, quod rectæ rationi, minùs conuenit, aggredi, aut perficere moliatur: quòd si aliquando non

expleat,peccat, rectæ in se ipso,rationis statum conuellens. Hinc ratio illa ducitur, quæ sapientem monet, vt toto pectore, ad cauenda minora peccata, incumbat:cuius quidem officij persoluendi studium nec leuiter stultos tangit,cùm insitam etiam à natura officij rationem despiciant.

*Cor sapientis in dextera eius.* A corde, animantis vita proficiscitur, quod in sacris litteris, animum & mentem, consiliumque significat, vt est illud
Prou. 2. Salomonis, *Si intrauerit sapientia cor tuum.* Et Mosis, *In hoc scietis, quòd Do-*
Num.16. *minus miserit me, vt facerem vniuersa, quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim.* Est autem dextera ad agendum aptior, quàm sinistra,quare illa actionum,consiliorumque rectã & effectricem rationem,hæc autem con-
Psal.44. trarium significat: *Deducet te,*inquit Dauid, *mirabiliter dextera tua,* Et Chri-
Mat.5. stus Dominus, *Si dextera manus tua scandalizat te,abscinde eam,& proijce*
Mat.6. *abs te.* Et, *Nesciat sinistra tua, quod faciat dextera tua. Cor* igitur *sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius:* quia sapiens, ea, quæ agit ad rectæ rationis normam dirigit: actiones enim consilio, stultus verò eas cupiditate suscipit: in earum etiam qualibet sapiens, quia decorum honestumque maximè seruandum esse ducit, quantum oportet, curæ adhibet: stultus verò cùm sensuum iudicium sequatur,in iis omne studium ponit,quas horrere debuerat. Quare omnia sic aptè à sapiente fiunt,vt nihil ab officio discrepet: ab stulto verò ita ineptè omnia, vt nihil cum virtute congruat: veram nanque sapientiam actio rerum consequitur, quæ cum illius decretis conuenit, & nequit ab honesto separari: stultitia autem adeo mentem obcæcat, vt imperium quod mens,in sensus natura sibi subiectos,acceperat, obcæcata deponat,& illis seruiat.

Sensus autem cùm sint rationis expertes, quid sit honestum, quídve turpe, minimè percipiunt: quamobrem stultus ad actiones præclaras,& honestas, ad quas nati, & à natura sumus informati, est instar sinistræ manus, ineptus: sapientia verò, cum mentem illustret, illiusque imperium, diuino præsidio stabiliat, efficit, vt sapiens instar dexteræ, ad agendum, vt decet, & oportet, sit aptissimus. Sed id stultus, quàm ineptè, quod maximè sinistræ instar habet? Cùm se totum sensibus dediderit, quidquid sit alienum à sensibus, ineptum esse putat, vt qui in terræ cauernis nati, nutritique sunt, non nisi vmbras rerum vident, quibus nihil esse præstantius putant: sic stultus sensibus addictus, eorum iudicio, omnia metitur, & ponderat, & quidquid illi respuunt,ipse quoque reiicit. Sapientem,quia sensuum iudicium spernit, eosque coërcet, stultum appellat: cùm nullam enim sapientiæ lucem aspiciat, qua honestum & pulchrum à turpi discernat,in tenebrisque sit,& in clarissima luce versari se existimet, adeo se vehementer amat,vt non solùm sapientes,sed alios, quoscunque videt, stultos esse iudicet.

*Sed in via stultus ambulans cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Ni-
Prou.15. mium enim sui amorem, stultitia gignit, *stultitia,* inquit alio in loco Salomon, *gaudium stulto.* Nam qui se ipsum noscit, ea potiùs, quæ sibi deesse intelligit, amat, idque nititur adipisci, vnde ea haurire possit: at qui in sui ignoratione versatur, cùm se nihil putet esse præstantius, nimio sui amore

amore flagrat, & quidquid, quod non ſit ipſe, contemnit, adeo vt eos etiam, qui ſapientiæ ſunt notis omnibus inſignes, aſpernetur; nihil enim tetriorem animis caliginem offundit, nihil ſe ipſum vehementiùs diligit, nihil tantum ſibi arrogat, quàm ſtultitia, ſuperbiam enim, & intolerabilem arrogantiam, ſui ignoratio parit. Nam, vt Salomon affirmat, *Sapientior ſibi ſtultus videtur, ſeptem viris loquentibus ſententias.* Prou. 27.

## *Si ſpirtus, proteſtatem habentis, aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris, quia curatio faciet ceſſare peccata maxima.*

Quantùm ſapiens ab ſtulto differat, & quàm ipſe ſit in omni vitæ actione præſtans, & quomodo, vt inquit Salomon, ſit *cor ſapientis in dextera eius*, tunc maximè cernitur, cùm ipſe tenuis opibus, potentis furorem frangit. Opes eximiæ, & imperium, hominibus, ſpiritus neſcio quos afferunt, vt ſæpe totius iuris immemores, in alios, qui non adeo opibus abundant, vel illis ſubiecti ſunt, inſaniant. Hoc autem ſapientibus nihil poteſt acerbiùs euenire, cùm ipſi digni imperio, inſanis tum pareant, tum ab illis etiam iniuriis afficiantur. Quid igitur cùm homo potens, ira incenſus, temere in ſapientem inuehitur, de gradu, in quo erat dignitatis, ſe deiici ſapiens, pro nihilo ducet, an illum tenere ſingulari ſtudio curabit? Hoc à ſapiente requirit Salomon, vt dignitatem, quam fuerat conſecutus, ſeruet, etſi namque ſapiens, eam ſolùm, quæ in virtute lucet dignitatem ſuſpiciat, illam tamen, quæ virtutem conſequitur, minimè deſpiciet.

Aduerſus verò potentem gratia, opibus & imperio, elatumque iracundia, dignitatem ſeruandi rationem, quæ maximè ſapienti conuenit, Salomon oſtendit; quam quidem ſtultus reprehendet, & homine ingenuo indignam eſſe iudicabit. Eſt igitur illud in memoriam reducendum, in ſacris litteris ſæpenumerò, *ſpiritus* nomine, iram ſignificari, cùm exardeſcit, vt eſt illud, *Quod cùm locutus eſſet, requieuit ſpiritus eorum, quo tumebant contra eum.* Cùm igitur potens, iracundè tecum, & intemperanter agit, *locum tuum* ait Salomon, *ne demiſeris.* Quo, rogo, modo, furentem hominem, irruentem in me repellam, cùm ipſe nullas opes habeam, ille verò maximis ſit munitus? Præclarè quidem Salomon, ſed breui rem totam expedit, non enim quid agendum ſit, omnino docet, ſed obſcurè indicat. *Quia curatio*, inquit, *facit ceſſare peccata maxima.* Cùm quis iraſcitur, inſanit ille quidem, inſanus autem ſanitate vacat, at ira eſt animi morbus, non inſanabilis, ipſa enim motu ſuo, & impetu, quo fertur, finem habet:

Iud. 8. Spiritus pro ira.

Iræ morbus

Si igitur iratum, non ad iracundiam prouoces, sed eum placida, summissa, & leni oratione excipias, illud consequeris, quod alio in loco, Salomon futurum pollicetur, inquirens, *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem*, si verò nulla potest oratione ad sanitatem reuocari, dandum erit tempus, & spatium, quo se ipse colligat, ad sanitatemque redeat.

Prou. 15.

Hæc est potentibus, cùm in sapientem ira efferuntur, curatio adhibenda, quæ animorum motus sedat, ne in scelere longiùs progrediantur. Sapienter quidem Gedeon, cùm acerbiùs, tribus Ephraim in eum inueheretur, quia cùm in Madianitas duceret eam visus fuerat neglexisse, blando eam appellando sermone, summamque ei, partæ victoriæ gloriam tribuendo, deliniuit. Hanc igitur irato curationem admouebit sapiens, quam stultus haudquaquam probabit.

Iud. 8.

*Est malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis, positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram, quasi seruos.*

Cur autem in republica sæpe contingat, vt potentes elati iracundia, sapientes viros exagitent, Salomon ostendit: tantique mali originem, affirmat, stultitiam esse principum. *Est malum, quod vidi sub sole.* Inter alia est hoc non mediocre, quod se vidisse asserit, vt illius magnitudinem significet, quod quidem ex principum moribus, memoriæ sempiternæ commendatis, ex regnorum conuersionibus, & gentium omnium historiis perceperat.

Vocis (quasi) vsurpatio

Vnde verò illud oriatur commemorat, cùm ait, *Quasi per errorem egrediens à facie principis, positum stultum in dignitate sublimi.* Illud verbum, *quasi*, nō principis negat errorē, sed affirmat, stultis dignitatem tribui, quēadmodum etiam Moses, dum, ne quis Moloch filium offerret, vt sacrificium fieret, capite sanxit, *Quòd si negligens*, inquit, *populus terræ, & quasi parui pendens, imperium meum, dimiserit hominem.* Præceperat enim, vt is, qui tantum in se flagitium commisisset, ab incolis, lapidibus obrueretur. *Quasi* igitur *per errorem*, idem est omnino, quod principum errore fit, vt stultitiā in summo dignitatis gradu collocetur. Non ineptè quidem hanc videtur Septuaginta & duo interpretes, orationem explicasse, cùm eam sic Græcè verterunt. *Est malum, quod vidi sub sole, tanquam inuitum quod exiuit à facie potestatem habentis.* Est autem inuitum, siue ἀκούσιον quod minimè cùm agimus, sitne illud euenturum, cogitamus, vt qui lapidem iacit, hominem interficit, quem viuere voluisset. Sic principes, cùm non ita diligenter, vt oportet, rempublicam moderantur, & curant, vel stultitia, vel illecebris adeo consopiti conniuent, vt stultos ponant in summo gradu dignitatis, nec quantum in rempublicam malum inuehant, animaduertunt.

Leu. 20.

Stultum eum vocat Salomon, qui in rerum sit ignoratione, & quamuis maximarum artium sit disciplinis excultus, sensibus potiùs, quàm rectæ

rectæ rationi, diuinísque institutis paret, *Quasi per risum*, inquit Salomon, *stultus operatur scelus, & cogitatio stulti peccatum est*. Et Moses, cùm futurum prædiceret, vt gẽs Hebræa se impietatis scelere contaminaret, in eámque inueheretur, *stultam* eam appellat. Prou. 10. Prou. 14. Deut. 32.

Si igitur stulti, imperium tenent, nónne illud est consequens diuites compilari? aliorum bona in paucorum domos auerti, & reipublicæ opes exhauriri? quod Salomon his verbis, *& diuites sedere deorsum*, significat. Est enim *deorsum*, humilis, & infimus locus, in quo diuites dicuntur sedere, quia bonis euersi, pauperum, & humilium conditionem perferunt, quemadmodum Isaias cum Babylonis exitium prædiceret, *Descende*, inquit, *sede in puluere, virgo filia Babylon sede in terra*. Nisi fortè Salomon *diuites* appellet, qui sapientiæ diuitiis affluunt: ij enim, qui imperij clauum tenere, & reipublicæ gubernacula tractare debuissent, cùm stulti imperãt, ad ea minimè accedunt: & quia despicatui sunt principibus humi iacere dicuntur. Isai.

Quid verò mali, stultitia principis, & in reipublicæ moderatione error non afferet? *Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram, quasi seruos*. Adeo est hic principis error, reipublicæ perniciosus, vt serui opibus, & honoribus augeantur, qui verò tum genere, tum dignitate inter alios præstabant, gradu, in quo erant, deiecti iaceant. Nisi potiùs, quos *diuites*, ob eximias sapientiæ diuitias, appellauerat, eos ob sapientiæ splendorem, quæ rebus omnibus sit præferenda, & cæteris præest virtutibus, *principes* vocet: *seruos* autem homines, qui corpori seruiunt, Reipublicæ denique conuersionem, inclinationemque fieri testatur, cùm officij munus, quod susceperant, nec explere nec exequi, principes curant, & illud, vt ipsi vacent, stultis assignant.

*Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Qui transfert lapides, affigetur in eis, & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.*

Principes, qui officium suum deserunt, vt ipsi curis soluti viuãt, & aliorum seruiant voluptati, stultis rempublicam gubernandam cõmittunt, & iis, qui in suo sunt imperio, perniciem moliuntur. Stulti quoque, cùm nec moderatè vtantur imperio, nec qua flagrant, cupiditatem coërceant, multis quidem perniciem afferunt, vt rem suam vndique factis accessionibus augeant, & Regum gratiam, qua vna re, cæteris antecellunt, vt ipsi soli retineant, omnibus qui eam aucupantur, insidias collocant, quibus illi in regum offensionem incurrant. Eodem verò Reges studio, quo stultos honoribus afficiunt, & eis rempublicam tradunt moderandam, in eandem veniunt sæpenumerò calamitatem, quam sui, ex illorum in tribuendis honoribus, & imperiis errore, accipiunt: & hi ipsi stulti honoribus aucti, iisdem etiam, quæ inferunt, malis opprimuntur.

Hoc autem & historiæ prædicant, & vitæ quotidianæ exempla confirmant: vt Græca Romanaque omittam, & nostra præteream, Roboa- 2. Reg. 12.

mus Salomonis filius cùm adoleſcentibus ſtultis, reipublicæ gubernacula tradidiſſet, à quibus ſenes, ſapientesque deiecerat, & onera, quibus ſe populus, à Salomone preſſum fuiſſe querebatur, alleuare renuiſſet, & grauiora ſe impoſiturum minaretur, decem Iſraëlis tribus à ſe alienauit, quæ non ſolùm eum, quem Roboamus vectigalibus præfecerat, lapidibus obruerunt, ſed Regem ſibi conſtituerunt Ieroboamum. Quin & Aman homo inter Perſas, poſt Regem potentiſſimus, cruci, quam Mardochæo conſtituerat, ſuffixus, interiit. Etſi verò hi nullas aliquando in hac vita pœnas, quæ ſuis ſceleribus debentur, ſuſtineant, illis tamen, poſtquam è vita diſceſſerint, grauiſſimæ manent: *Horrende*, inquit ſapiens, *& citò apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum in iis, qui præſunt, fiet, exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.*

Eſth. 7.

Sap. 6.

Prou. 8.

Quamobrem Salomon, *Qui fodit*, inquit, *foueam, incidet in eam.* Malum quod quis alicui machinatur, *fouea* ſignificat, vt eſt illud eiuſdem Salomonis, *fouea profunda eſt os aliena.* Hanc verò luculenter quidem Dauid non ſolùm ſententiam dicit, ſed iiſdem quoque ferè verbis vtitur, vt Salomon à patre vtrumque accepiſſe videatur, *Ecce*, inquit, *parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem, peperit iniquitatem, lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit, conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.* Id autem alio in loco Salomon, & Eccleſiaſticus certò futurum affirmant.

Fouea pro malo quod quis alteri machinatur.
Pſal. 7.
Prou. 26.
Eccl. 27.

Impunitate verò peccandi potentium cupiditas, & imperandi libido creſcit, vt iam non ex inſidiis agant, & ſcelus occulere nitantur, id enim abiecti, & imbecilli eſſe hominis putant, vim igitur adhibent. *Et qui diſſipat ſepem.* Vi ſcilicet, iuris repagula frangit, vt periculi metu, homines de bonis ſuis ſæpe decedant, nec ad ea vnquam accedere audeant. Quid deinde? *Mordebit eum coluber.* Dum vim non inferebat, latebat in animis odium, quo ipſe apud omnes erat: ſi verò vim afferat, illud in eum, vt ſerpens, dum paries deiicitur, in quo latebat, iniuria excitatus, erumpit. Eſt enim naturæ conſentaneum & iuſtum, vi vim illatam defendi: nec non cū imperium ad Reges ſit delatum, vt ius ſeruent, nec illud vnquam, violari patiantur, cùm ab illius miniſtris, & potentibus apertè, nulliſque regumentis, deleri, homines vident, præſidium, quod in Regibus parauerant, ereptum ſibi dolent, & natura duce aduerſus potentium graſſantem licentiam, ſe ſuóſque tueri, omni ſtudio nituntur, ita vt ad cædes ruant, ſeditiones concitent, quibus reſpublicas ſæpe turbari, & regna, vidit antiquitas, de ſtatu conuelli.

Eandem Salomon aliis verbis ſententiam explicat, *Qui transfert lapides affligetur in eis.* Qui lapidem iacit, lapidem tranfert, &, vt ſubiecta Hebręo verbo vis eſt, eum proficiſci facit: qui verò alium lapidibus appetit, lapidū iactu ipſe percutitur, *Qui voluit lapidem*, ait alio in loco Salomon, *reuertetur ad eum.* Et Eccleſiaſticus, *Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet, & qui ſtatuit lapidem proximo, offendit in eo.* Eodem dicendi modo, *Qui ſcindit*, inquit, *ligna, vulnerabitur ab eis.* Stulti nempe intemperantes, elati iracundia, opibus, imperióque nixi, in alios ruunt, & indies grauiores iniurias inferunt, quibus, velut ſi ligna igni ſubiiciant, acerbiùs malorum

Prou 26.
Eccl. 27.

rum

rum incendium excitant,quo ipsi quoque sæpenumerò conflagrant.Nam, vt eleganter quidem alibi Salomon inquit,*Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis,& sicut carbones ad prunas,& ligna ad ignem,sic homo iracundus suscitat rixas.* Prou. 26.

Illud tamen nobis in paraphrasi potiùs visum fuit,Salomonem his verbis asseruisse,stultos non mediocres labores excipere, imo & sustinere, vt ea,quæ sibi nihil solidæ voluptatis vtilitatísque afferunt,consequantur: vt illis contingit,qui lapides hinc inde mouẽt. Nec verò solùm frustra laborem insumunt,sed eo studio periculum adeunt, quemadmodum, qui in sylua densa & aspera,in arbores ascendunt,vt ligna cædant,ob paruam, & ferè nullam vtilitatem,se ruinæ periculo committunt.

*Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia.*

Stultitia principis, summas reipublicæ opes frangit,quas sapientia constituit,auget, & firmat.Nam,vt diximus, cùm stulti in altissimo & amplissimo sunt dignitatis gradu, rerum maxima fit, & temporum inclinatio:id autem nõ domi solùm,sed foris quoq;rempublicam vehementer afflictat. Rẽ enim militarem dum stultus administrat, disciplinam sinit militarem deseri,vt miles locum non teneat, & hostium impetum vímque pertimescat; Sapiens verò,etsi maximo suo labore,milites ad desertam ab stulto & relictam disciplinam reuocat,vt imperante stulto nihil in exercitu, ex maiorum sit disciplina;si uerò ei succedat in imperium sapiens, omnia in pristinũ,optimúmq; statum commutet; cuius in agendo industriam, præstãs illa disciplina militaris, sapientiæque splendor eximius consequetur.Ferrũ namque, quemadmodũ in ea,quã Eliachim ad suos habuit oratione, cùm eos ad pietatem,& religionem excitaret,*arma* significat,sic enim ille, *Memores estote Moysi serui Domini,qui Amalec confidentem in virtute sua, & in potentia sua,& in exercitu suo,& in clypeis suis,& in curribus suis, & in equitibus suis non ferro pugnando,sed precibus sanctis orando deiecit.* Et cùm Moyses in eum,qui hominem necauisset,supplicium constituit,*si quis*,inquit,*ferro percusserit.* Iudit. 4. Num. 35.

*Armorum*, siue *ferri* nomine, milites, rémque militarem Salomon appellat;ferrum verò, gladiósque militum nulla re alia vehementiùs retundi, quàm ducis stultitia, quis non videt?Illud tamen ducis sapientis labor acuit.Nam cùm à militibus,ob ducis stultitiam, bellica fuerit relicta disciplina, nec ad eam, ipse eos instituat,à qua longè,perditis moribus,abhorret, eam sapiens absumptam reuocabit. *Et post industriam sequetur sapientia.* Stultus enim, cùm nesciat, qua id ratione sit consecuturus frustra nititur animos militum excitare, impetum, cùm res postulat, coërcere, ducere in hostes, insidias vitare, eásque hostibus parare, quidquam denique facere ex disciplina maiorum. Si tamen bellum sapientis administret, *post industriam sequetur sapientia*, non enim frustra laborem suscipit, ex eo namque gloriæ fructum excipiet, omnibus enim sapiẽ

ſapientiæ illius ſplendor lucebit,& rectè omnia ex ſummorum hominum diſciplina faciet, adeò vt in caſtris,in acie, in ipſis denique militibus præſtans ſit rei militaris ſcientia, quam hoc in loco Salomon *Sapientiam* vocat.

Hebræus autem, etſi obſcurè quidem, ſuo tamen dicendi more, hanc Salomonis explicat orationem. *Præſtantia*,inquit,*rectum faciendi ſapientia.* Omnibus ſcilicet rebus,eo excellit ſapientia, quòd ad rectè agendum homines inſtituat, & id, quod rectum eſt, & cum virtute, & officio fit, ab ea proficiſcitur: qui ſapientia caret, officium tueri non poterit. Id autem Septuaginta & duo interpretes, cùm hanc Salomonis orationem Græcè verterunt, etiam videntur aſſeruiſſe, *Abundantia*,inquiunt, *viro ſapientia.*

Omnia enim hominibus ad ſummum virtutis decus adipiſcendum præbet, vt ſapiens,illius munere,ea,quæ natura deſiderat,& ad reipublicæ moderationem ſunt neceſſaria, expleta, cumulatáque habeat,quibus caret ſtultus.

*Si mordeat ſerpens in ſilentio,nihil eo minus habet,qui occultè detrahit.*

Eſt animis noſtris inſitum, omnium hominum ſocietatẽ, eorum præcipuè, qui eiuſdem ſunt ciuitatis, & Reipublicæ ſingulari eſſe fide & ſtudio colendam,vt ſummis illi laudibus efferantur in cælum,qui pro illius ſalute mortem oppetunt. Id autem officij munus, etſi omnes debeant, pro viribus explere, ſapientibus eſt illud maximè tuendum, qui fide, veritate,& conſilio,præ cæteris hominibus, reipublicæ prodeſſe poſſunt.Nam ſi imperante ſtulto, vt vidimus, reſpublica in perniciem labitur, & ſapiens labentem fulcit: quî,quæſo,ſapiens de republica, poterit pernicioſius mereri, quàm cùm illa ruit, ipſe otio vacet?& quam poſſit peſtem, à ſuis ciuibus, dicendo auertere, eam taciturnitate, in omnes ſinat reipublicæ partes inuadere.

Id Salomon ſimilitudine eorum confirmat, qui ſerpentes verbis quibuſdam,ex feris,& immanibus, mites & manſuetas reddunt, dum verò ſilent earum morſu vulnerantur. His enim ars, quam norunt, dum in periculo conniuent,quemadmodum & ſapientia,homini ſapienti,qui in ipſo totius reipublicæ interitu tacet, qui potuiſſet oratione mederi, haud quidquam prodeſt. *Si mordeat ſerpens in ſilentio.* Si is,qui artem manſuefaciendi ſerpentes tenet, nihil ex ea promat, & ſerpentis morſum ſilentio ferat,quid ei ars, in qua tanto ſtudio verſatur,vtilitatis affert? *Nihil eo minus habet,qui occultè detrahit.*Huic quidem ſimilem omnino eum eſſe dixerim,qui omnium artium maximarum ſapientiam cùm habeat,quæ hominum animos efferatos quodammodo, ad morum manſuetudinem excolit, atroci ac difficili reipublicæ tempore ſapientiam occulit, & ſecum ipſe aliorum in moderanda republica,ſtultitiam reprehendit.Quid enim ſibi, vel aliis, præſtans, illa reipublicæ gubernandæ ars & ſcientia prodeſt, ſi in tenebris iaceat,nec vſquam appareat, vt ſibi, ſuiſque ne concidant, opituletur.

Lucu

Luculenter quidem Septuaginta, & duo interpretes, hac oratione sententiam explicant, *Si momorderit coluber in non murmure*, & non est aliquid amplius ἐπᾴδοντι. Est autem Græcè ἐπᾴδω quod latinè dicimus, *veneficiis, & cantionibus, aliquid facio, quod natura facere minimè consueuit.* Si igitur. inquiunt, serpentem cantionibus irretire, veneficus negligat, cúmque serpens momorderit, quid veneficium illi, ampliùs, quàm aliis, qui in illius artis sunt ignoratione, præstitit? Idem Hebræus quoque asserit, sic enim posset etiam Latinè reddi, *Si mordeat serpens in non susurro, & non præstantia habenti linguam.* Nam venefici, carmina, siue cantilenam, & verba certo quodam modo definita, & inter se connexa serpentibus insusurrant, si quis igitur eorum nolit; serpentem, sese in eum inferentem, susurro lenire, & ideo eum momorderit, quamuis verba illa optimè nouit, quibus serpentes redduntur mites, hoc est, quanuis habeat linguam, nihil ei commodi, vel vtilitatis attulit istius cognitio veneficij, quemadmodum, neque ei, qui eam artem non tenet, illius ignoratio: hoc est, *Non præstantia*: ea nempe re sunt pares.

*Verba oris sapientis gratia, & labia insipientis præcipitabunt, eum. Initium verborum eius stultitia, & nouissimus oris illius, error pessimus.*

Sapientes, qui reipublicæ saluti, otium præferunt, cur veneficis esse similes asseruerit, qui morsu, à serpentibus vulnerantur, ostendit. *Verba oris sapientis gratia.* Est enim sapientia in genus humanum benefica, & salutaris, *Benignus* est enim, inquit sapiens, *spiritus sapientiæ.* Nemini nocet, & iis, qui se illi committunt, salutem bonis omnibus cumulatam fert. Quare sapientis oratio, omnes docet, & ad omne officij munus instruit, & in ea præclara sunt ornaméta dicendi, & quædã quasi reipublicæ lumina, quæ vno verbo Salomon *gratiam* nuncupauit. Non enim solùm eam, quam dicendo auditorum conciliamus beneuolentiã, sed beneficium, quod in alios cõferimus, *gratiam* sacer autor sæpenumerò appellat: vt cùm Ruth historiam scribit, Boózque in eam collatum beneficium, & Noëmi suum erga illum animum gratum, his verbis significasse refert, *Benedictus sit à Domino, quoniam eãdem gratiam, quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis.* Nec non & vitam, illiúsque optimam institutionem, & salutem, in Prouerbiis, *gratiam* vocat, *lex sapientis,* ait, *fons vitæ, vt declinet à ruina mortis, doctrina bona dabit gratiam.*

Sapien. 1.

Ruth. 2.

Vocis gratiæ acceptiones.

Prouerb. 13.

Quàm verò sit oratio sapientis reipublicæ salutaris, vt faciliùs percipi possit, quantum stulti oratio detrimenti afferat, & vnde illa ducat initium, ante oculos proponit, quod autẽ in Prouerbiis ipse hac de re disserens dixerat, *In itinere contemptorum vorago*, id hoc in loco, his verbis significat, *Et labia insipientis, præcipitabunt eum.* Eorum enim, qui sapientiam negligunt, vita, est quædam gurges, & vorago vitiorum, qua ipsi, & alij, qui eorum vestigiis insistunt, submersi pereunt. Cùm verò hæc illorum sit morum peruersitas, oratio erit erroribus plena, quibus ipsi imbuti,

Prouerb. 13.

dum aliis, id, quod optimum esse putant, conantur dicendo persuadere, seipsos in altissimam errorum scelerúmque voraginé præcipitant. Nam dum stultitia occulta intus iacet, non tantas edit strages, quàm cùm foras erumpit, & eò effrænata fertur; quò eam, proiecta audacia, & cupiditas rapit.

Luculenter quidem, Septuaginta & duo interpretes vertunt, *Et labia stulti καταποντιῶσιν αὐτόν*. Est autem *καταποντίζω, in pontum mergo.* Oratio enim stulti, eum in profundum abiicit, vnde erroribus, & flagitiis, quasi immenso depressus mari, non emergat. Nec mirum quidem, cùm stulti, non ex alio fonte, quàm ex ipsa stultitia, fluat oratio. *Initium verborum eius, stultitia.* Hoc autem initium, quid sequatur, explicat. *Et nouissimum oris illius, error pessimus.* Qui verò sit error iste, qui stulti orationem consequatur, aperit, cùm ait.

*Stultus verba multiplicat, ignorat homo, quid ante se fuerit, & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare? labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere.*

Stultus est sensibus addictus, & animum ab eorum abducere consuetudine, minimè curat, in eo enim Sapientiam ponit: sensus verò cùm nihil nisi mortale & concretum percipiant, nec vltra possint cõprehensione progredi, quid ante nos fuerit, quídve futurum sit, nequit stultus prouidere. Hoc autem cùm illi contingat, quia sensum occupare tyrannidem conanté, non represserit, imo seipsum, teterrimo hosti prodiderit, cõmunem id esse generis nostri conditionem existimat. Quamobré permulta, de re hac, quam probare frustra conatur, verba facit. *Stultus verba multiplicat.* Quid verò dicendo afferat, & cùm ipse totus à sensibus pendeat, cæteris persuadere velit, breui hac Salomon oratione refert. *Ignorat homo, quid ante se fuerit, & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?* Hoc stultus in ore semper habet, & hoc errore imbutus, in omne scelus excur-
Sap. 2. rit. Postremum hoc, sapiens in libro, qui inscribitur *Sapientia*, dilatat, & apertissimè explicat, cùm stultos loquentes inducit. Quia igitur stultus de iis, qui è vita discesserunt, quid actum sit, nesciat, & iis, qui in vita manent, num, postquam hinc abierint, sceleratis suppliciũ, probis verò præmium extet, nemo ei nuntiet, cui fidem adhibeat, sensibus omnino sibi credendum existimat, & quidquid ipsi appetant, optimum esse iudicat.

Quamobré cùm ex ignoratione rerum, quæ ad rectè viuendũ pertinent, stultus dicendi initium ducat, sapiens verò, quod aliis persuadet, ex ipso sapientiæ fonte hauriat, quantũ inter vtriusque orationem intersit, quis est, qui non videat? Si igitur stulti oratio, menti tenebras offundit: Sapientis quidem, lumen præfert: illa quid appetendum, quídve fugiendum sit, à sensibus requirit: hæc, ab eorũ consuetudine, vt quod est optimũ, adipisci possit, aciem mentis abducit: illa, ad improbitaté, ad scelus, & ad seditiones impellit: hæc, ad honestatem, ad decus, ad tranquillitatem allicit. Hoc inter stultum & sapientem discrimen esse, vt perciperemus,

Salomon

Salomon postquam, oratione sapientis asseruit, reipublicæ salutem cõtineri, stulti orationem, siue quam adhiberi consueuit orationis sententiam commemorauit.

Quem verò stultus ex eo studio, quo sensibus obedit, fructum percipiat, Salomon ostendit, inquiẽs, *labor stultorum affligit eos, qui nesciunt in vrbem pergere.* Eorum vita, qui rerum iudicia, in sensibus ponunt, quàm sit molestiis, & solicitudinibus misera, ipsi dum illis exeduntur, licèt inuiti, testantur: nihil enim, quod eorum cupiditatem expleat, sensus afferũt, semper egent, & cum iisdẽ pernoctant, & habitant curis: quod & poëtæ indicant, & eorum animi egestas, & mendicitas declarat, tristésque sæpe eorum vitæ exitus confirmant. Hi autem in quanta sint rerum ignoratione, adeo eleganter & apertè demonstrat, vt nihil esse possit elegantius, vel in explicando apertius. *Qui nesciunt*, inquit, *in vrbem pergere.* Sic enim illis sensuum illecebræ mentem eripiunt, vt ea, quæ in omniũ oculis sunt posita, ipsis in occulto lateant. Viam, quæ est in vrbem, nec rusticani quidẽ homines ignorant; Vt igitur in summa eos significaret ignoratione versari, neque quò sibi progrediendum sit, vt in vrbem venire possint, scire eos affirmat.

Id autem eorum inscitiã magis demonstrat, eámque esse cum impietate coniunctam, quia lege sancitum erat, vt Hierosolymam Iudæi quotannis venirent, ibíque re diuina procurata, meritam Deo gratiam persoluerent. Quod officium, omni sanctitate præstans, cùm impiè homines deserunt; stultitia obcæcantur, vt nihil honestum, nihil pulchrum, nihil quod sit perpetuò duraturum videant. Sic enim se res habet, vt qui sensuum iudicio, vitam moderatur, religionem negligat, & qui religionem, vel polluit, vel non rite colit, sensuum opprimatur tyrannide: est enim vera religio, totius sapientiæ fons, & origo: quam, Socrates apud Platonem, naturam ducem secutus, asserebat, quia homines non rite colerent, tot tantáque in eos mala inuehi.

Religio, totius sapiẽtiæ fons.

Plat. Epi.

*Væ tibi terra cuius Rex puer est, & cuius principes manè comedunt.*

Quæ & quanta mala rebus humanis stulti afferant, in ea republica, videre quis poterit, cuius Rex puer gubernacula tenet, & viri principes, qui eum ad honestatem & decus, instituere debuissent, se voluptatibus dedunt. Ille ætate, hi moribus, & opinionum erroribus stulti. Quemadmodum enim, si quis insaniat, nihil, vt decet, molitur, & perficit, quia in morbo sit animus: ita cùm Rex, qui reipublicæ, est quidem mens, & animus, sanitate vacat, respublica ægritudine afflictata, & debilita iacet.

Illud autẽ, *manè comedunt*: nõ solùm, quod ad Dionis propinquos Plato, minimè sibi placuisse, cùm in Siciliam venisset, scribit, Italicarum, & Syracusiarum mensarum epulis, bis in die saturum fieri; sed studium, quo voluptates sectantur principes, significat. Huic enim voci, *Manè*, in litteris sactis ea est sæpe notio subiecta, vt curã, & studiũ, quo aliquid molimur, indicet: vt est illud Dauidis, *Deus in medio eius non cõmouebitur. adiuuabit eã Deus manè diluculo.* Et in Prouerbiis, *Qui manè vigilant ad me, inueniẽt me.* Et

Manè comedere quid sit.

Manè, pro cura & studio circa aliquid.

Psal. 45.

Prou. 8.

Ieremias cùm apud principes ciuitatis, orationem haberet, qua Dei nomine, illos admonebat, vt iudicium iis, qui potentiũ vi opprimebantur,
Ier. 21. singulari studio redderent, hac eadem vsus est voce, *Iudicate*, inquit, *manè iudicium, & eruite vi oppressum, de manu calumniantis.*

Verbum etiam *Comedunt,* eos maximè sequi voluptatem significat,
Isai. 22. quemadmodum ipsi voluptuarij apud Isaiam illud vsurpant, *Comedamus*, inquiunt, *& bibamus, cras enim moriemur.* Et Dominus cùm aduentum
Matt. 24. suum, futurũ prædiceret, *Sicut enim,* inquit, *erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes,* Et diues ille, *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Manè* igitur *comedunt:* nihil est aliud, nisi quod ad voluptatem omni impetu ferantur.

Principes ergo dum inflammato animo, voluptates concupiscunt, illarum blanditiis deliniti, atque corrupti, quantum reipublicæ mali impendeat, non prouidẽt, Regíque puero debita officia deserunt: Rex autem cùm sit omniũ consiliis destitutus, & puer non his artibus, & disciplinis institutus, quarũ præsidio, ciuium vtilitatẽ tueri, & totum possit reipublicæ corpus curare, ne pars illius aliqua deseratur, néue malis vexata pereat: quid ea republica tristius? quid calamitosius? Horum verò malorum causam, & originem, quis neget stultitiam fuisse?

*Beata terra, cuius Rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.*

Qui ab optimis viris genus ducunt, vt nobiles sint, ab eorum oportet, non degenerare virtute, eámque toto pectore amplecti, secus enim si agant, non ab illis, sed à se ipsis natos se esse testãtur. Nobiles enim, tum institutio, & disciplina parentum, tum ipsa domestica virtus altissimis nixa radicibus, ad honestatẽ & decus impellit; quodsi in eis minùs elucet, terræ potiùs filij, & libidinum serui sunt habendi: nihil enim excellens, nihil diuinum, nihil non terrena contagione contaminatum, animo cogitãt, & moliuntur, & quod est fracti, & abiecti animi, pro hisce rebus se corpori dant in seruitutem. Si igitur Rex sit vera nobilitate præstans, maiorum suorum, qui ei ad sempiternam nominis gloriã præluxerunt, vestigia persequetur, in eóq; totis viribus pugnabit, vt auitæ, præ se, virtutis speciem ferat, & mortẽ seruituti anteponat. Hic autẽ verè Rex, & philosophus rempublicam beatam efficiet. Regis autem mores, cùm cæteri imitentur, ij, qui apud eum, principem locum tenent, in omnibus vitæ partibus moderati erunt, & temperantes.

Quamuis autem Salomon, humanæ imbecillitati permittat, vt reipublicæ principes, ita voluptates, ex his rebus, quæ sensus mouent, percipiant, vt faciliùs reipublicæ gubernandæ onus sustineant: id tamen eidem imbecillitati, in Rege minimè tribuit. In voluptatibus principum temperantiã laudat, quia in illis percipiendis, vtilitati reipublicæ consulunt. Regis verò solam nobilitatẽ commemorat. Qui enim omnibus præest, ab iis etiã, quæ aliis permissæ sunt, voluptatibus abstinere oportet.

tet. Nam si principes, in aliqua se voluptate effuderint, Rex in illis expetendis, eos, vt rationem sequantur, monebit; metu quoque, si opus fuerit. At Rex si intéperanter agat, ab alio coërceri, & reprimi nõ potest. Ne igitur Rex tanto se insaniæ periculo cõmittat, omnes sibi voluptates esse fugiẽdas persuadet, *Noli*, inquit, in Prouerbiis Salomõ, *Regibus, ô Samuel, noli Regibus dare vinũ, quia nullũ secretũ est, vbi regnat ebrietas, ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum & mutent causam filiorum pauperum*. Prou 31.
Quantum verò Regis, & aliorum, qui aliis præsunt, intemperantia, reipublicæ, detrimenti afferat, adiungens similitudines ostendit.

*In pigritiis humiliabitur contignatio, in infirmitate manuum perstillabit domus. In risum faciunt panem & vinum, vt epulentur bibentes: & pecuniæ obediunt omnia.*

Si faber tignarius sit piger, nihil poterit arte fabricari, inertia enim sua faciet, & pigritia, vt tectum, quod in domiciliis firmum nos habere oportet, nec diu permaneat, nec aquas pluuias, vt bene habitemus, arceat. Qui rempublicam administrat, illius salutis curandæ munus sciat se suscepisse quod non nisi singulari cura, & studio poterit explere. Rex autem qui à maioribus traditum regnum accepit, illius præstantissimi muneris colendi & efficiendi causa, natus & editus est in lucem: quare nihil eum discere aliud decet, nec quidem appetere, nisi quod ad gubernandæ reipublicæ disciplinam spectat.

Si igitur fabri tignarij pigritia tantopere nocet: quantum, quæso, principum, ne dicam, Regis intemperantia reipublicę afferet detrimentum? Animi namque statum, intemperantia inflammat, & conturbat, vt nihil iam de republica curet, cuius sit animus de statu deiectus, & ipse ad voluptates rapiatur. Fabris igitur tignariis, inertibus quidem, & pigris, eos principes esse similes affirmat, quorum his verbis mores, vitámque describit, *In risum faciunt panem, & vinum, vt epulentur bibentes.*

Quam verò in summis diuitiis intemperantia dominetur, ostendit Salomon cùm inquit, *Et pecunia obediunt omnia*. Cui enim tenues sunt opes, & si voluptates vehementer appetat, ipsa eum rerum suarum tenuitas coërcet: principes cur opes sunt maximæ, cùm primùm cœperit voluptatum illecebris deliniri, eum opes, & diuitiæ, vt se illis dedat allicient: sunt enim illæ duæ ad voluptatem: viam namque ad eam quærendam, consequendámque muniunt, eùm nihil pecunia comparari non possit, cuius adeò longè, latéque patet imperium, vt nullis queat terminis definiri, aut regionibus contineri.

Principes igitur in percipiendis voluptatibus, si officio suo deesse nolint, illud ante oculos sibi proponant, cum blanda scilicet boni imitatrice, sed maximorum effectrice malorum voluptate, se cominus pugnare cui si deuicti subiiciantur, necesse esse rempulicã, patriámque, eorum scelere interire.

*In cogitatione tua Regi ne detrahas: & in secreto cubiculi*

*tui ne maledixeris diuiti: quia & aues cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit ſententiam.*

Regum & principum pigritia, cùm maximo ſit reipublicæ detrimento, ſubiectorum in eos animos excitat, vt eorum mores, & vitam reprehendant. Hæc autem dicendi libertas multis ſæpenumerò perniciem attulit: verùm prudentiores, etſi reipublicæ caſum vehementer doleant, non quidem corā lugent, aut queruntur, ne in perniciem incurrant: animo tamē dolor incluſus aliquando foras eminet, cùm vel ſecum ipſi, vel cum paucis, quos minimè delaturos putant, quia eos idem dolor excruciat, conqueruntur. Hos autem Salomon non procul abeſſe à periculo vitæ denuntiat: adeo enim omnes Regis, & potentiū gratiam, quacūque poſſunt arte, & ratione aucupātur, vt nihil, etſi nefarium ſit ſcelus, prætermittant, quo illam conſequantur. Singulari verò id eſſe ſtudio cauēdum præcipit, nam quod occultum tectūmque eſſe putamus, nec cuiquam, niſi nobis ipſis credidimus, incredibili ſe via, & ratione indicat, vt non niſi illud aues arreptum in lucem prodidiſſe videantur.

Simili ferè dicendi ratione, qua hoc in loco vtitur Salomon, vſus eſt Habacuc, cùm de Regis Babylonis tyrannide orationem haberet. *Quia lapis, inquit, de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* Habacuc 2.

# CAPVT XI.

*Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa, inuenies illum. Da partem ſeptem, nec non & octo, quia ignoras, quid futurum ſit mali ſuper terram, ſi repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent. Si ceciderit lignū ad Auſtrū, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.*



CVM ea ſit hominis conditio, vt non eodem ſemper ſtatu maneat, quia ſecundæ eum res efferunt, aduerſæ deprimunt, gaudio exultat, triſtitia & angore conficitur: quid res afflictas & aduerſas ſubleuet, Salomon, licèt obſcurè, ducta ex agricultura, ſimilitudine, docet. Quātùm verò in rebus omnibus opportunitas valeat nemo non videt: quare Agricolæ, cùm imbres defluxerint, & fuerit terra ſubacta, ſemen ſpargunt, quod eis poſtea, tempore opportuno, victum præbeat. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa inuenies illum.* Quemadmodum diligentes agricolæ, cùm ſeminandi eſt opportunitas, poſt pluuiā ſcilicet, quæ mollit agros, eis ſemen mandant; ita nos eadem oportet diligētia, iis, qui victu, & cęteris ad vitam rebus neceſſariis egēt,

eas

eas ſuppeditare, vt alantur, & viuant. Eſt autem illa, maxima benignè faciendi opportunitas, cùm primũ illi ad nos confugiunt, opémque noſtrã ſuppliciter demiſſéque petunt. Sparſum verò terra ſemen excipit, iqdue occatum cohibet, vt nuſquam appareat, ex eo tamen tepefacto, humore, & complexu ſuo, vberes illa fruges agricolis fundit. Ita & beneficium, quod in egentem conferimus, accipit ille quidem, & ſinu ſuo quaſi occulit, nobis tamen cum fœnore poſtea redditur. *Quia poſt tempora multa inuenies illum.* Nam cùm tempus poſtulat, agri multò plus afferunt, quàm acceperunt. Hyeme agricolæ ſeminant, & æſtate metunt. Qui autem beneficium in paupere ponit, illud diligenter ſerit, quod, cùm fuerit opportunum, dum in hac vita manet, vel poſtquam ex ea abierit, metet, quod his verbis, *Poſt tempora multa*, ſignificauit Salomon.

Sunt autem *tranſeuntes aquæ*, quæ fluunt, & ita abeunt, & à nobis recedunt, vt eaſdem fluere nunquam ſimus poſtea viſuri, quæ agros mollitos ad ſerendum relinquunt, nihil tamen, dum fluunt, hominibus proſunt, nec temporis momento conſiſtere propriis viribus poſſunt, & ne quodam modo euaneſcant, aliena ope indigent. Earum ſunt ij ſimiles, à quibus nulla vel opis expectari, vel beneficium poſſit, & qui aliorum liberalitate, & beneficio, ne pereant, aluntur, & viuunt, qui cùm beneficiũ acceperint, diſcedunt, ac ſi illud in profundũ abiiceres; his igitur, vt omni ſtudio, vt quiſque opis indiget, opitulemur, Salomon hortatur *Da partem ſeptem, nec non & octo.* Nam ſi multis opem tuliſti, benignitatem tuam laudo, ſed conare, vt pluribus opitulêre, nec ſit benignitas tua certis, & definitis terminis circunſcripta: ſi ſeptem egentibus victum ſuppeditaſti, octo etiam tribue, vt enim ſementem feceris, ita & metes.

Cur autem in egentes benignitatem Salomon tantopere commendet, rationem reddit. *Quia ignoras, quid futurum ſit mali, ſuper terram.* Ea eſt enim, vt diximus, homini vitæ conditio, poſtquam ſe ſcelere aſtrinxit, conſtituta, vt quid mali, craſtina dies feret, ignoret, nec ab eo ſit alienũ, quodcunque, licèt grauiſſimum obuenerit. Hæc autem miſera vitæ conditio, benignitate in egentes, quaſi ſingulari quodam adiumento, & ſolatio ſubleuatur, In ſuis enim rebus aduerſis, cùm ſibi opus fuerit, diuinum numen, beneficio homini, & benigno, præſtò aderit.

*Si repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent.* Cùm terra ſiccitate areſcit, nullam ex ſe poteſt herbeſcentem elicere viriditatem: nubes tamen ſi cogantur, humorémque colligant, eã imbribus augent, vt vbertimos fructus ferat. Ea quæ benignè in egentes conferimus, ſupera petunt, Dei erga nos amorẽ conciliant, & veluti nubes, cùm aduerſis rebus affligtamur, vitámque viuimus aridam, diuini ſpiritus aquas diffundunt, quæ nos afflictos recreant, reficiunt, atque confirmant. Mirum, quantum ad opem ferendã valent; ſic enim ſæpe euenire ſolet, vt beneficus homo, & benignus, vnde nihil ſibi opis & auxilij, in rebus aduerſis, erat expectãdum, inde ſibi videat opem auxiliúmque ferri. Ea enim etſi nõ fœneramur, quia tamen Deo placent, ſibíque ſunt grata, ac ſi ipſe ea accepiſſet, nobis nunquã ſine vſura, ſemper maximo reddit cũ fœnore: quod Matth. 25.
præclarè Tobias prædicat, cùm filiũ ad benignitatem in pauperes, & ad Tob. 4. & 12.
beneficentiam excitat; illam Eccleſiaſticus, cum hoſte, vt nos in libertatẽ Eccleſ. 29.
vindicet,

Luc. 11. & 6. vindicet, manus conserere, tuerique asserit: quid plura? Ipse ille rerum omnium princeps Deus, *Date*, inquit, *eleemosynam, ecce omnia munda sunt vobis: Date, & dabitur vobis; mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & super effluentem dabunt in sinum vestrum.*

Hæc autem, quæ à benignitate, in egentes, proficiscitur certa atque explorata boni adipiscendi spes, homines poterat ad benignitatem, & beneficentiam in pauperes incitare, impellere, & trahere. Eam tamen Salomon non solùm ostendit, sed metum iniicit, vt nobis prudenter caueamus. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit*; Incerti sunt rerum humanarum euentus, spésque fallaces, & cogitationes inanes nostræ. Si nobis aduersa accidant, si de statu deiecti, in miseriis simus, quibus nos poterimus viribus in pristinum statum reuocare, cùm nullæ nobis sint opes, nulla amicorum fidelitas? vt arbores excisæ, aut euulsæ, ibi, quò nos casus tulit, iacebimus, cuius tunc implorabimus auxilium? Illius profectò, cuius nunquam, suis opera fidelitásque defuit. Si igitur in rebus aduersis, ad Dei opem nobis est confugiendum, quo iure illius fidem implorabimus, auxiliúmque flagitabimus, cùm egentes, qui nobis supplices manus tendebant, exclusimus? Ipsi profectò aditum ad eum nobis intercludimus, dum supplices nobis abiicimus.

Omnes nos singulari sumus naturæ fœdere, & societate coniuncti, & maiori quodam vinculo, idem nos reipublicæ ius, quo vtimur, eadem, quam colimus, religio astringit, quare ictum à natura fœdus, societatem, & religionem violamus, cùm homini, qui supplex à nobis petit opem, adiumento esse nolumus. Quid ergo cùm tui similem, & tecum tot rationibus deuinctum, supplicem tibi, aspernaris, à Deo, cum quo nulla es societate coniunctus, & quem tibi alienum reddideras, petis? Quamobrem Salomon *In quocunque*, inquit, *loco ceciderit, ibi erit*. Nam suis rebus fidens, qui nihil minùs curauit, quàm Dei gratiam per benignitatem in pauperes sibi conciliare, inde se, vt arbor excisa, quò fuerit prolapsus, non eriget: præsertim cùm hinc abierit, vbi potuisset, ea sibi diligenter parare, quibus ad beatam vitam sibi viam muniret, quam ex hac discedens consequeretur. Dum enim in vita manemus, ad intermissa possumus benignitatis studia redire, & à Deo, benignè largiendo pauperibus, gratiam inire. Hoc autem diuinæ reconciliandæ gratiæ, & ad Deum adeundi ius quasi quoddam, ab eodem constitutum, dum hîc sumus tenemus, eóque vtimur: hinc verò discedentes amittimus.

Quare verendum nobis est, ne in aduersis, quæ nos oppriment, Deus, quem propitium vellemus, sit nobis iratus, & ita corpus extinctum cadat, vt animus eò accedat, vnde ad vitam, & ad studia redire benignitatis concupiscat, conscientia, & pœnis excruciatus, quibus se expedire nó possit. Postquam verò Salomon, boni, quod benefici, diuino munere adipiscuntur, spe ad benignitatem nos excitauit, & metum obiecit, vt caueamus, ne in aduersis, præsidio, & in interitu, bonis omnibus destituamur, deinde quo studio, sit conueniens benignè fieri indigétib. ostendit.

Qui

*Qui obseruat ventum, non seminat; & qui considerat nubes, nunquam metet.*

Vt tandem sententiam colligat, in eodem simili versatur; Illud sapiẽtum, *Nihil nimis*, in omni negotio est diligenter obseruandum, si enim agricola nimium in eo studium ponat, vnde ne ventus flare inceperit, quôve flat, sitne futurus vehementior; eóque semen, quod vult in agro spargere, possítne reiici, longéque dispergi, atque dissipari, minimè quidem sementẽ faciet. Si nubes quoque ad meridiem, vel ad septentrionẽ in aëre colligantur, in imbres diffluent, an tempus demetendis frugibus sit accõmodatum, exquirat, numquam profectò hac opera distentus metet. Etsi verò in curanda re familiari, diligenter cauendum sit, ne liberalitas sit dissolutior, néve ad largiendum, non suppetant copiæ, & singulari studio laborandum, vt omnis ab ea remoueatur temeritas: dum tamen ad eam laudem aspiramus, vt quantum fieri possit, Deo similes simus, aliam curandæ rei familiaris sequimur rationem. Nam, vt iam tetigimus, ea, quæ pauperibus largimur, multis postea à Deo accessionibus aucta percipimus: vt illa sit optima rei familiaris amplificandæ ratio, quæ ab omni flagitij suspicione abest, in egentes dissoluta quædam, vt ita dicam, liberalitas: cæteri enim quæstus, aut in hominum odia incurrunt, aut vix sine iniustitia, & peccato fieri possunt. Si igitur patrimonia effundimus largiendo, ea nobis satis lauta, & copiosa, Pater ille cœlestis conficiet: si ideo egemus, quia de re familiari impartimur indigentibus, harum quidem rerum cura soluti, liberè beatam vitam quærere, & *patrem* poterimus eum, qui in cœlis est, appellare.

Cùm autem beatè viuere, omnes natura appetant, & in diuitiis plurimum molestiæ, & solicitudinis inesse fateantur, quid malum! nos, vt inquiramus, inducit, num si indigentibus largiamur, ea liberalitate cogemur aliquando indigere? Etsi nihil aliud, eo in pauperes studio, assequeremur, nisi vt diuitiarum misera seruitute liberati, nos ipsos nobis redderemus, totis quidem erat illud viribus amplectendum. Quis, harum rerum cura, non videt, quàm grauiter genus hominum angat, vel potiùs excruciet? Quid igitur magis optandũ, quàm ea solui, & liberari? Quid iucũdius, quàm solutum, & liberum, sibi vacare? Quid homine dignius, quàm mentem à seipso, ad Dei contemplationem auocare? Vides quanta futura sit messis, si largè & copiosè sementem feceris, si quid venti, & nubes futurum indicent, nimio studio, minimè perquiras, si nempe, minimè inquirendum existimes, dum omnibus hæc tua liberalitas pateat, num propter inopiam, in egestate vitam deges.

Quàm verò illud præclarum, quàm excellens, ac prope diuinũ, Deum sequi, & imitari? In hoc enim mentis humanæ absolutio, & perfectio consistit. Deus enim omnibus benignè præstat, vt hac luce fruatur; quare si Diuini Patris, qui nos filios sibi adoptauit, similes esse volumus, illius nobis est vestigiis insistendum, vt quàm diuturnam pro viribus valemus, huius lucis vsuram, indigentibus largiamur. Hoc autem studio, hominis mentem rationémque perfici, ipse illius autor Deus, diuiti ado- Matt. 5. Luc. 5.

lescenti, vt perfectæ virtutis posset fungi munere, persuasit. Quẽadmodum verò diues ille adolescens, abiit tristis, nec postea reuertit, quia hoc sapiens, & salutare consilium, sibi visum fuit, non facilè explicari posse, & expediri; ita plurimi, etsi illud non omnino abiiciendum putent, modum tamen largitioni adhibendũ existimant, qui referatur ad facultates.

Hos autem hac eadem oratione Salomon admonet, vt, si illud perficere non possint, quod summi & præstantissimi est hominis munus, ita ad vsum eorum sit rei familiaris definita moderatio, vt non sit clausa indigentibus: & dum omni studio, de largitionis moderatione agunt, ne, vt agricolæ, qui nimis, quocunque aduersæ tempestatis signo ducuntur, sementem facere prætermittant, qua segetes, Diuini Patris benignitate, vberrimas metant. Hos igitur hortatur, ne humanæ prudentiæ, nimiùm, in rebus suis, tribuant, & eas potiùs Deo committunt, qui omnia nouit, & ea ratione, quã humana mens inquirendo consequi non potest, omnia perficit. Est enim ita humana prudentia temperanda, vt semper à Deo pendeat. Si igitur moderatè largiendum censes, ne fortè dando egeas; illud ita teneas, vt non quamcunque egestatis nubeculam pertimescas; est enim hic abiecti & fracti animi metus, qui diffidit, ea, quæ in pauperes conferat, maximo se cum fœnore, à Deo accepturum, sibique tantopere confidit, vt nullius ope & consilio, ita se moderari rem suam posse existimet, vt semper salua sit, & incolumis.

*Quomodo ignoras, quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa, in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.*

Ita est in pauperes grata Deo benignitas, vt eam non solùm in omniũ animis inseuerit, sed etiam lege sanxerit; & omnibus, quæ sibi voluit fieri, sacrificiis prætulit. Illis quoque, qui mendicis, vnde viuant, suppeditant, si hoc, nulla sibi proposita mercede, munus persoluant, nisi vt Deo pareant, &, vt fas est, eum imitentur, vitam perpetuò duraturam, & summis bonis affluentem, postquam ex hac discesserint, pollicetur, fidẽ omnes his promissis adhibent, quia ea ardenter appetunt: id autem quod apud Mosem ipse beneficiis promittit, vt si opem ferant pauperibus, illis quoque, cùm res ita postulauerit, se opem, in hac vita laturum, vt omnia eis prosperè eueniant, in dubium reuocant: nec Dauidi illud affirmanti, etsi fidem derogari nefas esse putent, omnino credunt, quia sensuum iudicio, & humanæ prudentiæ, vitæ suæ moderationem committunt. Est autem proprium prudentiæ munus, indagatio, atque inuentio veri, quid deligendum, quídve reiiciendum, & quænam sit idoneorum ad agẽdum opportunitas temporum: illi verò sensuum errore ducti, nõ animaduertunt, neminẽ ingenij posse aciem ita exacuere, vt hæc omnia, quibus vis omnis continetur prudentiæ, consequatur, & eum, qui suis viribus, ad summam illius laudem nititur, necesse esse, in officio labi.

[Margin: Luc. 19. Deut. 15. & 24. Matt. 5. Luc. 6. Osee 6. Deut. 15. — Psal. 40. — Prudentiæ munus proprium.]

Quamobrem Salomon, iis, qui egestatis metu ad sensum, & humanæ prudentiæ normã: rei familiaris curã, ita dirigunt, vt nihil in ea Dei prouidentiæ,

uidentię,& benignitati,loci relinquāt,maximā rerum,quas oculis cernūt, ignorationē,in qua versantur,obiicit,vt suæ tenuitatis conscij,intelligāt, omnē hominis vitæ,sine egestate, & cum virtute degendæ, institutionē à Deo proficisci. Quid enim tam cōmune,quàm ventus,omnibus animātibus? Ille tamen vnde excitetur, quis non ignorat? siue illum aër effluēs huc & illuc,efficiat;siue anhelitus terræ,cùm fluere cœperint,vētos,placeat,vt stoicis,esse;quis vnquam,vnde fluere cœperūt,& quovsque peruenient,locum potuit designare? Quid tam commune omnibus animātibus,quàm generari? Quis tamē nouit,qua ratione in locis fingatur animal,& corpori subiiciantur ossa,& dent ei stabilitatem,artúsque finiant.

Si hæc igitur in obscuro hominibus latent, quid eis venit in mentem, cùm tantopere,Deus benignitatē in pauperes commendet,& beneficiis, res suas esse sibi curæ affirmet,ne aliquando indigeāt,nolle indigentibus, vt viuant subuenire? Num sensus,& humanę mentis iudiciū,nobis sequēdum esse,potiùs ducimus,quàm Deū,omnia,quæ futura sunt intuentem. Num ille,cui omnia patent,futuram egestatem non videt, quam homūculi,qui ea,quæ in omniū conspectu sunt,nullo comprehendunt studio, à se præsentiri affirmant? Nam ille qui omnia continet, ne dando indigeas, perficere non potest,& imbecillus homo auaritiæ studio,id se adepturum speret? Num ille ex paupere,neminem diuitem facit,& tibi, illa rei familiaris nimia,& illiberalis cura,opes firmas,quæ nūquā euerti poterūt,cōstituet? Hoc non nisi insani,& quorū sit mēs perturbata,sentiunt.

Eos autem,quos Salomon ad sapientiam instituit,non solùm ad opem ferendam indigentibus,hortatur,sed præclarum id studium,ne vnquam intermittant,ob eam,quam hoc in loco causam tetigit,persuadet;sic enim institutam hac de re orationem prosequitur.

*Manè semina semen tuum,& vespere ne cesset manus tua:quia nescis, quid magis oriatur,hoc aut illud,&, si vtrumque simul,melius erit.*

Prudens & diligens agricola,cùm est tempus seminandi, non alij negotio, aut otio vacat, sed illud in opere totum consumit, quod si semel præterire sinat,haud poterit iterum adipisci. Deinde in agricultura, vt sit frugum copia,est illud maximè curandum, vt suo tempore vnūquodque seminis genus,terræ mandetur; nec sit agricola eo contentus,quod cùm primùm tempus extitit,hoc,vel illud semen sparsit, sed ita tempori seruiat,vt cum postea tempus,ad aliud spargendum venerit, illud terræ subactæ, & mollitæ mandare non negligat. Nam quod primum tellus exceperat,ex eóne fruges effundet,ignorat: si verò contingat,vt ex omni,quod sparsum excepit,vberes fructus eliciat, plus quidem, in cellam frumenti congeretur. Illud autem, *Manè & vespere*, diuersum apud Salomonem tempus significat,quasi dicat,si opportuno tempore seminasti, postea etiam,cùm tempus fuerit, semina,vt nullum agendi tempus prætermittamus, & agricolas imitemur, qui diuersis temporibus diuersa in terra semina spargunt, vt fructus percipiant vberiores. *Manè & vespere*, primùm,nempe,cùm tempus fert,semen sparge, deinde etiam idē studiū repete,& diligenter persequere. Quo etiam modo, his vocibus vtitur Moses, cùm ea,quæ posteritati suæ euentura erant, Iacobum ita prædicē-

Manè & vespere quid significet.

Gen.45. tem refert, *Beniamin lupus rapax, manè comedit prædam, & vespere diuidet spolia.* Hæc quoque matutini & vespertini temporis continuata successio, quæ nulla vmquam poterit vi, nisi diuina interrumpi, æternitatem quádam, & perpetuum, nec vnquam intermissum studium significat: vnde

Ps.124. est illud Dauidis, *A custodia matutina, vsque ad noctē speret Israel in Domino.*

Non solùm igitur, hoc, vel illo tempore, vt benefici in pauperes simus, sed hoc semper Christianæ, erga genus hominum, charitatis studium, vt amplectamur, admonet. Quemadmodum enim agricolæ, tum, vt inopis caueant, tum vt fructus vberiores colligant, sæpius diuersisque temporibus, semina telluri mandant, ita & nobis, ne rerum diuinarum inopia afficiamur, est omni studio curandum: nobis enim in tenebris latet, eorum, quæ pauperibus largimur, num aliquid, Diuini Spiritus calore, quasi semen tepefactum, orietur, & augescet: etsi namque eximia sit spes, & firma ea in sinu pauperis sparsa, esse oriunda, ídque Deo esse gratissimum, quod pauperibus impendimus, quia tamen naturæ, & morum corruptela deprauati, non, vt decet, & oportet, ad hoc officij munus persoluendum, inducimur: & nostri sit summa ingenij imbecillitas: vtrùm hoc, vel illud, quod in pauperes contulimus, sit aliquid nobis vtilitatis allaturum ignoramus: quare benignè pauperibus faciendi studium, numquam erit nobis prætermittendum. Illud enim animorum, ab hominibus inopiam propulsat, & rerum diuinarum affluentem copiam effundit.

*Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.*

Cùm mundum hunc efficere moliretur Deus, & nihil adhuc pulchrum, quod esset corpus, condidisset, commodissimum sibi visum fuit, primò lumen progignere, quod tenebras dispelleret: vt inde tanti operis initium sumeret: non enim ab eo, qui bonitate præstat, fas est dicere, illum non fuisse pulcherrimum, quoad natura pateretur, conditū. Verùm, nec aliqua mundi esset pulchritudo, nisi illius esset partium distinctio, vnde earundem conuenientia sit, & consensus: nec quidem illæ distinctæ artificio, & ornatæ, & vtrùm inter se consentiant, obsitæ tenebris apparerent.

Prima rerum distinctio, lucis ortu, vt Moses commemorat, apparuit: eam enim à tenebris ipse omnium conditor distinxit, & bonam esse, ante res omnes, quarum bonitas, sine ope illius percipi non posset,

Gen. 1. sanctisimo suo iudicio comprobauit. Hìc autem videre est, quàm præclarè fuerint iacta humanæ sapientiæ fundamenta, vt quò res inter se distinguantur, & aliis præstent, humana mens & ratio inuestigaret. Hac autem luce frui, quis neget esse suaue atque iucundum? Iam verò, cùm solem suo accessu, & discessu rerum omnium, quæ mari terraque generantur, educatorem, altoremque intuetur, quis non singulari voluptate perfunditur? Quid si cò nos tum numerorum, tum iuris scientiam doceri à Deo, animaduertat? Dulce profectò, vt inquit Salomon, lumē, & delectabile est videre solem. Quod Tobias vir sanctitate præstans, Salomone ætate posterior, videtur quoque asseruisse, cùm luminibus amisis, quia solem prospicere non posset, nihil euenire posse, quod si-

Iob.4. bi, aliquid voluptatis afferret, Angelo, qui eum salutarat, gaudiumque fuerat pacatus, respondit.

Quia verò luce, & solis cursibus definitis, hominum vita continetur, nam si lucem Deus nobis eriperet,& solem vel tolleret,vel ne circunferretur, efficeret, genus hominum periret, eos, qui viuunt, hac luce frui, & ea carere mortuos, dicimus, quare dulce etiam hanc ob causam,vt inquit Salomon,lumen & delectabile est, videre solem: nempe quia commune est,& insitum omnibus animantibus vitam expetere, eámque omni studio, & cura seruare.

Ex his quàm sit præclara, & omni laude digna, in pauperes liberalitas, apparet: victum enim pauperibus suppeditat, vt viuant, & eis quodammodo, hanc lucem, vt rerum naturas inquirant,vt sapientiam sectentur, vt Deum laudibus efferant, impartitur. Non solùm igitur nos,ad eos sublеuandos communis hæc,qua nati sumus, conditio allicit, sed quia sit præclarum, & prope diuinum,vsuram vitæ diuturnam, hominibus largiri, & præstantissimum huiusce vniuersitatis opus, ne concidat, sustinere. Accedit etiam, quòd Salomon his verbis indicat præmium huiusce Christianæ liberalitatis amplissimum: si enim adeò vita ab omnibus expetitur, vt eam rebus omnibus præferant, omni erit nobis studio curandum,vt ope nostra pauperes viuãt:id enim quod à nobis pauperes accipiunt, eadem nobis est mensura reddendum,imò & cumulatiori: si igitur illi,quia nostris opibus aluntur, hac omnibus iucunda luce carent,eiusdem profectò, vel potiùs numquam extinguẽdæ, nobis dabitur vsura: sic enim ipse rerum, omnium prouisor,& cõditor Deus, suos ad benignitatem,liberalitatemque instituens, inquit, *Date,& dabitur vobis,mensuram bonam, & confertam,& coagitatam, & super affluentem dabunt in sinum vestrum, eadem quippe mensura, qua mensi fueritis. remetietur vobis.* Eleganter hanc Dei sententiam Ecclesiasticus ante, his verbis explicuerat. *Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis,quasi pupillam conseruabit,& postea resurget,& retribuit illius retributionem,vnicuique in caput illorum: super scutum petentis,& super lanceam, aduersus inimicum tuum pugnabit.* Id enim,quod ex re familiari,impertimur, indigentibus,vt viuant, nobis victum præbet: & vt benignè eos excipimus,& subleuamus, ita & hominum,vel ipsius Dei nobis nunquam beneuolentia deest: & quia eos fulcimus & sustinemus, ille etiam ipse rerum omniũ princeps,pro nostra salute, cũ opus fuerit, propugnabit.

Luc.6.

Eccl.25.

Luculenter quidem Isaias rem omnem, ad suos orationem habens, explicat,sic enim eos ad liberalitatem in pauperes hortatur, *Cùm effuderis esurıẽti animam tuam,& animam afflictam repleueris,orietur in tenebris lux tua,& tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* Quid igitur est Christiana liberalitate præstantiùs? Quid hominibus commodiùs? Quid vtiliùs? ea enim Deum ita sibi imitãdum proponit, vt quod ille condidit,ipsa fulciat, ne labatur:& quod à Deo accipimus,si non eadem mensura,qua potest tamen,reddat:& nobis gratiam conciliet: salutem tuetur, & vitam tribuit perpetuò duraturam. Isai.58.

*Si annis multis vixerit homo,& in his omnibus lætatus fuerit,meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.*

Vt maiori studio pauperes,nostris facultatibus subleuemus,& ne rerum,quas oculis cernimus,copia insolentiùs efferamur , & , vt ab earũ nos cupiditate temperemus , de officio nostro nos Salomon admonet: quod etsi omnes,ij tamen , qui bonis affluunt, omni debent studio tueri. Est autem officium id, quod recta ratio præcipit,& quò nos ipsa natura ducit. Vnicuique quod suum est tribuere , rectum esse, & iustum, omnes prædicant:nobis autẽ in hac vita,perpetuò esse commorandum. æternitatémque donare , ipse rerum nostrarum casus,& interitus,quàm sit stultum,& ab omni iustitiæ ratione alienum demonstrat. Mirum est autem,quàm multiplici nos ratione ipsa natura, ad mortis meditationẽ adducat: nihil enim eorum,quæ ad vitam pertinent,& voluptatem nobis afferunt , intueri possumus qnin omnia labi,& occidere,nosque eò properare,sentiamus.

Quamuis,igitur iucundum nobis sit,hac luce frui , maximè si res feliciter,prosperéque eueniant , ipsa quidem lux,cui tenebræ succedunt, & res ipsæ secundæ,quæ in cursu sunt,& euanescunt,nos admonẽt,nec mortem meditemur,imò vt commentemur,cùm omnia nobis eam ante oculos proponant : Quamobrem inquit Salomon , *Si annis multis vixerit homo,& in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum , qui cùm venerint , vanitatis arguentur præterita.* Officium profectò in hominum vita desiderat , quia in secundis rebus , & dum in vita manemus,debere nos asserit,ad illius temporis memoriã: animos reuocare,quod tenebricosum appellat.Est autem illud tenebricosum,quia exeuntes ex hac vita non ampliùs lucem solis despiciunt: extincto enim corpore,hac luce mortui carent,nec ea indigẽt, ideoque tenebricosum dicitur illud totum, quod subsequitur tempus,hac communi luce carens : de quo Dauid luculenter inquit,*Introibit in progenies*
Psal.48. *patrum suorum,& vsque in æternum non videbit lumen.* Et Iob. *Antequã vadã,*
Iob.10. *& non reuertar ad terrã tenebrosam,& opertam mortis caligine.Dies* autẽ *mul-*
Gen.4. *tos satis longũ* Hebræus,*tempus* appellat,quemadmodũ,Moises,illud,quod post hominem à Deo conditũ,vsque ad id, quo illius proles longè latéque propagata,totius iuris diuini repagula , & officij perfregit , vt Dei numen,in sui exitiũ interitũque excitaret,*dies multos* nuncupauit.Huius autẽ futuri tenebricosi temporis,& dierum multorum meditatio , quid hominibus vtilitatis afferat,deinde Salomon explicat. *Qui cùm venerint,* inquit,*vanitatis arguentur præterita.*

Mirabilis est hæc quidem,quæ in ea meditatione inest vtilitas , & ex ea,quot & quantæ sint hominibus vtilitates aliæ, dies quidem me deficeret,si numerare vellem.Ea enim sic animi commotiones temperat, vt faciat eas rationi obedire:quis enim si mortem commentetur , libidinẽ non coërceat,& cæteros animi motus non reprimat.Nam si hæc omnia, quã sint vana,falsa,& fallentia nobiscum sæpe cogitemus, ea quidẽ potiùs oderimus,quã sequemur. At mors nobis semper impendens, quàm nos illa suis lenociniis fallant, & ex fraude fallaciísque constare omnia, demonstrat:quãobrem,qui mortem meditatur,cupiditates moderatur, & animi motus ratione regit:hæc enim omnia,quę pulchra,& appetenda sensus corporis iudicant,tanquã immania,& quæ labantur, & fluãt,

neque

neque sustineri possint, appetit, vt se ipsũ, & hominum societatem tueri possit. Est enim ei, omnis appetendi ratio, & modus, ipsa naturæ conueniẽtia, & hominũ in genere suo conseruatio: ex vanitate enim, quæ illis inest, omnia æstimat, & morte ponderat. Sic autẽ ea non sensuũ statera, sed mortẽ cõmentantis, hoc est, sapiẽtis, trutina, & põderibus examinãs, haud illis adhærescit. Se ipsũ verò hoc modo moderãti, aderit quidẽ tẽperãtia, quæ animi appetitiones sedat, & mẽtis cõsiderata iudicia cõseruat, & quod in vita est omniũ bonorũ pręstantissimũ, pacẽ animis affert: cõcordiã.n. quodã modo inter animorũ appetitiones cõstituẽs, eas lenit. Hac autẽ cõncordia cõstituta, mẽs in nobis, hoc est, recta ratio, perficitur.

Verùm cũ misera sit nostri generis cõditio, eam, voluptuarij homines inquirunt miseriorẽ multò constitui, si moriendũ nobis esse sæpius cogitemus, nam dum nos hinc esse discessuros, & morte esse omnia extinguenda necessariò, præmeditamur, fieri non posse, quin mœreamur: &, vt commodiori viuamus conditione, ab ea præmeditatione animos esse auocandos. Hos tamen sua fallit opinio, & decipit, dũ nimio voluptatis, & popularis gloriæ studio ducuntur, quod eis tenebras offundit, in quibus etsi solicitudinibus, eorũ animi, noctes atque dies exedantur, ita cæci cupiditate feruntur, vt minimè, animi perturbationes, quæ eos lacerant, & conficiunt, vnde exortæ, & quibus auctæ sint studiis, intueantur: quod si animaduertissent, nihil mortis meditatione, hominibus esse vtiliùs existimarẽt: non solùm enim, vt diximus, animorũ appetitus cõtrahit, ne quæ ab illis oriuntur, nos solicitudines vexent, sed voluptatibus etiã, quæ tã ardenter appetuntur, magnam affert accessionẽ. Tristitia námque illa, quã meditatio mortis affert, ita animos temperat, vt in omnibus se appetitionibus contineat, & in vlla se vnquã effundat. Quo fit, vt animorũ tẽpestatibus sedatis, trãquillè possimus voluptatibus frui: voluptas autẽ in tranquillitate maximè consistit: dum enim animũ huc & illuc, effrenata cupiditas rapit, voluptatẽ, si qua est, imminuit, & expellit: non enim is, qui sibi ipsi non constat, & quẽ inflammat cupiditas, atque perturbat, tanta vnquã poterit, quanta vir tẽperans, voluptate frui. Illũ enim æstus quidam prauæ consuetudinis, ad voluptatẽ trahit, qua delinitũ corruptúmque absorbet: temperantẽ verò ipsa natura ad voluptatẽ allicit, quã recta ratio moderatur: quare à seipso nõ diffidens, nec diuersis cupiditatibus distractus, dũ naturã, rationẽmque sequitur, singulari fruitũr voluptate, quam intẽperans haud vnquã poterit adipisci, quia tum diuersæ eũ cupiditates distrahunt, & quodã modo à se ipso diuellunt, tũ etiã mala consuetudine implicatũ, morũ corruptela, ad eam, quã ardẽter appetit, voluptatẽ inducit. Verũ quod est magis naturæ cõueniẽs, & ratio asciscendũ esse iudicat, id profectò est homini iucũdiùs: Cõsuetudinis autẽ corruptela, à natura abhorret, & ipsa sibi aptã, & quã natura reprobat, voluptatẽ asciscit. Quò fit, vt mortis meditatio, quæ animi motus turbulentos prohibet, non imminuat, sed augeat, & amplificet voluptatem. Etsi namque mæroris aliquid afferat, ne tamen à natura animus recedat, & ne plus quàm oportet, sibi arroget, aut hisce rebus infimis tribuat, eo efficit mærore.

Arist. 7. Eth. 14.

Quanuis autem ad salutem animorum, hæc mortis meditatio valeat

pluri

plurimùm, vt quæ nobis, & nostræ conditionis, & cæterarum rerum omnium cognitionem afferat, illud deinde Salomon, quod est maximè salutare, nostris vulneribus remedium adhibet, vt iis, quæ mortis meditatione, quasi medicamento, sanari non poterunt, eo, quod nobis postremo loco promit, medeamur.

*Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum; & scito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.*

Præmiorum proposita magnitudine, Salomon ad liberalitatem in pauperes suos excitauit, quæ ex ea, qua tum naturæ, tum Dei præceptis & institutis, genus hominum diligimus, charitate generatur. Hæc autem charitas nemini nocet, omnibus prodest, ius & æquitatē inter homines seruat, & diuinæ legi obtēperat. Eadem opera Salomon & pauperum saluti prouidet, & suos hortatus est, vt in rebus omnibus, officij potiùs, quàm commodi rationem ducant, Deóque maximè confidant. Ab hoc verò studio ne harum rerum infimarum cupiditas, animos auocaret, mortis meditationem, vt rem maximè necessariam, omnibus suasit. Spe igitur bonorum, ad officium persoluendum, conatus est omnes hactenus allicere. Iam nunc metu à fœdis factis nos auocat, libidinem coërcet, voluptatem temperat, & cæteri animorum motus, vt rationi obtemperent, perficere conatur.

1.Cor. 13. 1.ad Tim. 1.

Est autem in homine, quasi flos quidam, iuuentus, quæ cùm sit consilij inops, nullum ex se fructum edit, sine veræ sapientiæ cultu: est enim illa in voluptatis, & cæterarum rerum, quæ sensum mouent, cupiditate intemperans, qua ipsius naturæ deprauatæ corruptela flagrat. Ne igitur incitata quasi in procliue labatur, & vt sustineri aliquo modo possit, Salomō, eos, qui se voluptatibus dedūt, ab ipso sūmo Domino, ac Deo, prædicit in iudiciū adducēdos esse in quo ipse, qui falli nō potest nec muneribus corrūpi, & omnia intuetur & perspicit, de eorū anteacta vita iudicet.

Iis igitur, qui rebus his infimis intemperanter vtuntur, supplicia, quæ illis, pro suis criminibus sunt diuino iudicio perferenda, minatur: *Lætare ergo iuuenis*, inquit, *in adolescentia tua*. Non ei Salomon largitur cupiditatum omnium licentiam, sed eo, quo etiam Ioannes, dicendi modo vtitur, qui ita loquentem Angelum inducit, *Qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc*: futurum enim vtrūq; iudicium denuntiat, in quo sint ea, quæ in vita egimus, Dei, & non hominis alicuius ponderibus examinanda, vt quid cuique debeatur, persoluat. Age igitur, qui ætate flores, & opibus tuis niteris, voluptates sectare, & quidquid sensibus iucundum sit, amplectere: summas tibi ipse, eo studio, ærumnas, & miserias cōparas: erit enim in te sanctissimus, & iustissimus iudex; in cuius omnes iudicium venire oportet, nec illud, tibi liberū erit, nolle, sed ea, quam ille de rebus tuis sentētiā tulerit, perpetuò manebit, & nullis vnquā poteris eā viribus fran-

Apoc. 22.

Præclarè verò hic diuini iudicij metus, nobis ad sapientiam, viam munit, & in eam, manu quodammodo deducit. Dum enim nos facit sanctissimi iudicis, cui nihil latet, iudicium perhorrescere, impellit, vt nulla in re nostrum, sed in omni vita illius præcipientis docentísque iudicium, sequamur. Timorem enim, ne à iudice puniamur, consequitur obseruandæ illius legis studium.

Verùm Salomon hominibus, non solùm iustissimi iudicis timorem iniicit, vt se auctore comperiant, illius iudicio, eos, qui omne in voluptatibus percipiendis studium consumunt, fore puniendos, sed etiam, quæ moderatio, & qui modus voluptatis fruendæ, sit tenendus, sapienter quidem, & eleganter docet. Non enim omnes sunt voluptates reiiciendæ, sed in illis percipiendis, quid lex, & iudiciū diuinum vetet, quid præscribat, quemadmodum & quo animo, illis frui permittat, atque prohibeat, est diligenter animaduertendum, vt illius regula, ad quam sunt omnes vitæ actiones dirigendæ, voluptates metiamur.

Quare, *Lætare*, inquit, *iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum, in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum.* Ac si dicat, fruere quidem voluptatibus, sed in illis moderationem adhibe, quam Dei lex, tenendam esse iubet: nam sententiam suæ orationis ita concludit, *Et scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Nam in Dei iudicium, licet inuitus, non poteris non venire, in quo, num sensibus, potius tibi visum fuerit, parere, an legi diuinæ obtemperare, quæ voluptates has esse fugiendas decernit, illas verò certa ac definita ratione percipi posse præscribit, diligenter erit, vt ita loquar, inuestigandum: imò ea, quæ in animi tui recessibus occultata esse tibi videbãtur, omnibus videbis esse comperta: vt ne te tua fallat opinio, & ipsa iuuentus, opésque decipiant, & voluptatum illecebræ irretiant, & vt possis illis animo tranquillo frui, Dei iudicium ante oculos tibi propone, ad cuius normam voluptatum cupiditatem dirige. Hac autem ratione, nec supplicij in sceleratos constituti metus, erit vnquam ægritudo animi, nec cum stultitia coniunctus: animi namque motiones appetitionésque temperat, & sapientiam inchoat.

Animorum quoque Salomon immortalitatem confirmat, cum extincto corpore, eos non extingui, sed coram Deo, eorum, quæ in corpore inclusi, egerunt, rationem reddituros affirmat. Illorum etiam insaniam obiurgat, qui *fidem mortuam,* vt eam Iacobus appellat, iis laudibus efferunt, quibus idem Iacobus, & Paulus, & ipse Christus præpotens rerum omnium Deus, eam fidem prædicat, quæ charitate flagrat, nec est ab honestis actionibus seiugata. Nam in eo iudicio, quod est omnibus subeundum, non de fide illa mortua, Salomon, futuram quæstionem asserit, sed *probis,* inquit, *adducet te Deus in iudicium.* De intemperantia scilicet, quam studio incredibili explere homines conantur, à iudice sanctissimo quæretur: vt quantumuis insanus homo, salutem se cosecuturum credat, si intemperanter vixit, iudicio damnatus, supplicium soluat.

*Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua: adolescentia enim, & voluptas vana sunt.*

Quid iudicij diuini metum consequatur, ostendit; præcipit enim, vt ita vitam moderemur, vt intus in animis, omnia tranquilla sint, & rationi obtemperent: foris autem, in omne genus hominum simus benefici: vitæ enim nobis in eo iudicio, quod tantopere subire formidamus, ratio reddenda erit iudici sanctissimo, qui eam à nobis ita reposcet, vt nihil omnino remittat, *Aufer iram à corde tuo.* Est autem *cor* vitæ domicilium, cæteris enim animalis partibus, quo alantur, & crescant, calorem impertit: vnde tristitiæ & lætitiæ motus oriuntur. Quamobrem non solùm animi affectiones, sed ipsum etiam animum significat, vt est illud, *Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Et, *in simplicitate cordis quærite illum.* Et, *Quò ascendemus? nuncij tenuerunt cor nostrum.* Ira autem animum perturbat, & est insaniæ simillima, quam Salomon prohibet: est enim in rebus omnibus repudianda, cum qua nihil rectè fieri, nihil consideratè potest. Quemadmodum verò ira inflammari est indecorum, & turpe: ita & quacumque alia perturbatione auersa à ratione, incitari: oportet igitur intus, in nobis suum ita rationem imperium tenere, vt nullis perturbationibus succumbat.

Hyppo. li. de corde.
Arist. 3. de part. anim.
Matth. 6.
Sap. 1.
Deut. 1.

Deinde cùm homo, in animo affectiones temperauerit, vt oportet, & sibi pacem in se ipso constituerit, quid officij ab eo ratio postulet, vt illud humanæ societati reddat, est ei diligenter animaduertendum, ne diuino damnetur iudicio, quia officium deseruerit: id autem hac breui Salomon oratione commemorat, *Et amoue malitiam à carne tua. Carnem tuam* vocat hominum genus, quod ab iisdem est ortum parentibus, quibus tu natus, huius lucis vsuram accepisti, eodémque cum illo es modo generatus & formam eam habes, quam omnibus dedit Deus. *Amoue malitiam à carne tua.* Nulli scilicet hominum, quos eo solo nomine summi iuris vinculis, tecum natura astrinxit, non solùm detrimentum afferas, sed ab eorum ceruicibus omnia, quæ eis mala impendent, singulari studio depelle. Non enim hoc in loco, *malitia* ad mores pertinet, sed est, quo aliquis afficitur, malum, vt Chaldæus interpretatur, & ipsum nomen Hebræum רעה significat, vt est illud Dauidis, *Quid gloriaris in malitia?* Pro qua Latinus interpres, sæpenumerò *malum* vel *afflictionem* reddit, cùm enim fœdus inter Isaac, & Abimelech, ictum commemorat, *Vt non facias*, inquit, *nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus.* Et apud Ezechielem: *Hæc dicit Dominus Deus, afflictio ecce venit.*

Psal. 51.
Gen. 26.
Ezech. 7.

Quemadmodum ergo Isaias, cùm ad benignè omnibus hominibus faciendum, gentem Hebræam hortaretur, eos qui erant illi cognatione proximi, & ipsum genus hominum illius *carnem* appellat, *frange*, inquit, *esurienti panem tuum, & egenos vagósque induc in domum tuam, cùm videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Ita etiam Salomon, *Amoue*, inquit, *malitiam à carne tua* Non enim eos solùm cum quibus sunt propinquitatis, & affinitatis vinculis coniuncti, *carnem suam*, Hebræi appellant, vt Laban, cùm Iacobum sororis filium, vxorem sibi ex illius familia quærentem, domo exciperet. *Os*, inquit, *meum es, & caro mea.* Sed eodem nomine, gentem vniuersam Hebræorum nuncupant; sic enim decem illæ tribus, quæ ad Dauidem, qui in opido Hebron, sedem imperij collocauerat, singulari studio conuenerant, orationem apud eum instituunt, *Ecce nos*

Isai. 58.
Gen 29.
2. Reg. 5.

*os tuum,& caro tua sumus.* Omne etiam genus hominum *carnis* nomine Moses significat, cùm eos narrat adeo sceleribus fuisse coopertos, Deúmque illis offensum, vt eos, aquarum inundatione deleuerit, ( *Omnis quippe* Gen.6.
*caro*, inquit, *corruperat viam suam, super terram,*) dixit ad Noë, *finis vniuersæ carnis venit coram me , repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Benignitatem igitur Salomon vt amplectamur, ita persuadet, vt ea neminem excludi velit: animorúmque pacem; ne scilicet perturbationibus incitati à rationis imperio recedant, & ius societatis, à Deo inter homines constitutæ, seruari diligenter à nobis desiderat: est enim hoc fructus timoris illius, quo in Dei iudicium venire, eorum, quæ in vita egimus, reddituri rationem formidamus.

Etsi verò hanc explicandi rationem sequimur, illam non reiicimus, quæ etiam antecedentibus, & consequentibus cõuenit, iracundiam nempe restringendam esse, ne efferamur, & omnes alias affectiones, quæ à sensibus, qui corporibus insunt, oriuntur, & rationi non obtemperant, singulari esse studio amouendas: quas meritò *malitiam* vocat, non eam, quæ versuta est & fallax nocendi ratio: sed quam Septuaginta & duo interpretes *πονηρίαν*, appellant, id est, *nequitiam*, quia nec quicquam boni in illis insit, & nequam est, qui illis succumbit.

Cur autem hoc sit à nobis singulari studio præstandum, illúdque Salomon requirat, his statim, quæ adiungit, verbis ostendit, *Adolescentia enim, & voluptas vana sunt.* Omnes enim constat in Dei iudicium vocandos esse, vt omnium, quæ in vita egerunt, rationem reddant: nos autem hinc propediem discessuros, ætas ipsa quæ volat, quotidie monet. Quid igitur dum est florens ætas, quocumque nos libido insita corporibus, ducit, sequemur? minimè. Effluit enim ætas, & dum minus, id cogitamus, extinguitur, nec vnquam à sepulchro abest. obcæcat quidẽ hominum animos voluptas, sed quàm ineptè ipsi, quàm temere, & inconsideratè se illi dedunt? Est enim omnis voluptas corporis inanis, nihil enim quod delectat, in se ipsa continet. si quando verò iucundè sensum mouet, plus affert tristitiæ, quæ diu animum excruciet, cùm illa momento temporis euanescat.

Non igitur adolescentia, vel vlla nos voluptatis species fallat, vt illecebris deliniti officium deseramus. Erit enim deserti officij culpa, non ætati, aut voluptati, sed nobis attribuenda: cùm hic ipse breuis ætatis cursus, & voluptatis motus inanis, nobis impendere mortem denuntient, & dum fluunt, & auolant, nos quoque ad interitum labi demonstrent: & illis quasi magistris & ducibus, à rerum harum consuetudine, quæ nos ad crimen deducunt, & ad æterna & immutabilia consectanda auocemur.



# CAPVT XII.

*Memento creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent.*



IVVENEM voluptatibus deditum, monuerat Salomon, ita viuere, vt vitæ suæ posset sanctissimo iudici rationem reddere, qui eum in iudicium adducet, in quo, pro eo ac merebitur, ei gratiam referet, de peccatis nempe supplicium sumet, & rectè factis præmia persoluet. Quia verò iuuentus voluptatis libidine fuerit, nec quid futurum sit, exquirit, sensuúmque iudicio, omnia metitur, & ideo præceps in scelera ruit, vt contineri possit, eámque honesta senectus assequatur, Salomon post iudicij diuini subeundi metum, quem proposuerat, iuuenum animos, ad præpotentis Dei, qui eos ex nihilo condidit, memoriam reuocat, vt & metu & amore, vtilitatísque specie eos in officio contineat, *Memento creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ.* Cùm ætas floret, & vires adsunt, vt à belluis differamus, quarũ est etiam ætas iniens, media & extrema, illud est ante oculos habendum, nos hæc omnia à Deo accepisse. Sic enim eum, à quo, tanto sumus beneficio affecti, colendum nobis singulari esse studio cognoscemus, & cur id, in nos ille contulerit, inuestigabimus. Non enim casu, nos ille finxit, qui omnia prospicit, omnia continet, & moderatur, sed homines, vt sibi ipsis, &
Gen.4. cæteris animantibus præessent, sui imitatores creauit. Nos enim non tellus generauit, sed ille ipse rerum omnium Deus summo consilio effinxit, vt à Deo sit potius nostri generis origo, quàm aliundè petenda.

Quamobrem præclara est illa, quam refert Paulus, Græcorum poëtarum
Act.17. sententia, *Illius enim genus sumus*: cùm de Deo per omnia cõmeante dissererent: Cùm tanta sit generis nostri dignitas, quid non erit laboris suscipiendum? quid tam arduum & difficile, quod vt illam seruemus, non sit nobis singulari studio aggrediendum? florenti ætate iuuenes gloriæ cupiditate flagrant, & generis nobilitatem, cæteris rebus omnibus anteponunt: vt igitur eorum animos Salomon ab omni alia cogitatione, ad hanc diuini generis dignitatem tuendam traduceret, quis sui generis, & nobilitatis sit auctor, in memoriam redigit, vt quem omni studio imitari debeant, ante oculos habeant, & ne ex se nati esse videantur, ab eo nihil degenerent. Hoc enim plusquam mortem fugiendum esse ducunt, summúmque esse dedecus, aliorum se sobolem, qui scelerum maculis fuerunt imbuti, nun-
Ezech. 18. cupari; vt est illud in Hierosolymitanos, *Radix tua & generatio tua de terra Chanaam, pater tuus Amorræus, & mater tua Cethæa.* Dum autem vnde generis nostri sit orta nobilitas, & principij memoria, erit nostris mentibus
Rom.8. infixa, ab illa Pauli sententia, numquam discedemus, quam ad Romanos scribens refert, *Ergo fratres*, inquit, *debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus, quicumque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.*

Non

Non solùm autem Salomon iuuenum animos insitæ nobilitatis memoria, ad virtutis decus inuitat, sed vt præceptis diuinis, maiori studio obtemperent, & ad eorum normam, vitam dirigant, ortus nostri memoriam repetit, & vt optimi parentis, in illorum animis amorem excitet. Nam id à nobis pietas erga parentes postulat, vt quæ ab illis sunt instituta, obseruare, quibus possumus viribus curemus. Non mediocris deinde illis speciem vtilitatis obiicit, vt si non diuini iudicij metus, si non gloriæ cupiditas, si non pietas, eos à iuuenili peccandi licentia reprimat, vtilitas saltem, quæ ex virtutis studio nascitur, à peccandi consuetudine auocet. *Antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent.*

Si in iuuentute simus temperantes, nos leuis quidem, & iucunda assequetur senectus: vt enim illa sit grauis, & misera, est in moribus culpa. Nam si iuuenes, in libidines, & in alios non rectos impetus animi dominentur, non quidem corpus omnino confectum, senectuti tradent, nec iis se carere voluptatibus deplorabunt, quæ maximè sunt fugiendæ. Intemperans iuuentus, & in vitiis enutrita, cùm senescit, est omnium miseriarum miserrima. Ea enim & virium & voluptatum desiderio æstuat, & cùm nihil antea egisset, quod ad virtutis decus pertinet, sed omnia ad libidines, quæ agenda essent, in vita retulisset, cùm vires & corpus amiserit, nihil sibi reliquum est, quo senectutem lenire possit, quin effœtum corpus lamentetur, & dum adhuc spiritum ducit, emortuum se conqueratur. Quam quidem senectutem, *tempus afflictionis, & annos, de quibus dicas, non mihi placent*, Salomon appellat. At si iuuentutem ita moderère, vt diuini generis tui splendorem, nullis vitæ maculis aspergas, & optimi parentis institutis & præceptis obtemperes, senectus quidem corporis auferet voluptates, sed prudentiam, & philosophandi otium iucundissimum afferet: iuuentutem enim, virtutum exercitationibus assuefactum, leuis quædam, & quæ maximè sit optanda, insequitur senectus. Quid enim, per Deum immortalem, magis erit optandum? aut quid poterit, dum in vita manemus, esse iucundius, quàm sedatis appetitionibus animi, & quasi libertate constituta, reipublicæ gubernacula tractare, aut quia eam prope iam desipientem non attingas, singulari cum animi tranquillitate, otio frui philosophiæ? Hoc autem iuuenes si consequi velint, & ne miseram senectutem à tergo insequentem accusent, sui generis originem, familiæ diuinæ splendorem, & optimi parentis nomen, præceptáque ex memoria minimè deponant.

*Antequam tenebrescat Sol, lumen, & luna, & stellæ, & reuertantur nubes post pluuiam.*

Senectutem mirificè describit; ea ingrauescente, quia vires corporis deficiunt, ea quoque, quæ percipiuntur sensibus, non vt antea pulchra, videntur, nec ita iucundè mouent, hoc est, tenebrescit sol, lumen, & luna, & stellæ. Nam si adolescentia, animi appetitus, senili prudentia non contrahat, mentis profectò oculos voluptas perstringet, & cùm iam ferè decursa ætas fuerit, nec communi hac luce frui, viribus orbata poterit, nec animi

bonis, cuius lumen prauis moribus penè extinxerat. Quid enim effœto corpore, animóque imbecillo, & peccandi consuetudine imbuto, cùm nec animo, nec corpore valeas, hic ipse solis, & astrorum splendor, iucunditatis afferet: animi, & corporis ægritudine pressus, miseram, culpa tua senectutem accusabis.

Has Salomon ærumnas, quibus ea premitur senectus, quæ nullos anteactæ vitæ fructus percipit, enumerat, quemadmodum multis annis post, Isai.13. eadem ferè oratione Isaias imperij Chaldæorum interitum prædixit, *Quoniam*, inquit, *stellæ cœli, & splendor earum, non expandent lumen suum, obtene-* Iob.18. *bratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo.* Et ætate multò illis superior, Baldad Suhites, de impij hominis statu, rebúsque differens, hanc de eo sententiam refert, *Nónne lux impij extinguetur, nec splẽdebit flamma ignis eius? Lux obtenebrescet in tabernaculo illius.*

Arist.1.meteo. Cùm igitur animi, & corporis viribus, voluptatibúsque destituta, misera sit senectus, suis solet miseriis lacrymas præbere, quas Salomon hoc in loco *pluuiam* vocat, vapores à sole, ex agris tepefactis, & aquis excitantur, qui frigore concreti, in nubem coguntur, & in tellurem defluunt, quos *pluuiam* dicimus. Eos, qui in adolescentia, Dei numen minimè reuerentur, & colunt, postea senes eas passuros ærumnas esse, quæ illis sint in causa, vt lacrymis conficiantur, Salomon testatur: quemadmodum enim, si post pluuiam, nubes cogantur, iterum pluit; ita cùm nihil eorum alleuet ærumnas, nec quidem lacryma vnquam arescet.

Arist.1.de gen.an.4. Senectutem esse morbum, in quem naturæ vi, sensim ætas ætati succedens delabitur, Aristoteles asserit; quæ enim morbus hominibus aufert, ea & senectus eripit: quare, vt morbus, sic & senectus aliam hominibus faciem secum affert, illa enim, quæ in homine oculos mouens, & oblectans species insidebat, vrgente senectute amittitur. Hoc existimat Chaldæus, primis illis huius orationis verbis significari: *nubes* verò, & *pluuiam* de lacrymis interpretatur. Verùm aduentante senectute, oculorum acies hebescit, eáque vrgente, sol non ita clarè, nec luna, & stellæ nec ipsum lumen, sensibus elucet; vnde post pluuiam, cùm sit serenitas cæli, illis, ac si in eo cogantur nubes, illud caliginosum videtur.

Hanc in paraphrasi explicandi rationem sequimur. Etsi namque postea Salomon mentionem faciat oculorum, cùm & cætera humani corporis membra, quæ nobis à Deo, propter vsum donata sunt, meminerit: hoc tamen in hoc loco, cum ipsa ætate, nos admonet, omnia quodammodo senescere: vt ipsa cogat senectus, si mentem, quæ erat desipiens, in adolescentia, non mutes illa, quæ fueras tanto studio sectatus, inuitum deserere.

*Quando commouebuntur custodes domus, & nutabunt viri fortissimi.*

Manus homini datæ. Quia homo rationis est compos, & prudentiæ laude, omnibus animalibus præstat, ei soli, manus dedit omnium architectus Deus, vt est autor Arist.4.de par.an.10. Anaxagoras: nisi enim manus accessissent, nec rebus his omnibus vti, nec tot artes, quæ tum ad vitam necessariæ, tum ad sapientiæ studium, maximo sunt adiumento, reperire potuisset. Quin & cæteris ipse animantibus imbecillior videretur, &, vt quidam impiè asserebant, deteriùs quàm

cætera,

cætera, esset animalia effictus, nisi ipse, qui cum tanto artificio condidit, manus ad capiendum, & repellendum affixisset: harum enim quasi instructus opibus & præsidiis munitus, est omnibus animalibus valentior: hæc enim certo quodam genere armorum, quod eorum cuique natura tribuit, vitam libertatémque tuentur, nec alio se vestitu, nisi quo primùm ea natura vestiuit, induunt. Verum cùm manus sint artium ministræ, & ea, quæ nobis ad vitam sint opus accipiant, quæ verò nocent, repellant, variis se homo armis tegit, vt tempus, & ratio postulat, eáque nunc tenet, nunc ponit: vestem verò commodè ad tempus mutat, hāc enim vel illam, vt lubet, induit. Manibus igitur & se tuetur homo & in omnes dominatur animantes. Hæ autem senectute viribus destitutæ tremunt, nec adolescentiæ munera exequuntur. Quamobrem Salomon, eas, *custodes domus* appellat, & viribus amissis, vix posse, asserit, tremebundas, senectute officio suo fungi.

Cùm autem in hominis corpus Deus animum incluserit, fuit maximè consentaneum hominis dignitati, eum celsum & erectum à Deo constitui, vt cœlum intueretur, & conditoris sui cognitionem perciperet. Arist. de an. in c 9. Eum autem sic constitutum, vt crura firma & stabilita sustinerent, ea homini affixit, quæ Salomon, ob firmitatem, & stabilitatem, *viros valentissimos* vocat. Ea verò tempore etiam, vt alia senescunt, & vires deficiunt, vt iam sibi onus impositum sustinere non possint, *Et nutabunt*, inquit, *viri fortissimi.*

*Et otiosæ erunt molentes in minuto numero; & tenebrescent videntes per foramina.*

Dentibus in ore constructis m anditur, illorum enim opera conficimus escas: dum ætas floret, ipsi quoque strenuè operam nauant, cibum extenuant, & quodammodo molunt: genuinos, qui conficiunt escas, *molentes* vocat Salomon, quos dicit otiosos esse senectute, quia ætate confecti, non eam, quam antea, escas conficiendi vim habent, & quasi otio torpent, & in opere cessant. Illud autem in minuto numero. Quia dentes vel ætate, vt fieri solet, sponte ex ore decidunt, vel quia minuuntur, & extenuantur, vt Græci interpretes videntur explicasse.

In capite Deus singulari artificio duo foramina est fabricatus, quæ ad animum paterent, & inde quasi per cancellos, vt Hebræus explicat, acies oculorum hæc infima cernat, quæ senectute ita fit hebes, vt illam, ea, quæ antea videbat, etsi intendat se acriter, fugiant.

*Et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris, & obsurdescent omnes filiæ carminis.*

Senes cùm ad vitæ occasum propiùs accedunt, in eis calor, quo viuimus, sensim refrigeratur, & extinguitur: quo refrigerato, appetitus cibi, & vis ad concoquendum minuitur: nec tantum cibi, & potionis, vt cùm erāt adolescentes adhibent, non enim eo reficerent vires, sed opprimerent. Cùm

Cùm igitur parum cibi, in ſtomachum, velut in forum illabitur, oſtium, quod in forum patebat, iam non apertum eſſe dicimus. Quàm verò eleganter illud: *In humilitate vocis molentis.* Dentibus, vt diximus, cibus diuiditur, & modificatur, indéque in ſtomachum depellitur. Si viribus valens det operam molis, illæ tum celeriter, tum etiam magno ſonitu feruntur, quemadmodum & iuuenes cùm mandunt, cibum molunt, quod ſenes haud præſtare poſſunt. Cùm igitur ſenes parum cibi capiant, & calor, quo viuunt, refrigerari incipiat, è ſtomacho vapores excitantur, qui facili negotio cerebrum petunt, & inde frigore depulſi, ad medium corporis locum feruntur: hi autem ſurſum & deorſum commeantes, ſomnum animantibus afferunt: qui in ſenibus, cùm tenues ſint, & magna ſit in tenebris frigoris vis, arctiorem illis ſomnum non afferunt.

Ariſt. de ſen. & vig. 4.

Quamobrem ſenes, nec ita facilè ſomnum capiunt, nec is quidem arctior eos complectitur, quo & breuiori vtuntur; & ſono quocunque, ex eo ſuſcitantur: &, vt inquit Salomon, *Conſurgent ad vocem volucris.* Quemadmodum cæteræ vires corporis eos deſerunt, ita & audiendi ſenſu carent, & cantus, quibus oblectabantur, auribus minimè percipiunt, *Et obſurdeſcent omnes filiæ carminis.* Vocem ſcilicet citharœdi non audiunt, nec in cantu numeros canunt, etſi antea cecinerant: hæc enim à Salomone *filiæ carminis*, nominantur, vt Hebræi doctiores putant. Nam hominem nequam, ſacer autor, ſæpe *filium* vocat *iniquitatis*: & Hieremias *filias pharetræ*, ſagittas appellat, quia improbos nonniſi in ipſo ſcelere, cui totos ſe dediderunt, natos eſſe dicimus: & ſagittæ ſumuntur è pharetra, quibus aliquid volumus configere: & vocẽ citharœdus carmine modulatur, & eam, numerorum muſicæ moderatio, flexionéſque, ſuarum efficiunt, vt ipſius ſit, illa numerorum menſio, moderatrix, & parens.

Thre. 3.

*Excelſa quoque timebunt, & reformidabunt in via. florebit amygdalus: impinguabitur locuſta: & diſſipabitur capparis.*

Quæ ſit in ſenibus virium imbecillitas, ſatis illud oſtendit, quòd ſi accliuis ſit via, progredi non poſſint: ea ſi aperta, ſimplex, & plana ſit, ne cadant, ſi aliquantulum proceſſerint, timent: & quemadmodum amygdalus cùm florere incipit, albeſcit, ita ſenium caput caneſcit: ſic ætas prouecta, omnia immutat in ſenibus: qui omnibus prope viribus carent, nec vllum, etſi leue, vt eſt locuſta, ſit onus, ſuſtinere poſſunt.

Pſal. 108.

Hyperbolicè quidem Hebræus, ſenes quàm deficiant vires, explicat, quemadmodum & Dauid *ſicut vmbra*, inquit, *cùm declinat, ablatus ſum, & excuſſus ſum ſicut locuſta.* Eſt enim verbum Hebræum מבל quo Salomon vtitur, idque Hebræi Latinè vertunt, *onerare*, & hãc Salomonis orationem Latinè reddunt, *Oneratur locuſta.* Et ea ratione ſentiunt, illius explanandam eſſe ſententiam, qua nos eam explicuimus. Verùm Septuaginta & duo interpretes, & noſter Latinus his verbis Salomonis ſententiam referunt, *Impinguabitur locuſta. Locuſtæ* autem vocabulo, pedis hominis partem eam ſignificari, Chaldæus putat, quæ *talus*, ob ſimilitudinem dicitur, eáque in ſenibus inflatur, & tumet, quod *impinguatur*, Latinus dixit.

In

Si corpus ætate confectum diligentiùs animaduertas, ab ima parte pedis vsque ad summum verticem, in eo reperies, versa in peius,& mutata esse omnia. Cùm igitur se ipsum corpus deserat, meritò quidem senex studia, quibus tenebatur, à se remouet, ea enim,& ætas, & imbecillitas debilitat, & amissis viribus, erunt illæ, quæ antea flagrabant, sedatæ,& tranquillæ appetiones animi; אביונה Hebræus cupiditatem vocat, quæ Veneream voluptatem concupiscit: hanc Septuaginta & duo interpretes, Græce κάππαριν, à καπριάω fortasse, nominarunt, quod est *ad venerem excito*. Noster autem Latinus eodem vocabulo rem luculenter explicari existimans, non alio eam appellauit.

*Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes.*

Quemadmodum sensim ipsa senescit ætas, ita tempus paulatim vires corporis debilitat, vt illius coagmentatio labefactetur tandem, & frangatur. Hunc naturæ ad interitum, cursum, hactenus Salomon eleganter descripsit. Eum autem cùm primùm confecerit, corpus in sepulchrum, quod illius portum Ennius appellabat, infertur. Illud autem Salomon, *domum suæ æternitatis* vocat, ibi enim corpus tanquam in peropportuno diuerso- Cic. Tusc. 1.
rio requiescit: *domum* quoque Iob,& Dauid illud nominant; *suæ* verò *æter-* Iob. 17.
*nitatis*, dicitur, quia cùm emortuum corpus,& affectum sepultura fuerit, ad Ps. 48.
hæc, quibus nunc viuit, & alitur minimè redibit: *Nec reuertetur vltra,* inquit Iob, *in domum suam, nec cognoscet eum ampliùs locus eius. Robo-* Iob. 7.
*rasti eum paululum, vt in perpetuum transiret.* Quamobrem Dauid cùm Iob. 14.
de homine opulento, & diuitijs affluente dissereret, eum vita functum, opibus nudum, in sepulchro prædicit fore condiendum, in quo ita morabitur, vt nullis vnquam sæculis possit ad hæc iterum reuerti, *Et relinquent,* Ps. 48.
inquit, *alienis diuitias suas, & sepulchra eorum, domus illorum in æternum.* Hic vitæ nostræ, quasi curriculi, est terminus,& finis.

Illud autem, quod ad corpus pertinet, reliquum est, vt exequias funeris, amici & affines prosequantur. *Et circuibunt in platea plangentes.* Funera sumptuosa,& lamentabilia apud Græcos, & Romanos, fieri consueuisse, Solonis lex, qua ea sublata sunt, quámque Decemuiri Romani, in deci- Cic 2. leg.
mam tabulam coniecerunt, ostendit. Quem quidem morem, vt alia, ab Æ- Gen. 23.
gyptiis fortè Græci acceperunt: eum Hebræi ab Abrahamo acceptum tenuerunt, sic enim Moses de Sara inquit, *Mortua est in ciuitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanaam, venitque Abraham, vt plangeret, & fleret eam.* Iosepho quoque in Ægypto, & postea trans Iordanem, in Pa- Gen. 50.
lestina, cùm iusta solueret paterno funeri, refert Ægyptios cum plangore Deut. 34.
operam dedisse: Hoc etiam filij Israël eidem Mosi mortuo, cùm funus facerent, præstiterunt.

Hunc autem morem & consuetudinem, Hebræi singulari studio seruarunt,& funeris exequias *plangoris* vocabulo nominabant, quemadmodum cùm Saræ, Iacobi,& Mosis funerum celebritatem, sacer historiæ autor, commemorat, eo illam nomine significat; & multò fortasse luculentiùs, cùm refert, à Propheta, qui in oppido Bethel habitabat, corpus viri

sancti, qui eò venerat, vt Ieroboamū de officio admoneret, & altaris, sacerdotúmque exitium prædiceret, cúmque domum reuerteretur, à Leone interfectus occubuit, ne careret exequiis in oppidum Bethel fuisse delatum. Sic enim ille, *Tulit ergo Prophetes cadauer viri Dei, & posuit super asinum, & reuersus intulit in ciuitatem, vt plangerent eum.* Vt scilicet funus faceret, & omnes ad exequias cohonestandas conuenirent.

3.Reg.13.

Inter funebria verò erant cantus lugubres, quos Græci *Nanias* nominarunt: quo cantus genere, non solùm in Iacobi, & Mosis, funeris exequiis, prisci illi Hebræi vsi fuerant, sed in Saulis, Dauid, quod caneretur, carmen composuit: & in illius sanctitate viri præstantis funere, de quo paulo antè est facta à nobis mentio, autor historiæ, id minimè fuisse prætermissum refert, sic enim orationem institutam prosequitur, *Et posuit cadauer eius in sepulchro suo, & planxerunt, Heu Heu, mi frater.* Ad tibiam verò canebant, nam Dominus, vt Matthæus commemorat, cùm viri primarij filiam è mortuis suscitauit, tibicines, qui ad funus venerant priùs domo expulit, deinde ingressus, mortuam, imperio ad vitam reuocauit. Pompam igitur Salomon significat, quam Hebræi in exequiis funerum adhibebant, quam etiam in Stephani fuisse funere adhibitam Lucas commemorat.

2.Reg.1. 3.Reg.13. Mat.9. Act.

*Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria, supra fontem, & confringatur rota super cisternam, & reuertatur puluis in terram suam, vnde & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

Mors est animi à corpore discessus, dum enim ille in corpore manet, viuimus, cùm verò abit, illius ope corpus destitutum concidit. Hæc autem animi in corpore, vt ita dicam, commoratio, *argenteus* à Salomone *funiculus* dicitur. Cùm enim Deus in corpus animum inclusit, quodam quasi vinculo, duo hæc ita astrinxit, vt animus corpori tribuat, vt viuat, & ipse eo extincto, hinc solutus discedat. Quia verò rebus omnibus vitam anteponimus, & *argenti* nomine, *diuitias*, quas homines aliis externis bonis omnibus præferunt, Hebræi significant, vt est illud, *Erítque omnipotens contra hostes tuos, & argentum coaceruabitur tibi*: *Acquire prudentiam, quia pretiosior est argento*: *Funiculum* Salomon *argenteum*, illam cum corpore animi coniunctionem appellat.

Iob.22. Prou.16.

Quandiu verò est bene corpus constitutum, in eóque statu permanet, vt animi possit esse receptaculum, viuit; cùm verò illud ruit, animus excedit. Huiusce verò ruinæ est illud in causa quòd cerebrum membranis natura septum vndique, diffluit. Has autem membranas, Latinus noster, *aureas vittas* appellat: & pereleganter quidem Hebræus, *vas ex auro* nominat; sic enim membranis, quarum prior esset durior, & densior, interior verò, tenuior, cerebrū natura vestiuit, vt illud aureo quasi quodam vase contineretur. *Aureum* verò quemadmodum, & *argenteum* appellauit, quia vitam, vt diximus, rebus omnibus anteferimus: & argenti splendor ad hanc communem, quam viuimus lucem propiùs similitudine accedit: & aurum, illum, qui in cerebri membraris est colorem imitatur. Quia verò Deus, homi

Hipp. de Loc. in op.

hominem,eo artificio condidit, vt cibo,potione & ſpiritu,illius vita teneretur;arterias ita corpori intexuit, vt in illud omne, ſpiritus diffunderetur: cibus verò poſtquã in inteſtinis & aluo fuerit coctus,inde ſuccus ille,quo alimur,ſecretus à reliquo cibo, ad portas iecoris permanaret,ſeque in ſanguinem verteret,& in iecur conflueret,ab eoque confectus,& coactus,ad cor,per venam,quæ caua dicitur, perlaberetur. Cùm verò ſanguis non ſit in iecore omni admiſtione liberatus, & purus , ab eo, quod denſius eſt, & fel dicitur,in iecoris partem ad id aptam,à natura ſecernitur. Illam iecoris partem,quia fellis eſt receptaculum,Salomon *hydriam* vocat.Eſt autem iecur,fons,vnde in totum corpus, vt diximus, ſanguis diffunditur. Si hæc in nobis interior frangatur hydria, corrupto iecore, vnde ſanguis permanat in omnes corporis partes , nos quoque neceſſe erit interire. Vis illa, quæ ſemper eſt in motu,corpori maximè ſalutaris,dicitur à Salomone *rota* : hæc enim motu ſuo vitam animalis continet: ſic enim in cerebro manens , inferiores partes,quas *ciſternam* appellat Salomon , temperat , & inde quod proſit ſuperioribus,haurit,vt omnia inter ſe congruant. Hæc quidem ſi nõ ſit in corpore temperatio, nec vigebit id , nec ſentiet : & in terram , ex qua fuerat effictum,cadet.

Arist. de par an.4.ca.3.

Cùm itaque in omni ætate,Salomon velit,vt officium,& memorem in Deum,animum præſtemus, ne morte extincto corpore, nullus nobis officij ſoluendi,ſed reddendæ ſolùm rationis ſit locus: hanc illius orationem, deprauatæ opinionis erroribus imbuti homines irridẽt,quia id,vt aſſerũt, habeat minimè rationi conueniens, nempe in omni negotio nobis Dei memoriam , & imaginem eſſe proponendam , cùm delato corpore , nuſquam,vt illi exiſtimant , aut nullus futurus ſit animus. Quid enim animo, qui morte interiit,hæc officij ſoluendi cura , vtilitatis afferet? Hunc Salomon errorem coarguit,& pro viribus tollit,vt homines in ea, quæ ipſe hactenus docuit , ánimos defigant. Cùm ergò morte dixiſſet , in puluerem corpus recidere,& extingui,quid de animo ſentiendum ſit, his verbis demonſtrat. *Vnde & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Sapienter quidem non ſolùm,quid ſibi viſum ſit de animi immortalitate,refert,ſed corpus cum animo confert,& quid interitum corpori,& animo immortalitatem afferat,breui quidem,ſed luculenter explicat.

Eſt autem natura comparatum,vt quidquid ſit concretum ex pluribus naturis,neceſſe ſit diſſipari aliquando,atque diſſolui: cùm enim eæ inter ſe diſſentiant , propriis viribus, ſibi ipſis interitum comparant. Corpus igitur cùm è terrena ſit natura,& elementis compactum,ipſa,quæ illud coagmẽtauit,natura diſſoluit. Verùm animus,cui nihil eſt è diuerſis naturis admixtum,nihil concretũ,nihil copulatũ, perpetuò manet,non enim iis conſtat, quæ inter ſe pugnãt,& ſeparari poſſint. Quẽadmodũ igitur corpus è luto fictum,dum veluti vas,quo erat animus incluſus, frangitur,in luti ſpeciẽ & formam redigitur; ita animus ab omni corporea cõcretione ſegregatus,& liber,dũ corporis vinculis ſoluitur,ad Deũ,qui eũ cõdidit, & in corpus incluſit,reuertitur.Eſt enim hic rerum curſus,maximè naturæ conueniens,vt orbẽ quæque cõficiat ſuũ,& eò vnde profecta ſit redeat.Nã etſi terrã Deus ex nihilo fecerit,ex ea tamen noſtri generis principis corpus condidit , vt

nihil in eo reperiri possit, quod temperatione aliorum non sit naturæ elementorum,& proportione compactum. Animum verò, nullam ipse materiam arripiens mortalem, infinita virtute procreauit. Quamobrem se ipsum animus mouet, cùm nihil in eo insit, quod sibi dignitate & virtute excellat, neque habeat quicquam admixtum dispar sui, atque dissimile. Corpus verò mouetur ab animo, cui subest, & ad nihilum tandē recidit, quia ex diuersis sit initijs naturæ compositum. Hoc significans Salomon, *Vt reuertatur*, inquit, *puluis in terram suam.* Animus verò, quia simplex sit, & vnus, hoc est, non à naturis diuersis coagmentatus, vt in eas dissolui possit, non occidit, sed ad Deum, à quo fuerat procreatus, redit.

Potuisset hoc in loco Salomon, corporis interitum,& animi asserere immortalitatem, vt auditores ad Dei cultum memoriamque retinendam, in omni negotio excitaret. Sed longiùs progreditur: animum à Deo fuisse conditum, illiúsque ad eum reuersionem commemorat: vt non solùm morte corporibus in terram cadentibus, animos futuros sempiternos asserat, sed eos initium à Deo sumpsisse, & hinc corporis solutos compagibus ad Deum commigrare. Sic enim faciliùs se auditoribus, id, quod antè dixerat, persuasum meritò existimauit, nempe, *Memento creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ.*

Nam si animos, insani homines, à Deo fuisse procreatos putarent,& ab eo fuisse corporibus inclusos, id profectò necessariò crederent, non frustra summum ac sapientissimum conditorem rerum omnium, præstitisse: qua quidem mentis persuasione, tum à Deo, quid sibi in vita fuerit muneris impositum, exquirerent, tum vt id persoluerent, omni studio curarent, & maximas, quas possent, omnium procreatori, gratias haberent. Hoc autem officij munus multò maiori cura exequi,& tueri conarentur, si illis certum esset, hinc se ad Deum abituros.

Quare addit Salomon, *Vnde & spiritus redeat ad Deum.* Nam si animum Deus non frustra, nec sine causa cinxit corpore; non enim Deo dignum est, aliquid frustra efficere, quod abhorret ab hominis constantia: num animus post suum ex hac vita exitum, & ad summum rerum omnium principem, reditum, à quo vitam, & imperium, in corporis sensus acceperat, administratæ prouinciæ rationem non reddet? Cur igitur illa corporis, tam singulari artificio,& animi procreatio? cur in natura, instituendæ vitæ, tot insita præcepta? cur animi immortalitas? cur illius ad Deum reuersio, si nulla futura sit, vel rectè administrati imperij laus, & præmium, vel gesti immoderatè supplicium? Vt igitur trabali, vt inquiunt, clauo, Salomon, in auditorum animis, hoc suum præceptum figeret, *Memento creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ:* Non solùm corpus in nihilum fore interiturum, esseque animum immortalem, sed conditum à Deo fuisse affirmat, ad eúmque, extincto corpore rediturum.

## *Vanitas vanitatum dixit, Ecclesiastes, & omnia vanitas.*

Cùm igitur res humanæ ita sese habeant, vt necessariò, corpus extinctis sensibus in terram cadat, quis ea, quæ sensum mouent non despiciat? Quis studium in illis comparandis collocet? Quis ea, aliquid ad decus, momenti afferre

ti afferre existimet? Si verò quis secum attentiùs consideret, hinc se propediem ad Deum commigraturum, vt actæ vitæ rationem reddat, num is sensus omnes, vt rationi obediant, non comprimendos putet, & eos non oderit, quos deprauat, & inficit, ea, quæ penitus in ipsis implicata insidet, peccati labes? mentem enim ad peccatum illecebris inflectunt, de quibus Paulus præclarè, quid senserit, exponit, cùm eos prudentiam carnis & sapientiam vocat, sic enim ad Romanos scribit, *Nam prudentia carnis, mors est, prudentia autem spiritus, vita, & pax: quoniam sapientia carnis inimica est Deo.* Rom. 8.

Cùm igitur Salomon affirmarit, corpus breui esse interiturum, & nobis esse ad Deum necessariò redeundum, cuius etiam subeundum de acta vita esse iudicium, meritò eandem sententiam repetit, quam in orationis principio, sibi persuadendam proposuerat, vt in animis auditorum, illam infigat, & ea, quæ hactenus dixit, quò sint referenda, videamus.

*Cùmque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit, quæ fecerat, & inuestigans, composuit parabolas multas, quæsiuit verba vtilia, conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.*

Quid sibi in hac oratione Salomon proposuerit, ostendit, & qua in re, Sapientis virtus eluceat: se enim ideo in concionem ascendisse; & hanc orationē habuisse, affirmat, vt cùm maximis fuerit à Deo sapientiæ ornamentis affectus, populum ad omne officij munus, instruat. Illud autem vt exequi & tueri possimus, à sensuum nos cōsuetudine, aciem mentis abducere oportet, ne sensus caliginem animis offundant, quorum illecebræ & impetus, nos, vt ab officio discedamus, impellunt: eos autem vt sub rationis ditionem redigamus, à summa illa mente, vnde quicquid est boni, in omnem rerum naturam permanat, necesse est, nos in omni negotio pendere, ad cuius regulam omnia dirigamus. Vtrunque Salomon suis præstitit: illud cùm omnia pro nihilo ducenda esse persuasit: hoc autem, cùm animos à Deo esse procreatos, ad eúmque reuersuros affirmat.

Quare inquit, *Cùm esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum.* Ad hūc finem, hæc omnia, quæ tam luculenter disseruit, referebat. Nec hoc quidem sibi arrogauit, sed cùm esset sapientissimus persoluit: non enim Deus, vt in tenebris iaceat, hominibus sapientiam tribuit, sed vt cæteris hominibus colluceat. Hoc autem officij esse sapientis munus, Ecclesiasticus affirmat, cùm sapientiam non esse occultandam censet: quod eo argumento probamus, quo Christus præpotens rerum omnium Deus, id suis persuasit, nam *Neque accendunt*, inquit, *lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.* Insipientis enim esset, & insani hominis, singulari cura, lucernam adhibere, eámque, ne lumen effundat, seponere, occultare, & in vas recondere. Hoc autem si in homine esset vitio tribuendum, num Deum hominibus dedisse sapientiam, vt eam opprimant, ne alijs luceat, erit existimandum? ipse enim, qui eos sapientiæ diuinæ munere instruit, *Luceat*, inquit, *lux vestra coram hominibus.* Est

Eccl. 4.
Mat. 5.
Mat. 5.

enim ſapientia lux,luménque vitæ, vt eam,in eo libro, qui ſapientia inſcribitur,diuinus autor appellat.

Sap. 6. Arist. 1. rhet.8. Cic. de inu.

Quo verò maximè argumento, ſuos dicendo fuerit ad ſapientiæ ſtudium hortatus, & quid fuerit eo conſecutus,oſtendit. *Et enarrauit,quæ fecerat.* Cùm ratione omnino res perſuaderi non poteſt, eam exemplum confirmat: ſi verò ea ſit apertior, magis dilucidam reddit. Infima hæc, inania eſſe, & minimi æſtimanda, ij, qui ſenſuum iudicium ſequuntur, haud ſibi perſuadent, ea enim in bonis referunt. Hanc igitur, vt ex animis hominum tam penitus inſitam opinionem, euellat, non ſolùm ratione Salomon conatus eſt perficere, ſed quia id, quàm ſit factu difficile, ſentiebat, exemplum perſpicuum, & illuſtre, ſuis ad imitandum propoſuit. Eorum enim, qui principem in republica locum tenent, & Regum maximè mores, cæteri imitantur, & ſtudium quo Reges flagrant, omni cura & ſolicitudine amplectuntur, vt id magis eos quàm ipſa ratio moueat.

Quamobrem Salomon, vt vidimus, ſæpe in hac oratione, quanto ſtudio hæc, quæ ſenſus cum ſuauitate mouent, & ſunt in pretio, ſibi comparauerit, demonſtrat: deinde ea eſſe pro nihilo habenda, poſtquam ea guſtauerit, & ætatem ferè in illis contriuerit, ſe manifeſtò comperiſſe affirmat: vt nec vſus,nec ætas,nec tempus, ad iudicium rectè de illis faciendum,ei defuerit.Quamobrem cùm ſeipſum, qui tot erat opibus, ad hæc omnia,quæ ſenſus appetunt,conſequẽda præditus,exemplum ſuis ad imitandum propoſuerit, eos meritò in eam opinionem adducebat, vt hæc, quæ ſenſu percipimus, contemnenda eſſe iudicarent. Sic enim Hebræus hanc orationem refert, *Docuit ſcientiam populum, & auſcultare fecit.* Eſt enim *auſcultare*, non audire tantùm,ſed dicenti aſſentiri, vt ex his Pacuuij verſibus percipimus.

*Nam iſtis,qui linguam auium intelligunt,*
*Plúſque ex alieno iecore ſapiunt,quàm ex ſuo,*
*Magis audiendum, quàm auſcultandum cenſeo.*

In hoc verò Regis,& ſapientis officio ſuis præſtando, varium & multiplex ſibi Salomon genus dicendi conſtituit. Et inueſtigans compoſuit

Parabola quid ſit.

parabolas multas. Eſt autem hæc obſcurior oratio, quæ *parabola* dicitur, in qua diſtantes inter ſe res conferuntur, & ita earum ſimilitudo ſententiam aperit, vt celare potiùs videatur: Quamobrem Marcus, vt Deum

Marc.4.

O. M. humana forma indutum, Iudæis multa obſcurè dixiſſe ſignificaret, quæ Apoſtolis explanauerit: *Sine parabola autem*, inquit, *non loquebatur eis, ſeorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia.* Eſt enim hæc præclara philoſophandi ratio, quæ animos eorum ad inueſtigandum excitat, qui ſapientiam adipiſci nituntur, & eos, qui aliquos, in eo ſtudio progreſſus habent, maximis ſapientiæ diuitiis auget. Hoc autem genere orationis quantopere Salomon vſus fuerit, ſacer ille Regum

3.Reg.4.

hiſtoriæ autor, his luculenter verbis demonſtrat, *locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas.* Si verò ſententiis, oratio lumen non afferat, ipſæ, quaſi tenebris circunfuſæ latent: ſint enim præclaræ licèt, non tamen eſſe poterunt illuſtres, ſine luce verborum: quemadmodum

dum enim bene pictas tabulas collocamus in bono lumine, vt quidquid ex arte sit in illis, emineat, ita & sententias cum verborum ornamentis coniungimus, vt illæ eo illustrentur lumine, quo eas auditores cum voluptate percipere, & mandare penitus animis possint.

Quamobrem iis, quæ dixerat, hæc autor adiungit. *Quæsiuit verba vtilia.* Hanc autem Hebræus, & Septuaginta & duo interpretes orationem sic referunt, *Quæsiuit Ecclesiastes inuenire verba voluntatis.* Ea nempè quæ placerent auditoribus, & delectarent, sententiarúmque grauitati; ita congruerent, & eas ita luculenter explicarent, vt cum delectatione, animis auditorum infixæ manerent. Dum enim distinctè, explicatè, & ornatè dicuntur, ad eorum mentes, apud quos agitur, permanant. Non enim fuit vnquam iis, qui rerum diuinarum disciplinam nobis tradiderunt, vitio vertendum, quia de iis eleganter, egerint, neque enim Dauid Rex sanctissimus, eo fuit minùs admirandus, quia sæpe abundantiùs, & illuminatè dixerit, vt in eo genere nemini vel Græco, vel Latino cesserit. Quid de Salomone dicã, quẽ non reprehendisse, in rerum maximarum tractatione eloquentiam, sed eam plurimi fecisse vides? Omitto Isaiam, qui hac laude inter suos excelluit, & Paulum, hominem Hebræum, qui Græcè de religione Christiana ita disseruit, vt in eo dicendi genere, non ei fuerit anteponendus Demosthenes, imò, Paulus multorum fuerit iudicio præferendus: eo enim tempore, quo Atticorum iam dicẽdi gloria interierat, de rebus diuinis, inauditis quidem antea, quas nec humana mens percipere propriis viribus potuisset, ita dixit, & scripsit, vt eos, apud quos, vel dicebat, vel scriptis disserebat, non solùm doceret, sed moueret vehementiùs. Etsi verò ipse ad Corinthios scribat, se non orationis grauitate, & sapientiæ laude, in eorum animos irrepsisse, se tamen affirmat, ita homines docuisse, vt eis, qui ad id erant muneris percipiendum idonei, sapientiam traderet, alios verò quasi pueros infantes, qui lacte nutricis aluntur, ad Sapientiam ita institutis erudiret, vt in eis sapientiam inchoaret, quales eo tempore Corinthij erant, vt ipse ad eos scribens commemorat; quo non sibi sapientiam, eloquentiàmque derogat, sed orationem suã, quod summi est oratoris laus, Corinthiis se accõmodasse affirmat, quos erudiendos susceperat: in eo autem simplex quidam, & naturalis orationis nitor elucebat, quem Tullius Romanæ eloquẽtiæ princeps, in oratore desiderat, fucati enim medicamenta candoris, & ruboris omnia repulit, vt elegantia, quæ veram cælestémque philosophiam decet & munditia remaneret.

Eloquentia in rerũ maximarũ tractatione, laudat.

1. Cor. 2.

1. Cor. 3.

Hoc autem quàm singulari studio, sit in Christiana philosophia amplectendum, Basilij, Gregorij, Chrysostomi, Arnobij, Lactantij, Hilarij, Hieronymi, & Augustini testantur, nam si eos, qui à nostra sunt religione alieni, cum nostris hominibus conferas, qui eadem cum illis ætate vixerunt, multò quidem fuisse nostros superiores inuenies.

Ne verò longior sim, fucatam dicimus à patribus speciem dicendi, meritò reprehendi, quam etiam Rhetores fugiendam esse docent: ea enim calliditatis, & fraudis suspicionem affert, eíque abrogatur ob suspicionem fides. Doctrinæ verò Christianæ adeo profuisse eloquentiam, & nostros ea laude cæteris præstare impij homines existimabant,

Greg. Nan. 1. or. in Iud.

Sozom. 5. & 7. bant, vt sceleratissimus ille Iulianus, qui à nobis defecerat, & Christi memoriam ex hominum animis euellere conabatur, in eo totis viribus pugnarit, vt Christiani, nulla ex parte eam attingerent: etsi illum sua fallebat opinio, non enim ex vllo hominis ingenio, doctrinæ Christianæ veritas pendet, nec inde sibi præsidium comparat. Sed quemadmodum Hebræi, aurum & argentum ab Ægyptiis, cùm illinc essent in Palæstinam discessuri, petierunt, idque postquam accepissent, Deo duce, commigrarunt, mare incredibili via transierunt, & superatis hostibus, sub suam ditionem, Palæstinam redegerunt: ita & Christiani homines, eloquentiam grauem illam quidem, à Rhetoribus edocti, sunt consecuti, qua hominum ad se animos allicerent, aut saltem eorum, à se voluntatem non alienarent: est enim inculta, exilis, & obsoleta oratio, omnibus fastidio. Incidunt verò sæpe tempora, in quibus ipsa peregrina insolentia, & barbaria delectat; vt fuerunt illa, misera quidem & acerba; cùm barbari, in reipublicæ Romanæ perniciem è sedibus suis erumpentes, eam non solùm exciderunt, sed etiam in litteris, si quid erat præclarum adhuc, & elegans, inuecta cum illis barbaria deleuit.

In Iuliano dicendi vis.

Exod. 2.

Salomon igitur, cùm Respublica Hebræorum floreret, traditam à maioribus doctrinam dicendi non erat aspernatus, sed singulari eam studio auxit. Ea verò mirificè instructus, non solùm eo orationis genere, vt diximus, quod *parabolas* appellant, suos ad officium instituit, sed fusè sæpenumerò, & latè dicere consueuit, nec vnquam id nisi sapienter præstitit, & ea, quæ hominibus latebant, in veritatis lucem proferebat: quo in genere est hic, quem explanamus, liber, omnibus dicendi ornatus luminibus.

*Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi: quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno.*

Quàm verò Sapientum orationes sint vtiles reipublicæ, similitudinibus explicat. Quemadmodum bobus ad opus stimulos admouemus, ne id lentiùs quàm oportet, perficiant: ita sapientis oratio, eos qui remissè, & negligenter in officio tuendo, se gerunt, ad illius religionem & curam stimulat. Quod enim decorum honestúmque est, id omnibus natura placet, etsi speciem illius sæpe illecebræ voluptatis, sensúsque obscurent, ita vt, quod non est, videatur honestum, idque omni studio, sensuum offusi tenebris consectemur. Quia verò natura honestum expetimus, scelerum nos etiam conscientia lacerat. Cùm igitur sapiens de officio agit, & quid honestum sit, dicendo aperit, animum scelere contaminatum pungit, vt quàm sit illud, quod amplectendum sibi esse persuaserat, turpe, mente percipiat, & ad honestatem non solùm concitetur, sed discessisse se ab officio aliquando, vehementer doleat.

Quid deinde sapientis oratio ijs conferet, qui ad colendum officium, quod deseruerant, reuertunt, commemorat. *Et quasi claui in altum defixi.* Ne aliquid concidat, id clauo figimus, quo præcipuè supellectilem contineri

tineri volumus: longiores quoque in pariete defixi claui, partem supellectilis seruant. Quamobrem *claui* nomen, variam hoc in loco supellectilem significat. Fuisse autem in more positum, ita supellectilem apud priscos Hebræos seruari, Isaias testatur, etsi eo in loco, voci Hebrææ, interpres Latinus *paxillum* reddidit, quæ *clauum* quoque significat, *& figam*, inquit, *illum, paxillum in loco fideli, & erit in Solium gloriæ domus patris sui, & suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diuersa genera, omne vas paruulum, à vasis craterarum, vsque ad omne vas musicorum.* Cùm igitur Salomon sapientium asserit orationes, esse similes clauis in pariete defixis, eas sapientiæ esse maximis muneribus ornatas significat, & variam inde quasi supellectilem, ad moderationem vitæ depromi. Clauorum hoc loco significatio. Isai. 22. Mos supellectilem asseruandi apud priscos Hebræos.

Cùm verò præclara res sit, sapientia, & prope diuina, sapientes videri omnes desiderant: quo in studio, ita se multi ad sapientum mores fingunt, vt tales vulgo habeantur. Eorum verò etsi à vera sapientia aberret oratio, velis quibusdam insipientiam tegit, & præ se fert sapientiam, cuius simulatæ specie, in hominum animos irrepit, eosque erroribus imbuit. Ne igitur nos simulata sapientia in errorem inducat, quæ sit illa, quam tantis est laudibus prosecutus, sapientum oratio, Salomon demonstrat: *Quæ per magistrorum concilium, data sunt à pastore vno.* Genus hominum Deus ab illius initio pascit, nec corporibus solùm, sed animis etiam largè, & copiosè pastum comparauit, iis enim, quos aliis præesse voluit, ita viuendi præcepta tradidit, vt sibi commissos, ad omne officij munus, homines, instituerent: Adamum, & Noë ad honestatem informauit, & scientiam rerum maximarum dedit: hi autem, ea, quæ didicerant, cùm non apud se compressa haberent, posteris, quæ cuique essent apta, tradiderunt. Moses, cùm multa à Deo accepisset, iis, quos ad imperij societatem sibi asciuerat, ea, quæ necessaria ad reipublicæ moderationem videbantur, explicuit, à quibus alij erudiri possent, quos Septuaginta & duos fuisse scimus, eosque, vt illud munus sustinerent, diuino fuisse spiritu afflatos. Horum esse doctrinam à Iudæis quærendam, Salomon docet, quæ tamen ab vno fuerit pastore, à Deo scilicet, illis tradita: eam verò reiiciendam esse, quæ hominum esset ingenio inuenta, & instituta libidine. Num. 11.

Doctrinam igitur hominis sapientis, eam esse affirmat, quæ primùm à Deo profecta, eos, quos ille cæteris hominibus fecerit vitæ magistros, excoluerit, & per hos ad illum permanarit. Quis ergo eorum hominum temeritatem non reprehendat, qui ex infima plebe quoscunque sibi magistros fieri virtutis patiuntur, & tanto studio se illis affigunt, vt nihil sibi amplius, quærendum esse existiment? Est enim id, in non mediocri scelere ponendum, nam per *magistrorum concilium*, hoc est, per eos, quos Deus populi esse magistros voluit, ea, quæ sunt addiscenda, & veram in se continent sapientiam, ipse summus omnium pastor docuit. Mosi quidem gentem Hebræam, à Petro autem omnes nationes, & gentes instituendas ita commisit, vt Moses, & Petrus cæteris præessent, qui partem, eiusdem officij, & muneris sustinerent, *Pasce*, inquit, *oues meas. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et, tibi dabo claues regni cælorum.* Ioan. 21. Luc. 22. Mat. 16.

Fuerunt igitur veræ præcepta ſapientiæ, quæ Moſes Septuaginta ſenioribus dedit, quibus nefarij homines addere, & detrahere multa non dubitarunt, quod ſummus omnium princeps, apud Iſaiam, illis obiecit. Hæc autem præcepta Iudæis, ad Euangelij doctrinam, lumen præferebāt, quod in Euangelij ſplendore, poſtea amiſerunt: fuit enim Chriſtus totius legis veteris finis, quem ipſa tranſire non poterat, quia ad eum illius ſumma referebatur: diuinitus quidem ipſe legis conditor, & hominum paſtor, hoc apud Iudæos hac oratione diſſerebat, *Eſt, qui accuſat vos Moiſes, in quo vos ſperatis; ſi enim crederetis Moiſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit.* Luculenter autem id Moyſes Hebræis teſtatur, *Prophetam*, inquit, *de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, vt petiſti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata eſt, atque dixiſti, Vltra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum, ampliùs non videbo, ne moriar, & ait Dominus mihi, Bene omnia ſunt locuti, Prophetam ſuſcitabo eis, de medio fratrum ſuorum, ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos omnia quæ præcepero illi; qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.* Petrus autem cùm multa, quæ à Deo acceperat, ſuos docuiſſet, & ij, quibus docendi fuerat munus impoſitum, ſuo fuiſſent præclarè officio functi: quemadmodum Iudæi priſca illa vitæ inſtituta, aut ex parte, mutanda, augenda, corrigendaque eſſe putarunt: ita & nefarij homines doctrinam Chriſtianam, auſi ſunt propria libidine metiri.

Isai. 29. Ioan. 5. Deut. 18.

Quamobrem Salomon, veræ ſapientiæ, ne ab ea longiùs poſſemus aberrare, notam ſapienter appoſuit, vt ſi quæramus, quæ nam ſit à Deo conſtituta viuendi diſciplina: illud ſit certa iudicandi regula, eam fuiſſe à Deo traditam, quam is, qui primus fuit edoctus à Deo, tradidit, & ab illius diſciplinæ alumnis, eos, qui ab eis propiùs aberant, accepiſſe conſtet. Tantum verò ad probandum, apud gentes omnes, autoritate valuit antiquitas, vt ea nullum exiſtimarint eſſe firmius argumentum. Ne verò ea ſolùm amplecteremur, quæ illi ſcriptis mandarunt, nullam Salomon ſcriptorum fecit mentionem, ſed ea, quæ per *magiſtrorum concilium*, à paſtore vno ſunt data, veram in ſe continere ſapientiam affirmat. Quis enim dubitet, multa Iudæos à Moyſe, & à ſenioribus illis accepiſſe, quæ ipſi putarunt non eſſe ſcribenda? Non enim ſunt omnia omnibus tradenda, quemadmodum nec omnibus, ſed eis, qui ſacris erant initiati, templum, vltra velum, ingredi licebat, nec his quidem, ſed Sacerdoti ſummo, ad Sancta Sanctorum aditus patebat: ſic etiam ratio inſtituendæ religionis, & reipublicæ moderandæ poſtulabat, vt quibuſdam ita myſteria doctores enuntiarent, vt ea omnibus minimè aperirent: quemadmodum & Paulus noſter, ſapientibus ea, ſe enunciaſſe, quæ cæteris referre ſe noluiſſe teſtatur: multa quoque, quæ eſſent omnibus addiſcenda, tum ſcripſiſſe Theſſalonicenſibus, tum etiam oratione docuiſſe: quæ vt ſingulari ſtudio teneant, eos hortatur, & monet.

1. Cor. 2. 2. Theſ. 2.

Sapienter igitur Salomon, ne aliquis, de iis, quæ à maioribus accepimus, aliquid immutandi, ius ſibi arrogaret, ad magiſtrorum cœtum omnia reuocauit, vt quidquid illi ſanxiſſent, id à Deo fuiſſe conſtitutum minimè dubita

dubitaremus, ac proinde eo sapientiam contineri, & nobis esse amplectendum arbitraremur: nec non & concilio seniorum, quod primùm Hierosolymis, in republica Christiana, Petrus conuocauit, & illius successores habere, cùm res ita postulat, consuescunt, quanta sit autoritas tribuenda, significat, cùm ad illud, quasi ad regulam, quæ delapsa de cœlo est, ad cognitionem veræ sapientiæ, omnia iudicia rerum esse dirigenda, præcipit.

Conciliorum authoritas.

*His amplius fili ne, requiras: faciendi plures libros, nullus est finis, frequensque meditatio, carnis afflictio.*

Summam esse docuit concilij magistrorum autoritatem: nunc eam, vt sequamur, admonet, & ne vltra id, quod fuerit ab illis sancitum, traditúmve quæramus. Quod si homines insani fecissent, nec sibi ipsis exitum parassent, nec Rempublicam Christianam tempestate & fluctibus iactassent. Vt autem omnia, quæ hac oratione disseruit: infixa auditorum animis hærerent, eos *filij* nomine compellat, quo suum in eos amorem indicat: esse enim debet tum Regis, tum doctoris, in eos, quos moderantur, patrius animus: vterque enim illos quodammodo, dum in eis virtutis studium excitat, generat, alit, & nutrit.

Hæc omnia Salomon etsi planè, & explicatè dixerit, pluribus à se verbis explicari posse testatur: sic enim multa, & præclara, hac in oratione tractat, vt plures de iis libri scribi potuissent: rerum enim humanarum cursum, & eam, quæ in eis inest, vanitatem, miseram vitæ humanæ conditionem, regum & principum officium, prouidentiam Dei, mortem omnibus subeundam, animi immortalitatem, futurum de omnibus Dei iudicium, & sapientiam, quis dubitet, tum, cùm sapientissimus esset, tam multis si vellet, libris persequi potuisse, vt vix illi in tanta possent vitæ humanæ breuitate legi? In singulis quoque aliis rebus, eiusmodi materies est, eamque tempora ipsa præbent ad scribendum, vt in eo possis vitam consumere. Cùm verò in prope infinita scribendi materia Salomon versaretur, longior in hac oratione esse noluit, quòd longior sæpe oratio, ingenia obtundit, & fastidium parit: accedit etiam quòd librorum quidem lectione delectamur, si nec plures sint, nec longiores: sin verò eorum magnitudo, & numerus crescet, animos à se alienat: ipsaque commentatio, scriptores, & meditatio legentes defatigat.

Lectio breuis delectat

*Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo.*

Hortatur, vt qua ratione orationem concludat, diligenter attendant, & quid tanto fuerit ipse studio conatus persuadere, paucis id verbis percipiant, eo enim exitus orationis, eiusdem præstat initio. *Deum time.* Philosophiam, quæ de moribus, & virtute agit, hæc vna breuis sententia

complectitur. Si animum sensus ad voluptatem mouent, si insitæ in natura libidines, effusæ moribus, & consuetudine, ad peccandum compellunt, hoc præsidio, mentis poterimus statum tueri: Dei enim timore, sensus ad rationis imperium flectemus, & domitas habebimus libidines. Nam siue illum, quia sit rerum omnium præpotens, timeas, & ideo ne in offensionem eius incurras, cauendum esse tibi, omni studio, & solicitudine, putes: siue quia te è nihilo finxit, & tot tantisque beneficiis ornauit, in illius offensionem cadere, omni peius esse morte existimes: peccatum quidem detestabere. Illa prior animi affectio, facit, vt malum, quod iis impendet, qui Deum offendunt, horreamus, quæ cùm primùm nos à scelere cohibet, viã nobis munit, qua, si Deus clementia sua opem tulerit, ad posteriorem, atque optimam possimus animi affectionem peruenire, vt ingrati animi scelus, & esse in offensa apud optimum parentem, plusquam quodlibet malum grauissimum formidemus. Sic enim prior illa animum abiicit, & ad seruitutis, quæ in dominatu est, conditionem accedit, vt ad illam posteriorem commouẽdam plurimùm valeat. Non enim qui iudicium Dei perhorrescit, & supplicium sceleratis ab eo constitutum reformidat, illius odiũ habet, à quo maxima accepit beneficia: nec, quia quem quisque odit, periisse expetit, extinctum eum cupit, qui sibi non solùm vitæ dedit vsuram, sed ea frui benignè permittit, & qui optimus est, odio esse alicui non potest: sed qui Dei iudicium subire metuit, & quem supplicij, quod sceleratis extat, magnitudo exterret, eum sic metus afficit, vt supplicij sibi necessariò subeundi species, & cogitatio illum perturbet, & ante oculos proponat, quàm sibi fuerit perniciosum, tot se peccatorum crimina suscepisse; quare odium in peccatum, à quo sibi perniciem paratam videt, si mentem non amisit omnino, concipit. *Timor Domini*, in Prouerbiis inquit Salomon, *odit malum*. Hinc animus vltra progrediens, ad virtutis decus intuendum mentis oculos conuertit, & ad optimum parentem, toto se animo confert, vereturque sibi, ne aliquid asciscat, aut comprobet, quo illum aliqua à se offensiuncula alienet.

Prou. 8.

Ex eo igitur, qui seruituti accedit, ille alius, qui filiorum est, metus proficiscitur, quo illi offendere patris animum verentur: summis hunc metum laudibus Salomon alio in libro prædicat, & à sapientia minimè separari affirmat: ille verò alius, etsi veram minimè comitetur sapientiam, haud est quidem vituperandus, quia nemini est illud vitio vertendum, quod rectæ sit consentaneum rationi, quæ malum impendens, vt quisque sibi caueat, timere præcipit: pœnæ etiam timore affectis, scelus est odio, quia ex eo sibi malum oriri perspiciunt: & ex eo gradum facientes, in eo sunt metu, quo parentes, filij reuerentur & colunt.

Prou. 1. & 2.

Alter verò horum differt ab altero, quia ille pœnam peccati, hinc debitam parenti obseruantiam, & pietatem respicit. Prior animum frangit, & debilitat expectatione supplicij, vt in scelere homo, vltra progredi timeat, & sanctissimi iudicis misericordiæ supplex, ab eo erratorum veniam petat: hic autem sic animum coërcet, vt solùm timeat, ne inita semel cum Deo sibi gratia immutetur, aut extinguatur.

In has autem species Malachias, timorem partitur, & diuidit, sic enim ille

ille Deum cum Iudæis expostulantem inducit., *Filius honorat patrem, & seruus Dominum suum; si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? etsi dominus ego sum, vbi est timor meus?* Vtrumque à Iudæis timorem requirit, vt si optimum parentem, quemadmodum officij ratio postulabat, eum non obseruabant, saltem vt Dominum timerent, qui eos teneret imperio, & in nihilum si vellet redigeret: non enim eos, quia timerent, sed quia id minimè præstarent reprehendit. Mal. 1.

Eum verò reprehendimus timorem, quo quisque affectus, arbitrio caret suo, quia ad alterius imperantis nutum se fingit, & eò trahitur, quò cùm rapit libido, vt quod opinatur esse malum, effugiat: aut cùm ex animo enoluis, quæ improbi, postquàm è vita discesserint, supplicia perferent, sine vlla futuræ conditionis expectatione melioris, propter conscientiam scelerum, sibi salutem desperat. Timorem, quo Deum, de improbis supplicia sumentem, & in nobis dominantem timemus, & illum, quo vt parentem veremur, non æquè quidem virtutis studium consequitur.

*Time*, inquit Salomon, *Deum, & mandata eius obserua.* Ad id timor vterque deducit, cum ne criminum sempiternis astringamur suppliciis, timor ille seruorum, nos à scelere terret, & ille alius perficit, vt de nobis optimè meritum parentem non offendamus. Non autem satis officio nostro factũ fuerit, si Deum timendum colendũmque esse firmissimè teneamus, aut si illius subire iudicium, vt ea, quibus nocentes afficit, supplicia, formidemus: hic enim timor à scelere auocat; Quod verò ratione actum est erga Deum, & hominum societatem, id officium appellamus: cùm ergo tibi malum times, Deo officium debitum minimè persoluis, & illud à te tandiu deest, quandiu timorem illum, nulla virtutis actio consequitur.

Nobis est igitur opus, vt officium tueamur, præclaras virtutum actiones suscipere: id autem timor, quem seruitutis appellamus, haud præstare poterit, etsi, vt diximus, ad id viam præclarè muniat: ille autem, quem filiorum nuncupamus, custos est, & altrix virtutum: facit enim, vt Dei volũtatem nutúmque obseruemus, ne in vita moderanda, aliud quidquam intueamur. Ne verò à proposito animus aberret, lex diuina ei lumen præfert, vt quid fugiendum, & quid amplectendum sit, videat. Quemadmodum enim cuncta Sol luce sua lustrat, ita lex à Deo sancita, omnium hominum mentes, qui ab ea, oculos non auertunt, illustrat & ab ea collucent: quod eleganter Dauid, vt nihil vltra desideres, versibus describit. *Dei ergo legi est nobis parendum, tum vt supplicij sempiterni metus, non ægritudinem animi, sed nobis salutem afferat, tum nos ne sensus fallant.* Psal. 18.

Quantum verò sit nobis studij, hac in re ponendum, & quàm ipsa cæteris rebus, quæ oculis cernuntur, excellat, ex eo Salomon probat, quia summa humanæ naturæ dignitas ea continetur. *Et hoc est*, inquit, *omnis homo.* Nam etsi mente, & ratione, aliis animantibus, homo antecellat, quia in mente, & ratione, Dei similitudo appareat: dum mens tamen & ratio in tenebris iacent, & corporis cupiditatibus seruiunt, ea, quæ homini est cum Deo similitudo, eos minimè coniungit: cùm verò ad legis diuinæ normam diriguntur, similitudo illa, Deum, & hominem, sempi-

ternis amoris vinculis astringit. Animus enim dum ad Deũ accedit,& eũ
1. Ioan. 1. vt fas est in corpore intuetur, illius radiis, quodammodo incensus lucet.
*Deus* autem *lux est*,inquit Ioannes,*& si in luce ambulamus sicut & ipse est in luce societatẽ habemus ad inuicẽ, & sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.* Eo enim in statu, animus etsi in corpore sit inclusus ab eius tamen consuetudine abhorrens,purus, & integer, esse, incipit, hoc est, minimè est ei, cum corpore contagio, dignitatémque suam mirificè tuetur: quò enim se magis à sensibus auocat, tantò magis illius lumen dignitatis elucet. Incensum enim legis diuinæ seruandæ studium, & vita præceptis illius instituta, animum à corporis admistione, quodammodo liberat, vt sui ipse compos, quàm sit excellens appareat.

Hoc autem Salomon non solùm hac oratione significat, sed quidquid etiam boni sit homini expetendum, nullo alio nos posse, nisi legis diuinæ studio consequi. Si enim seclusis malis omnibus, vitam bonis refertam cõcupiscimus, nemini dubium est, quin si legem seruemus, ipse nobis legislator Deus, eam daturus sit, quæ semper maneat, & nobis eripi numquam possit.

*Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, pro omni errato, siue bonum, siue malum illud sit.*

Cùm multiplex in hominis vita error versetur, ille non mediocriter eã perturbat, quo nos, ea, quæ ab arbitris liberi commisimus, omnibus latere arbitramur: & aliorum facta, & cogitata, quæ nescimus, scire nos existimamus, eò quòd omnium coniecturam, de nostro ipsi studio capimus, qua nonnihil aberramus: qui enim sanctitatem prę se fert, & animus est intus sceleribus coopertus, alios quidem fallit, & ipse cùm de aliorum vita, & moribus ex se ipso iudicet, errore labitur. Est igitur hominũ vita plena erroribus, quia sunt omnia crassis occultata, & circumfusa tenebris, quas Deus suo tempore dispellet, vt nullus in iudicando sit error. *Nolite*, inquit
1. Cor. 4. Paulus, *ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

*Pro omni errato.* Quia quidquid est penitus abditum, & in ipso animo inclusum, quod inuestigando, nullo possis studio consequi, & de eo si iudices, longè à veritate aberrabis, id sanctissimus iudex aperiet, & indicabit. Sic etiam iudicium de bonis & malis exercebit *pro omni errato*, vt illud commune erratum in iudicando non sit, quod erat antea in iis iudiciis, quæ vnoquoque, de quolibet fiebant: de iis enim, quę benè aut malè gessimus, & latebant in occulto, ipse præpotens rerum omnium Deus, iudicium cõstituet. Quia igitur in iudicando, quæ abdita, & retrusa sunt, errare nos cogit ingenij nostri tenuitas, sapienter quidem noster Latinus, quod ex Hebræo posset *occultum* vertere, *erratum* reddidit. Ea præterea est peccati turpitudo, & tantùm in nobis, illius odium est à natura insitum, vt nemo, si in manifesto peccato teneatur, non erubescat, nemo illud se patrasse non neget, ne

get, nemo abdat, & velis quibusdam non obtendat, imò & inuolucris simulationem ita tegat, vt in ipso scelere, virtutis specie, aliorum conetur animos ad se allicere: qui igitur peccat, illud suum non rectè factum occulit, latebras & tenebras quærit, quibus illud circunfundat, ne ab aliis possit animaduerti. Quamobrem meritò, id quod occultum est, hoc in loco Latinus, *erratum*, siue *peccatum* appellat, quemadmodum & Septuaginta & duo interpretes, cùm Psalmos Dauidis Græcè verteruut, nomen Hebræum, quo Salomon hoc in loco vtitur, explicarunt, sic enim illi, eruditè quidem, & eleganter, *Et cum iniqua gerentibus non introibo.* Quod Hebræus dixerat, *cum occultis non introibo.* Nam vt apud Ioãnem, ille, vndè omnis vera sapientia est à nobis delibata inquit, *Omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius, qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Huic igitur nomini, scilicet occulto, subiecta notio est, latens, & inuolutum, atque peccatum. Peccamus autem coniectura, opinione, & iudicio, & dum virtutem simulamus. Psal. 25. Ioan. 3.

Quæ autem rectè an secus, occultè, sine teste, sine vllo conscio, in vita gessimus, quæ homines ducti errore, bona vel mala esse opinabantur, ea Deus adducet in iudicium, in quo tum aperta erunt omnia, & perspicua, tum de nobis ipse ex anteacta vita sine vllo errato iudicabit, & fructum, quem meruimus, retribuet. Lex autem ea, quæ facienda sunt, iubet; quæ verò fugienda, vetat; huic vt pareamus, Salomon hortatur, quia illius quibusdam quasi ponderibus, erunt, quæ egimus, in hoc Dei iudicio examinanda.

Ad illius ergo normam sunt ea, quæ molimur dirigenda,, vt ex iis, quæ suo complexu cœlum coërcet, in quibus vanitas inest, aliquem possimus fructum percipere, & beatam vitam, Dei benignitate, adipisci.

*Nos, & scripta hæc Romanæ Ecclesiæ, quæ sola est, & vera Christi Ecclesia, censuræ, & correctioni subiicimus.*

HIERONYMVS OSORIVS.



# HIERONYMI OSORII IVNIORIS, OSORII EPISCOPI EX FRATRE NEPOTIS LVSITANI

# CANONICI EBORENSIS IN PARAPHRASIM SVAM IN CANTICVM CANTICORVM

## *PROOEMIVM.*



IRI sancti, qui, Diuino spiritu afflati, Christi, Optimi & Maximi, laudes celebrarunt, vt rerum statui, in quo versabantur, opportunum esse videbant, ita futura enuntiabant. Temporum enim diuersa conditio, diuersam dicendi rationem ab illis flagitabat; inter quos Salomon cùm non vltimum locum tenuisset, sed sapientissimus Diuino testimonio fuisset iudicatus, eandem temporum rationem secutus, in eo libello, quē Canticum Canticorum inscripsit, Ecclesiæ Christi



# HIERONYMI OSORII IVNIORIS, OSORII EPISCOPI EX FRATRE NEPOTIS LVSITANI CANONICI EBORENSIS IN PARAPHRASIM SVAM IN CANTICVM CANTICORVM

## *PROOEMIVM.*



IRI ſancti, qui, Diuino ſpiritu afflati, Chriſti, Optimi & Maximi, laudes celebrarunt, vt rerum ſtatui, in quo verſabantur, opportunum eſſe videbant, ita futura enuntiabant. Temporum enim diuerſa conditio, diuerſam dicendi rationem ab illis flagitabat; inter quos Salomon cùm non vltimum locum tenuiſſet, ſed ſapientiſsimus Diuino teſtimonio fuiſſet iudicatus, eandem temporum rationem ſecutus, in eo libello, quē Canticum Canticorum inſcripſit, Eccleſiæ Chriſti

laudes oratione eſt perſecutus. In Dialogo autem ſcripſit, ne obſcuritas animos alienos redderet, & ſuauitas ad legendum inuitaret. de futuris enim rebus tractatio eſt difficultatibus obſtructa, & obſcuritatibus plurimis inuoluta. Dialogus autẽ rem ita ante oculos proponit, vt animos voluptate deleniat, qua obſcuritatis, atque difficultatis, moleſtiã non mediocriter ſubleuet. Amoris autem quanta ſit vis, quotidianæ vitæ exempla declarant, Philoſophi luculenter diſſerunt, poëtæ eleganter tradunt, & Ioannes, vir verè Theologus, atque Diuinus, teſtatur, cùm de Chriſto inquit, *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* nec enim impẽdens mortis acerbiſsimæ caſus animo cõceptus, amoris vim aliqua ex parte fregit, ſed effecit, vt vires amor promeret, quibus inſitàm in natura humana imbecillitatem ſuperaret. Fuit autẽ Chriſti in ſuos amor ſummus, quem nulla vmquam dicendi facultas explicare poterit: neque quidem ſuorum ſtudium erat mediocre, quo illi in amore reſpõdebant. Hunc mutuũ Chriſti, & Eccleſiæ, amorem Salomon explicare volens, fœminæ, & viri, mutuò ſe amantium, affectiones elegantiſsimè deſcripſit. Vtriuſque verò perſonam mirum eſt quàm dicendo expreſſerit. Fœminæ enim amãti deſiderij flamma congruit, qua viri cupiditate flagrat; impetus ille, quem timor, & pudor retardat, vt virum ſequatur; lacrymæ, ſuſpiria, &

voces

voces doloris indices, qui illam ob viri absentiam excruciat;& querimoniæ,quibus iniuriam, ob amorem, sibi à fratribus illatam, perquam flebiliter lamentatur. Virum autem decet eam oratione excitare,laudibus demulcere, muneribus afficere,& timore iacentē erigere ,quæ quā ornatè Salomon effinxerit,is,qui attentiùs hunc libellum euoluerit, exploratè cognoscet. Nobis autē venit in mentē illum eo orationis genere, quod Paraphrasim vocāt,explicare.tū quia in eo antecedentiū cum consequētibus cōnexio maximè apparet, tū etiā, quia breuitas magnopere laudatur,cui valde studemus : ne tamen propterea obscuriores simus,orationē aliquando dilatamus. Eam verò explicando sententiā sequimur,quę sub fœminæ amantis persona Ecclesiæ animū erga Christū explicari asserit : etsi enim vnicuiq; piorū, qui ardenti fidei studio vigent, multa,quę in hoc opere dicūtur,conueniant, nō tamen omnia rectè in vnum aliquem cadunt. Ipsa verò spōsa Virgines Hierosolymitanas alloquitur,quarū nomine Iudæos ob agnationem, deinde gētes,quia Hierosolymæ cælestis ius tenent, significari putamus. Deinde,cùm illa,viri sui desiderio,de loco in locum transiret, & se in conspectu omnibus daret,in suæ pulchritudinis admirationē homines rapiebat, quos Salomon illius laudes celebrātes inducit,vt illius pulchritudinis splendorem ,& summum pudicitiæ decus,ostenderet.

Illud autem in toto hoc opere est animaduertendum, multa à Salomone è communi pastorum vita sumi, quia ea in hoc Dialogo fœmina, & vir inter se de amore mutuo agunt, quos illud vitæ genus sectari Salomon finxit, quo nihil poterat vtrique magis conueniens excogitari. Ille enim Diuino pastu animos nutrit, & illa simul pascitur, & alios ad pascua adducit. Multa quoque adducuntur, quæ à pastorum moribus, & vita, vidētur esse lōgè separata, atque distātia. quod quidē Poëtæ etiam Græci, & Latini, fecerunt. pastores enim, & rusticani homines, si quid amplum, & magnificum, vident, aut fama percipiunt, id animo infigunt: & in omni sermone illius mentionem faciunt. Quædam verò, quæ nō ita commodè in Paraphrasi explicari poterant, nisi orationis cursus interrumperetur, in Commentariolo notauimus, quod huic operi adiunximus. Hæc admonuisse sufficiat. Iam nūc fœminam amore captam, desiderio flagrantem, promissis excitatam, vt Ecclesia illo tempore erat, loquētem audiamus; &, quantopere fuerit illius amor, accepto beneficio, & viri animo perspecto, confirmatus, postea verò adiūcta cōsuetudine, quàm vehementer vterque ad omnē beneuolentiam exarserit, contemplemur.

HIERO



# HIERONYMI OSORII IVNIORIS, OSORII EPISCOPI EX FRATRE NEPOTIS LVSITANI CANONICI EBORENSIS IN CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS PARAPHRASIS.

## ARGVMENTVM IN CAP. I.

*Fœmina, virum vnicè amans, illius ad se aduentum desiderat: cuius sibi fore suauissimam consuetudinem affirmat: adeo vt si adueniat, quocunque velit, contento se cursu, eum polliceatur esse prosecuturam. Venit ille tandem, cum quo iucundissimè oblectatur. De se ad fœminas, quæ sibi æmulabantur, orationem habet, & cur ille ex omnibus se vxorem delegerit, similitudinibus explicat. Quàm verò ipsa sit in amore constans, iniuriæ, quibus, ob id, affecta fuerit, testantur, quas memorat. Amatoris deinde discessus, eam acerbissimè afflixit, & latiùs, quàm pudor postulabat, vt eum quæreret, vagari, summus amor impellebat. Cui ille præstò est, & mirificè eam ex dolore recreat, laudibus effert, & promissis excitat: alia enim ex auro affabrè facta, se illi ornamenta daturum pollicetur. Eum illa singulari studio excipit, &, vt moris erat, suauissimo nardi vnguento perfricat, quo oblitus accubuit. Vterque ac si de amoris magnitudine certet, se mutuò laudat.*

## CAPVT PRIMVM.

*Osculetur me osculo oris sui.* VERS. I.



AB ineunte ætate me summus amor tibi coniunxit, & tu mihi præclarè semper in amore respondisti. iam diu verò es pollicitus fore, vt nostrum susceptum à pueritia amorem augeres, &, omissis internuntiis, ad me venires. huius beneficij desiderio flagro, & ea, quæ nunc vsque in me contulisti, non tanti facio, vt aliqua ex parte illud lenire possint. tu quidem aduentum tuum differs, &

ego desiderio excrucior. vt ori meo promissum osculum tandem infigas, & adspectu tuo iacentem animum erigas, precor.

II. *Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.*

Nullum est conuiuium optimo vino opiparè comparatum, quod cum amoris tui incendio conferri possit: quia, si amicorum conuiuium, ob vitæ coniunctionem, delectat; quas voluptates afferet artissima tecum familiaritas, & consuetudo? Mammæ tuæ (liceat mihi ita loqui, &, quod fœminis, ad amorem conciliandum, & ad fœtum alendum, singulari consilio, natura tribuit, ad te quodammodo transferre) omnium deliciarum illecebras superant. Sic enim hæc omnia, quæ oculis cernimus, ex nihilo condidisti, vt ea alas, & sustentes, singularíque studio administres: vnde hominum animos, qui ad similitudinem tibi propius accedunt, incredibili consuetudinis tuæ suauitate perfundis.

Mãmæ fœminis ad amorem cõciliandum, & ad fœtũ alendum, à natura datæ.

III. *Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te.*

Quare nomen tuum apud virgines, quæ pulchritudine excellunt, vt odor quidam optimus, omnium commemoratione peruagatur; & illæ mirum est, quanto te amore diligant; si ad me veneris, quocumque velis, te prosequemur. Nomen tuum vnguento singulari suauitate condito simile exsistit, quod cùm diffunditur, suauissimum ex se odorem efflat. Si enim vim illam considerem, quam rebus omnibus ad se ipsas conseruandas impertis, non mediocrem video amoris tui flammam illorum hominum animis implicari, qui, vt virgines, nulla turpitudinis labe adspersi, decorem, & honestatem, ipsi vitæ præponunt. Omnes enim naturæ à te procreatæ, & benignè enutritæ, ad prædicationẽ de summis tuis laudibus, & ad tui amorem, valde vehementer excitant: mihi verò non solùm hic mundi ornatus, sed lex ipsa scripta te multis modis describit.

IV. *Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

Quamobrem tui desiderio excrucior, & obnixè postulo, vt legis inuolucra, per quæ te perspicio, reijcias, & tuo adspectu frui mihi liceat. In tellurem iam tandem descende, vt non amplius his rebus studeam, quæ, & si aliquid lucis, plurimum tamen caliginis secum afferunt. tu ipse me præceptis erudi, exemplo instrue; oratione incita, atque trahe. quod si feceris, illud consequar, vt, quæ nunc intra Palæstinam contineor, nullis omnino terminis circumscribar: gentes quoque in vnam mecum Religionis rationem conuenient, & te vestigiis consequemur.

V. *Introduxit me Rex in cellaria sua.*

Hoc

Hoc vnum ab eo vehementer optabam: ille mihi benignè satis, tempore à se definito, in precibus occurrit. nam ipse me in cellam suam introduxit. cùm olim, legis scriptæ fœdere, ille me in sponsam duxit, fumabat mons Sinai, fulgura micabant, tonitrua sonabant, terra dehiscere videbatur. ne verò in mortis periculum inciderem, timore perculsa, longiùs recedebam, & oculos ab illius adspectu auertebam: nec quidem poteram Mosis faciem splendore coruscantem intueri: nunc illius conspectum minimè perhorresco; & summus amor me cum illo artissimè deuinxit. ipse enim humanam sibi formam induit, vt me in cella sua Regiis opibus cumularet, & nihil haberet à me seiunctum. huius noui matrimonij desiderio ardebam. hinc suspiria, hinc meæ de illo querimoniæ oriebantur.

*Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.* VI.

Iam nunc illæ conticescant. Incredibili enim lætitia circumfluo, quæ à te ô summe Domine, proficiscitur: præ gaudio quidem exultabo, & beneficiorum tuorum, & summæ erga me tuæ beneuolentiæ memoriam perpetua meditatione colam. est enim tui memoria mihi gratissima, & amores tui sunt omni alia voluptate iucundiores.

*Recti diligunt te.* VII.

Quamobrem minimè mirandum erit, si hi, qui lucem tenebris anteponunt, qui veras & solidas voluptates inanibus præferunt, qui excellens honestatis decus turpitudini sceleris præponunt, tui amore flagrent. Hoc sanctissimi matrimonij fœdus, hæc præclara, & prope Diuina, vitæ meæ conditio, soli Hebræorum genti Diuinis fuit oraculis promissa: verùm, cùm gens hæc sensu omnia metiatur, & opes breui interituras suspiciat, illam spernit, & me ex paucis hominibus conflatam, non solùm intolerabili fastidio despicit, sed immani etiam odio persequitur.

*Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem.* VIII.

Vos igitur, qui terrestrem Hierosolymam incolitis, alloquor. Si ex opibus temporis iniuriæ obnoxiis de me est iudicandum; ingenuè fateor, me illis omnino carere, ac propterea illorum iudicio, qui tellure repunt, me dedecore notari. sed, quàm imprudenter hoc de me iudicium faciatis, paucis attendite.

Opes temporis iniuriæ obnoxiæ.

*Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* IX.

Arabum tabernacula aliquando vidistis Solis ardoribus exusta. Num illa contempsistis? Minimè profectò, quia vobis erat exploratum, non mediocres opes in illis inclusas contineri. Regis Salomonis ad pluuiæ iniuriam propulsandam tabernacula, pellibus intenta, oculis vestris vsurpastis; nulla

nulla fuit in pellibus pulchrior alicuius rei forma, & species, quæ omnium oculos ad se alliceret; iis tamen, qui ea, quæ intus erant singulari cum artificio effi cta, considerabant, maximam sui admirationem excitabant; quid ergo vobis venit in mentem, vt ex iis ærumnis, quas sustineo, de bonis sempiternis, quibus circumfluo, iudicetis? Instar illorum tabernaculorum, Solis ardoribus vror, ærumnis afflictor, insidiis exagitor, Diuinis tamen muneribus redundo, quæ cum animis vestris, vt debueratis, si attentiùs consideraretis, non adeo in scelere obstinati me tam acerbè affligeretis.

X. *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol.*

Non est enim rationi consentaneum, vt, qui estis Diuinis institutis eruditi, & Diuinorum hominum prædictionibus ad æternitatem excitati, ex rebus interituris cogitationes vestras suspensas habeatis. non debet apud vos pluris esse inanis gloriæ dignitas; diuitiarum, quas dies euertit, copia; quàm Diuinæ dignitatis splendor, & opes Dei præsidio stabilitæ; quibus hi, qui eadem sunt mecum religione initiati, circumfluunt. Quamobrem, si fusca sum, quia Solis ardor me vehementiùs exussit; si vexor; si opprimor; num propterea animi mei integritas, corporis castimonia, modestia singularis, & incredibilis in laboribus perferendis constantia, quæ virtutes in nullo hominum genere vmquam splenduerunt, pro nihilo habendæ sunt?

XI. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.*

Nec mirum profectò videri debet, me in tantis malis versari: si quidē fratres mei, hi nempe, qui ab iisdem sanctissimis parentibus originem ducunt, ad quos ego nō solùm genus reuoco, sed eorum erga Deum pietatem, & fidem, summo studio colo; in meam perniciem tanto odio feruntur, vt nullum sit tam immane scelus, quod non suscipiant, vt mihi interitum afferant.

XII. *Posuerunt me custodem vineis: vineam meam non custodiui.*

Gens Hebræa, vinea Domini.

Vinea fuit Domini Sabahot, gens Hebræa. hāc ego curare debuissem, hæc mihi iure hereditario obueniebat: sed gentis efferata libidine effectum est, vt ab illius curatione expellar, & operam meam externis hominibus nauare cogar: gentis meæ vicem doleo, & illius in scelere animus obstinatus me acerbissimo doloris sensu exulcerat. At illa calumnias, officij loco, mihi conflat; virgis corpus meum dilacerat, tormentis excruciat, & necem crudelissimam infert.

XIII. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.*

Hanc

Hanc animi mei sollicitudinem, hos,in quibus versor,labores,quis mihi alleuabit, nisi is, qui me arctissimo amoris vinculo sibi deuinxit? cuius neque bonitas exhauriri, neque potentia frangi, nec fides deficere, vmquam potest, eum intueor,cum appello,imploro,& obtestor. Si amori est aliquid tribuendum, & officij ratio valet, quanto te amore diligam, exploratè cognoscis;& tu hominum es pastor,eorum curam geris,eis prospicis,alis,atque sustentas. Quod igitur muneris tui ratio postulat, hoc amor à te consequatur,vt mihi significes,quo in loco greges tuos pascas, cùm æstus maximè viget, nihil enim me retardare poterit, quin eò,incitato cursu,me conferam, vt ab his malis me abducam,& tuo adspectu fruar. Tu quidem,in omnium naturas infinita virtute permanas, & illis præsentia tua vim affers salutarem: in meis tamen malis videris, ac si abesses, conniuere. hunc secessum tuum misero eiulatu lamentor.

*Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* XIV.

Ne quæso, patiaris, vt quasi fœmina impudica, vager. nam, dum ab his, qui hominum pastores haberi volunt, quibus tu in alios imperium tribuisti, exilio mulctor, verberibus laceror, & afflictor,de me parum consentaneam pudicitiæ meæ opinionem illis excito. etenim nullum fuisse inter nos ictum matrimonij fœdus existimant,sed me libidine duci,& superstitionibus addictam,nouis religionibus studere.

---

At optimus ille Princeps, semper erga suos beneuolentissimi fungitur officio. præsto enim illis adest, quos laboribus vexari aliquando permittit, vt amplioribus eos beneficiis muneret; Ecclesiam ita verbis delinit,vt ad labores, & pericula obeunda hortetur;& illius laudes luculenter prædicat. Sic igitur inquit:

Laboribus vexari suos Deus permittit aliquando, vt amplioribus beneficiis muneret.

*Si ignoras te,ô pulcherrima inter mulieres.* XV.

Quò ego secesserim,& quo consilio te, quæ inter omnes hominum cœtus, ac nationes, longè præstas, molestiis distineri patiar, exploratè cognosces.

*Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.* XVI.

Si suscepti in Religione cursus vestigia non inflectas. nihil igitur de studio remittas,sed maiora tibi animo pollicere,& ab his quibus circumscripta teneris, finibus egredere. nulla sit gens,nulla natio,ad quam non penetres: hœdos tuos prope tabernacula pastorum, de quorum immanitate mecum

Suscepti in Religione cursus vestigia non inflectenda.

querebare, pasce, vt gloriosissimè de illorum impietate triumphes: in hunc finem gressus tuos dirige: nec illorum opes,& vires, pertimescas.

XVII. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.*

Etenim priscis temporibus Pharaonis exercitum, militum numero, & opibus, maximum, facili negocio deleui: cuius spoliis onusti pij Hebræi, in Ægyptiorum curribus,& equis, insidebant. huic piorum equitatui, qui partam mea benignitate libertatem modulatis vocibus celebrabat, te similem esse constituo. fuit enim equitatus ille quædam veluti vmbra & figura præclarissimæ victoriæ, quam de teterrimo generis humani hoste reportabis. Hac tantæ spe victoriæ animum confirma: vires collige, quibus innatam corpori humano imbecillitatem fulcias, & tyrannorum in te animos, ipsis belluis immaniores, patientia emollias,& virtute superes. sunt quidem Ægyptiæ equæ specie præstantes,& mira alacritate iugum subeunt: sed tu valde multùm forma excellis, & obedientiæ laude omnes longè superas: qua dum vitam instituis, admirabili Diuini decoris splendore enites.

Ægyptiæ equæ.

XVIII. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia.*

Nam genæ tuæ inter ornamenta è capitis velamine demissa, singulari cum venustate leuiter eminent, & ex inferiori parte subiectæ oculos tutantur. illa quidem ornamenta, vt pudicitiam tuam decet, turturis similitudinem referunt, cùm nihil nisi purum, nihil nisi sanctum, & excellens, animo cogites,& ipso adspectu præ te feras: collum tuum Diuinæ eloquentiæ torquibus exornatum mirabiliter splendet. ea enim, quæ animo concipis, de rebus Diuinis mysteria, singulari cum verborum grauitate, prædicas.

XIX. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.*

Sic autem à me fuerat constitutum, vt auribus tuis ornamenta ex auro compararem, in quibus notæ quædam ex argento affabrè factæ inessent, vt scilicet fidem verbis meis adhiberes, ex qua hic, qui in te erga me viget, amor,& originem duceret, & ipse eam illustriorem redderet, vt iam fides timore expressa non te in officio contineret, sed amoris ardore, vt aurum, eluceret, stabilitate,& constantia, in eodem semper statu permaneret, vnde orationis vis, vt argentum emineret, quæ in cælorum omnium fastigium penetraret.

---

Hac oratione Christus Optimus Maximus Ecclesiam suam pullulantem fouet, afflictam solatur, & Principum immanitate ab Euangelij prædicatione retardatam, ad id officij munus vehementer impellit; & illius

laudes

laudes exaggerat, quarum nullam ſibi Eccleſia aſſumit; & dum ſummiſſiùs ſe gerit, quantos, in veræ ſapientiæ ſtudio progreſſus fecerit, conſideremus; atque inuicem, amantium more, quàm eleganter certent, dum alter alterius laudes celebrat, contemplemur. Sic igitur ſponſa exorditur:

*Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* XX.

Si quid boni in me ineſt, ego ab illo bonorum omnium Architecto delibatum habeo. nam illius munere effectum fuit, vt ſemper in me virtutis decus elucerct: illud tamen erat multis rationibus deformatum. Tellure enim tepebam; carnium nidori eram addicta; à ſanguinis adſperſione, à rubræ vitulæ cinere pendebam; nunc ipſe, omnium rerum, & antiquæ legis, auctor, in conuiuio accumbit, quod ſuis magnificè comparauit, vt illorum mentes eo cibo ſatiet, qui eis immortalitatem donet; nunc, inquam, in hac ſponſi mei, & ſuorum amicorum, accubatione, ex nardo mea iucundæ odorum ſuauitates afflantur; corporis caſtitas, priſcis hominibus inaudita, viget; animi ſanctimonia floret; ſapiens animi ſubmiſſio omnium prædicatione celebratur; incredibilis conſtantia, in omni ætate, & in omni hominum genere, elucet. harum virtutum decore nunc me ipſam longè ſupero.

*Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* XXI.

Nec mirum quidem. ille enim, cuius ego ſum amore incenſa, olim ſibi tabernaculum, & poſtea templum, exſtrui curauit, in quo ſedem ſibi collocauit, vnde oracula funderet; mortis autem ſupplicium in eos ſanxit, qui ſedem illam oculis vſurparent; nunc verò illum ego amplector, illum mecum adſtrictum teneo, atque is in animo meo ſempiternum ſibi domicilium inſtituit. nam, vt myrrhæ faſciculum elegantiores fœminæ in pectore gerunt; ſic ego illum in animo infixum quocumque ingredior, mecum defero; qui me, inſtar cypri, hoc, quem ego afflo, virtutum odore complet.

*Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.* XXII.

Pulchritudine, inquit ſponſus, adeo excellis, ô ſponſa mea, vt te, quicumque ſanæ mentis fuerit, ſummis laudibus efferat. Nam hæc, qua tantoperè præſtas, pulchritudo, eſt cum ſingulari vitæ ſanctimonia coniuncta. Quemadmodum enim columbis eſt innatum, vt ab ineunte ætate virum diligant, à quo, dum in vita manent, ſeparari minimè patiuntur; ſic tu, hoc tempore, quo, primùm Euangelij doctrina, & inſtitutis enutrita, adoleſcis, me vnum intueris, & ſuſpicis, quod vſque ad vltimum ſpiritum ſeruabis. non enim ad

Baal, & Astaroth, commenticia quædam numina oculos adiicies. quare columbarum oculis sunt oculi tui similes, qui acie micant, vt Diuina percipiant, & ab sponso contra matrimonij ius numquam dimouentur.

XXIII. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.*

Quò eos, ô sponse, verterem? aut ad quem alium me conferrem? Si pulchritudinis decus, & admirabilis quidam splendor ad se animos allicit; si eos suauitatis magnitudo quodammodo secum deuinctos retinet, tu natura pulcher, & suauis, exsistis: si quæ sunt res pulchræ, si quæ suaues haberi possunt, sunt illæ quidem tuæ pulchritudinis & bonitatis quædam impressa vestigia. nihil igitur laudis est mihi tribuendum, eo quòd tibi adhæream; sed tibi sunt omnia referenda. Studia humana in pernicien suam feruntur, nisi ope tua ab exitio auocentur.

XXIV. *Lectulus noster floridus: tigna domorum nostrarum cedrina, lanquearia nostra cypressina.*

Beneficio tuo, quidam ex Iudæis, & ex gentibus, in Palæstina, ad nomen tuum sese applicant, &, sublato pariete, quo gentes à Iudæis distinguebantur, ex vtrisque in eandem religionem societas summo fœdere deuincta crescit, in qua requietem tibi quodammodo parasti. omnia namque opera tua ad illius gloriam contulisti. hic noster lectus, quia ei suauissima bonitatis tuæ aura afflatur, viret atque frondescit. non sub dio est lectus hic noster stratus, sed est amplissima in domo, atque Regia, quæ plurima in se continet cubicula. diuersa namque sunt in ea officiorum genera, & distincti hominum ordines, ipsa verò, quamuis omnes homines intra se possit capere, est vndique tecta, & pulcherrimè laqueata, vt tyrannorum impetus sustineat, & virtutum omnium splendore cæteris hominibus colluceat.



## ARGVMENTVM IN CAP. II.

*In eodem laudandi se mutuo studio versantur. Inde sponsa, ad maximam & incredibilem voluptatem, quam ex illius consuetudine percipit, & ad beneficia, quæ in se ille contulit, commemoranda, progreditur: quibus, ad pristinum amorem, quàm magna fuerit facta accessio, eleganter ostendit. Illius enim magnitudo ei adeo sensus omnes adimit, vt eam quoque anima deficiat. Et singulari studio opem ferens sponsus occurrit; eam oratione, summi amoris sui indice, quam ipsa refert, primùm appellat: deinde vt ex his, in quibus erat locis discedat, & ad se veniat, hortatur, & verni temporis suauitate allicit: quod eleganter quidem, vt nihil supra possit, describit: fructus, quos tellus edit ea tempestate, refert: de turture, quæ ver semper exoptat, illudque peregrinans vbique sectatur, commemorat: nec non & de vulpe, quæ vinearum lætos & vberes fructus perdit.*

CAP.

## CAP. II.

*Ego flos campi, & lilium conuallium.* I.



PRofectò, cùm hæc, quæ in me beneficia contulisti, attentiùs considero, de me ita iudico, vt existimem, in hoc mundi campo, in quo est virtutum solitudo, & vastitas, me lectissimum esse florem, qui hominum sensus, si à rectè rationis iudicio se minimè seuocent, omni voluptate permulceat, & suauissimo odore compleat. sed decus hoc in me virtute tua viget. nam, instar lilij, sum in depressa valle, in quam è montibus defluentes aquæ coëunt. Cum enim ab hominibus abiectis principium sumpserim, in eos benignitatis tuæ riuos ita abundè deriuasti, vt humilitas veram nobilitatem procrearet, & candore sempiterno reluceret.

*Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* II.

Errant illi quidem, ô sponsa, qui in te aliquid humile, & abiectum, inesse putant. excellens est enim animi tui decus, atque Diuinum. qui verò, inter cæteros homines, honestatis, & decoris, speciem præ se ferunt, illam lenocinijs imitantur, cum omni sint turpitudine deformati; in qua sceleratæ vitæ ratione, spinarum instar, siccitate quodammodò arescunt, & nullum ex se virtutis fructum emittunt, & vt acerbè te pungant, omni studio nituntur; qui quidem illorum conatus ad laudes tuas miras accessiones afferunt. nam in tanta morum labe, quæ in hominum genus peruasit, tu, veluti lilium inter spinas solidæ virtutis specie, Diuini patris oculos delectas.

---

Iam nunc longiori oratione, Sponsa, suauissimam cum viro suo consuetudinem laudat, &, quæ ex illa bona perceperit, commemorat. Sic igitur inquit:

*Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios.* III.

Quemadmodum malus arbor in silua consita agrestibus præcellit arboribus, ita is, quem tantoperè diligo, omnes, qui aliqua fuerunt virtute commendati, sanctitate longè superat. (illi enim, nisi ab eo aliquid boni delibatum habuissent, totius decoris & virtutis specie orbati, agrestes & inculti, ad omnia officiorum genera fuissent;) neque his solùm, sed dijs, quos gentes sibi, impia superstitione, adsciuerunt, & principibus, qui maximis opibus affluunt, & nationes plurimas sub sua potestate, & ditione, tenent, infinitis partibus excellit. nam illi sunt viribus imbecilles, fide inconstantes, animo maleuoli; hic autem, inuictæ virtutis robore, fide, integritate summa, & incredibili est in omnes bengnitate, suspiciendus.

IV. *Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.*

Cuius desiderio arsisse me, totius vitæ meæ cursus manifestè declarat in Arabiæ solitudine, dum sub nube Solis ardorem minimè sentiebam, & Mosis opera legibus instruebar, in illum, multis atque diuersis signis mihi quodammodo expressum mentis oculos conuertebam. nam, etsi Solis ardorem nubis vmbraculo repellebam, carnis tamen ita vehementer æstu rapiebar, vt
Mosis lex. satis manifestè pateret, quòd lex à Mose lata mortem mihi potiùs quàm salutem, attulerit. quare illum oculi mei desiderabant; nunc autem, neque nubis vmbraculo est mihi opus, neq; exsecrationibus deuincior, in illius enim vmbra, quem ardenter amo, è tantis malis emersa, requietem capio. est ille quidem arbor vitæ ad mentes hominum quodammodo opacandas ramis diffusa, vt eis vitam afferat in omnium sæculorum æternitate duraturam. propterea fructus illius dulcedine mentis meæ sensus iucundissimè commouentur. animum enim saciat, incrementum præbet, vires auget, voluptates affert, quas nulla temporis iniuria aut extinguere, aut deformare, vmquam poterit.

V. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.*

Hoc quidem Diuinum, atque sempiternum, animi bonum, non mihi veteris legis sacrificia, non philosophorum sententiæ, summo ingenij acumine exquisitæ, attulerunt, sed ille ipse Dominus rerum omnium, ac Dominator Deus, lumen mihi prætulit, tenebras dispulit, vt animum, à pictura legis, & imaginibus, ad rem veritatemque traducerem. nam, cùm variis modis distinerer, me in cellam suam vinariam induxit, me, inquam, legis onere stratã, spiritus sui virtute subleuauit, errantem in viam deduxit, mœstam gaudio cumulauit.

VI. *Ordinauit in me caritatem.*

A quo felici animi statu ne me libido, & diuersæ insitæ in animis cupiditates, deiicerent, amorem (vt solet militibus vexillum præferri, quod sequantur) ille mihi sequendum proposuit, atque in animo meo illum infixit. amorem igitur ducem sequor, cuius vires nulla possunt oratione explicari.
Amoris Diuini vires. Etenim, vt militum acies, dum ordinem seruat, nullo hostium impetu prærumpi potest, immo illorum vires infringit; sic amor omnia vincit, omnia superat; huius Diuini amoris opes ille in aciem quodammodo deduxit, vt me sub suam ditionẽ adduceret, & à sensuum illecebris tutaretur: amore flagro, amorem prosequor, amorem dies & noctes inclamo; vtinam mihi liceret, eum, quem amo, adire, oculis cernere, amplexu tenere. cupit animus, quod præsentis vitæ conditio non patitur.

VII. *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.*

Desiderio

Desiderio tamen excrucior, & amoris vi conficior. anima interclusa respirandi locum denegat. odoribus igitur me adspergite; flores & poma naribus meis admouete; vt, confirmata, possim spiritum ducere. neminem alloquor; neminem apello. amorem sector; ab illo tota pendeo; quidquid ab illo non emanat, mihi tristitiam parit.

*Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* VIII.

O, quàm iucundè, illius amplexu circumplicata, viuerem? quantùm me iuuat hæc animo contemplari? nihil profectò mihi magis cordi esset, quàm in ea contemplatione vitam consumere.

*Audiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruosque campo-* IX.
*rum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad vsque ipsa velit.*

Quamobrem vos Hiorosolymitanæ virgines, precor, per id quod animus vester cupit, & diligit, per ea quæ vobis dulcissima sunt in vita, ne me, Diuino amore sauciam, sceleratis vestris conatibus exagitetis. si vos aliquando amor sollicitauit, is à vobis illud obtineat, vt mihi liceat, quamdiu visum mihi fuerit, amori toto animo vacare. non opes efflagito; non dignitates, & honores, ambio: sunt enim in amoris Diuini studio opes immensæ, dignitates sempiternæ, honores Diuini.

In amoris Diuini studio opes immensæ, dignitates sépiternæ.

*Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transi-* X.
*liens colles. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum: en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*

Dum hæc mecum animo cogitabam, vox dilecti mei aures meas iucundissimè permulcebat. nihil enim illi impedimento esse potest, vt præsentia sua sollicitudinem, qua angor, mihi aleuet: temporis momento omnia euincit, & ea celeritate, vt me inuisat, iter ingreditur, vt montes, & colles, celerrimè transeat, vocémque iucundissimè modulatur, vt suauissimis modis animum meum oblectet, &, vt quàm celerrimè mihi in precibus & optatis occurrat, capreæ & ceruæ celeritatem imitatur. En ipse post parietem nostrum subsistit. non enim hæc corporis, quo sum induta mortalitas fert, vt eum oculis vsurpem. è fenestris, & cancellis, ille prospicit, & sese occulit, quamuis à me numquam oculos auertat.

*En dilectus meus loquitur mihi, Surge, propera amica mea,* XI.
*columba mea, formosa mea, & veni.*

Cantu suauissimo, & spiritus sui appulsu, me in suam sententiam allicit; tu, inquit, quæ mecum amoris maxima es conspiratione consentiens, &

Iudæorum

Iudæorum immanitate vexaris,& per Palæstinæ oppida, per ferarum lustra, & latibula vagaris, animo excitare, Iudæorum minas contemne,& ,te intra Palæstinæ terminos coerceri quàm parum sit consentaneum dignitati nostræ, considera. accelera igitur, iter suscipe, in gentes inuicta virtute penetra, vt iisdem, quibus orbis terræ, regionibus nominis mei fama terminetur.

XII. *Iam hiems transiit, imber abijt, & recessit.*

Fuit quidem hiems summa, imber maximus, quo genus hominum ad virtutis studium obduruit, ne quid ex se laude dignum gigneret.

XIII. *Flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis aduenit; vox turturis audita est in terra nostra; ficus protulit grossos suos; vineæ florentes dederunt odorem.*

Nunc iam tellus hæc, floribus & herbis vestita, oculos delectat; & auium cantus singularem affert auribus voluptatem. iustitiæ enim, Solis accessu, ver incepit, & fructus ostendit futuros. nam ea, quæ prisci viri illi sancti inseuerunt, maturitatem consequuntur: illi sementem fecerunt, tu verò fruges demetes, & felicissimè percipies.

XIV. *Surge, amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

Iam igitur temporis ratio illud à te officium postulat, vt non ampliùs, instar columbæ timore perterritæ, in Palæstinæ latebris subsistas, sed vt in omnium conspectum prodeas, & mihi liceat hanc vitæ tuæ speciem, & sanctimoniam, videre in oculis omnium & ore versari: vox tua, admirabili harmoniæ concentu, aures meas singulari voluptate compleat, vt ea, qua te imbui, rerum Diuinarum disciplina, hominum animos ad iustitiæ cultum, ad veræ sapientiæ studium, ad vitæ communis societatem, sanctissimæ Religionis fœdere adstrictam, trahas. est enim vox tua suauis, non asperè sonans, non minitans. eam enim ad omnium salutem suauiter inflectis, & moderaris; & facies tua, vitæque ratio est summis virtutum omnium ornamentis exculta.

---

Hac quidem ratione, & suauissima vocis modulatione, Sponsa dicitur, vt ex paterna domo, rus, quò illam sponsus vocabat, libenter discedat.

*Capite*

*Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas. nam vinea nostra floruit.* XV.

In vinea,inquit,nostra,iam nunc ineunte verè, ad sarmen totum articulos gemma exsistit,ex qua oriens vua sese ostendit: vulpeculæ, summis fraudibus, ne illa maturata dulcescat, efficere conantur; quæ pietatem ementiuntur,vt iacta pietatis fundamenta labefactent. Vos igitur,celestes ac beatæ mentes,quibus mei cura est,& vos, qui in piorum cœtu principem locum obtinetis,hortor,vt illas capiatis, & à Republica Christiana exturbetis, nefarios inquam, homines, & omni scelere contaminatos, qui fidem datam impiè fregerunt, & nascentem in hominum animis pietatem euellere nituntur,dissidia constituunt, dissensiones nutriunt,turbas concitant, & iura Diuina, & humana peruertunt, & à se ipsis maximè dissentiunt. Vbi enim caritas non moderatur,necesse est,vt sint omnia perturbata seditionibus.

Vbi caritas non moderatur, necesse est vt sint omnia perturbata seditionibus.

*Dilectus meus mihi,& ego illi, qui pascitur inter lilia.* XVI.

Quare,cùm ego, & dilectus meus mutuo simus & indissolubili amore coniuncti, nullum inter nos dissidium exsistit, nulla dissensio,sed animorum idem est studium: & admirabilis consensio. illi enim non animi motus à ratione auersi, non libidine concitati, non superbia inflati, non ambitione cæci,non impetu præcipites,placent, sed suos inter lilia pascit, quos modestiæ, mansuetudinis,sapientissimæ animi submissionis,muneribus, Diuino quasi quodam pastu alit, & totius sanctimoniæ candore illustrat.

*Donec adspiret dies,& inclinentur vmbræ. Reuertere:similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloque ceruorum super montes Beter.* XVII.

Donec igitur ventus matutino tempore salutaris perflat,& vitalem spiritum duco,mihi non erit cunctandum,vt te affecter contento cursu,ô dilecte mi,vt caprea, & cerua in montibus Beter enutrita perge, in gentes abi,ego te summo amore prosequar.nulla enim erit gens tam barbara,& incognita, quam te duce,adire perhorrescam.

---

A Principio generis humani,Ecclesia Christi Diuino spiritu constituta viguit. Vt enim hominum genus incepit similiter & rerum Diuinarum cognitionem ab omnium conditore Deo traditam suscepit, qua non solùm naturæ suæ dignitatem exploratam haberet, & inter omnes animantes longè præstaret, sed etiam Diuinæ

Vt hominũ genus incepit:similiter rerum diuinarum cognitionem suscepit.

mẽtis amplitudinem,& maiestatem,vt poterat, veneraretur. Sciebat enim,se à Deo benignè conditum, & Diuinis fuisse muneribus ornatum: quæ etsi magnifica & præclara essent,futurum cognouerat, vt multo maiora perciperet. Cùm enim hominis perfectio, & beatitudo, à Deo tota pendeat, erat illi innatum summum cum mente Diuina coniunctionis desiderium: quam cùm propriis viribus adipisci non posset, ne illam omnino desperaret, in illius consequendæ spem fuit, afflatu Diuino, & signis, excitatus; quibus dum fidem adhibuit, fuit cum Christo singulari fœdere adstrictus. ad illum enim, vt ad humanæ naturæ dignitatis perfectorem, cogitationes suas referebat, & actiones suas illa fide conformabat: multis namque rationibus erat ei à Deo significatum, fore, vt ipse humanam formam indueret, qua vna re humana natura in summũ honoris gradũ euehebatur, & id, quod ipsa appetebat, nẽpe sui perfectionem, beatitudinem, immortalitatem, & cum Deo coniunctionem, consequebatur. Adamo fuit Eua in matrimonium collocata, & vt noster Paulus asserit, eo matrimonij fœdere illud in animis eorum signabatur, quod inter Christum, & Ecclesiam, erat, ritu sanctissimo, feriendum. hæc autem animorum persuasio, vsque ad Abrahami tempora perdurauit, quamuis humanæ mentes, breui post Adamum, impietatis offusis tenebris, à Deo auersæ, fluxis rebus, & inanibus, adhærebant. quamobrem in paucis illa permansit, quam optimus ille hominum parens, vt in illorum animis excitaret, & vehementiùs infigeret, Hebræorum Rempubl. condidit, quam legibus instruxit, & iis sacrorum ritibus adstrinxit, quibus illius gentis animis clarius esset propositum, quod de Christo fuerat Adamo prædictum. Vnde effectum fuit, vt in Christum, tamquam in

Hominis perfectio & beatitudo à Deo tota pẽdet.

Christus humanæ naturæ dignitatis perfector.

Adami & Euæ matrimonio, fœdus matrimonij inter Christum & Ecclesiam, signatum in animis eorum.

Pietas ad Abrahami tẽpora, sed in paucis.

Impietatis tenebræ citò post Adamũ exortæ.

Hebræorũ Resp. à Deo condita & instructa.

in finem, piorum hominum cœtus, insita quadam, vt ita dicam, voluntatis inclinatione propenderet.

Quia verò ita est à natura comparatum, vt spes alicuius boni excellentis, plurimis signis, & oraculis excitata, quantò magis differtur, tantò, vehementiùs sperantium animos excruciet, luculenter quidem in hoc opere Salomon Ecclesiæ voces in operis principio commemorauit, quibus illa animi sui studium, & solicitudinem, declarabat; qua Christi ad se aduentum propediem futurum sperabat. Deinde verò, ipsius in Religione, & in perfectionis suæ ratione, progressus retulit, nam Christus aduentu suo expleuit hoc ardens Ecclesiæ desiderium, & donis maximis compleuit: quamuis illa quidem, vt Abrahami, & Mosis ætate contigit, in paucos homines erat Hierosolymæ redacta. Centum enim, & viginti hominum numerum illa complectebatur; quos Iudæi contumeliis primùm affecerunt, verberibus excruciarunt, vt eos à Christi Diuinitatis prædicandæ studio auerterent; eos denique internecione delere conati sunt, quorum plurimos immaniter trucidarunt; qui verò ex illa suorum cæde, credelissimè facta, euaserunt, in loca tutiora se receperunt. Soli enim Apostoli, vt Lucas enarrat, in ea Reipubl. Christianæ perturbatione, Hierosolymæ manserunt. Horum autem de Iudæis querimoniam Salomon quoque eleganter literis mandauit: nec non illorum in tantis malis sollicitudinem, qua cruciabantur, & Diuini auxilij, quod aliquantum in summis miseriis differri videbatur, expectationem, qua vehementer angebantur, eleganter scripsit.

Spes boni excellentis magis dilata, magis excruciat.

Aduentu Christi Ecclesia ad quot hominum numerum redacta.

Christi denique Optimi Maximi erga suos benignitatem, qua eis consuluit, & prouidit, & Ecclesiæ, quæ, intra Palæstinæ terminos circumscripta, quotidie au-

gebatur, ſtudium, quo erga illum erat incenſa, mirificè explanauit. illa enim nihil de ſtudio vmquam remiſit, quo Iudæos de illorum officio admonebat, & vt ſeſe Chriſto applicarent, hortabatur; quamuis aliquando, cùm temporis ratio poſtulabat, ſe ipſam à Iudæorum oculis remoueret, quemadmodum fuerat, vt ita officio ſuo fungeretur, à Chriſto inſtituta.

Errores in Eccleſia naſcentes ab iis qui Chriſto nomina dediſſent.

Illud verò non mediocrem ei dolorem afferebat, quia aliquos eo tempore videbat diuerſis erroribus imbui: quales hi fuerunt, qui cum Chriſto nomina dediſſent, legi veteri ita erant addicti, vt eam ad ſalutem animorum conſequendam eſſe neceſſariam prædicarent; & qui ob illud Nicolai factum, quo ſe Apoſtolis de Zelotypia purgauit, cùm immeritò, tum impudenter, ſunt in nouum impudicitiæ genus prolapſi; qualis etiam Simon ille Magus, hæreticorum princeps, qui Samaritanis fuit omnium ſcelerum, & flagitiorum, documentum; hi, quaſi vulpeculæ, dolis, & fraudibus, perniciem Chriſtianæ Religioni moliebantur, &, pietatis integumento, ſummæ perfidiæ ſcelus occultabant. Hunc Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum Salomon hactenus explicuit. Inde verò aliud ſibi dicendi exordium ſumit; vt omnes Eccleſiæ quaſi ætates quaſdam, atque gradus, perſequatur.

Interfecto autem à Iudæis Stephano, aliqui viri ſancti Cyrenæi, & Cyprij, qui, fuga, à Iudæorum immanitate, qua ad crudeliſſimam necem pij homines rapiebantur, ſe ipſos eripuerant, Græcos Euangelij doctrina inſtituebant; Paulus denique, Antiochiæ, Piſidiæ, non ſolùm Iudæis, ſed, & gentibus, vitæ ſempiternæ viam fuiſſe à Chriſto munitam, Iſaiæ teſtimonio, confirmauit; Iudæis verò relictis, quia odio immani in Chriſtum Optimum Maximum inueһe

uehebantur, ad gentes, cælesti doctrina, quam ipse Diuinitus perceperat, erudiendas se contulit. Quod quidem officij munus, cæteri quoque Apostoli, incredibili studio, illis præstiterunt. Quos verò labores, quas ærumnas, quas dolorum acerbitates, quæ mortis pericula, & tormenta, in hoc Christi Prædicationis cursu Ecclesia subierit, Salomon deinceps oratione persequitur. Sic enim Ecclesiam loquentem inducit:



## ARGVMENTVM IN CAP. III.

*Vir vt munus suum exequeretur, quod pascendi oues susceperat, abijt. summum fœminæ sui desiderium reliquit: quo illa æstuans, domi eum in lectulo dormiens quærit: in vrbem se confert, omnia lustrat nihil prætermittit, quo illum inuenire possit: eo tandem studio, in vigiles, & vrbis custodes, incitata incurrit, ab ijs autem cùm nihil de viro suo percepisset, aliquantulum progressa, eum tenet, & in maternum nititur cubiculum introducere, vbi eo, vt desiderabat, frui posset. Hanc, qui viderant homines, Salomon de illius pulchritudine differentes inducit: quibus illa, quænam ipsa sit, & quantum viro suo placeat, & ipse qualis sit, similitudinibus explicat: eo enim dicendi genere, cùm mentis sensa exprimere volebant, Hebræi vtebantur.*

---

## CAPVT TERTIVM.

*In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.* VERS. I.



Llud autem ad memoriam sempiternam monumentis consignari volo, me omni studio operam dedisse, vt gentem Hebræam à legis, quam omni spiritus Diuini lenitate, & ornamento, spoliauerat, seruitute; & ab ignorantiæ tenebris & Dei offensione, in qua versabatur, ad veram animi libertatem, & ad sempiternum sapientiæ decus, ad filiorum Dei adoptionem, quam lex à Mose tradita pollicebatur, traducerem. [illegible]s enim viribus pugnaui, vt eam ad illius studium excitarem, cuius ego amore flagro.

ego amore flagro, erat enim consentaneum, vt primùm illi genti Diuini spiritus numen, in lege quodammodo inclusum, nunc sponsi mei singulari beneficio in omnium adspectu collocatum, explicarem, nam ad hoc fuerat lege Diuina instructa, patrum oraculis enutrita, & signis, atque prodigiis, valde vehementer excitata; priscis verò tẽporibus ea vt lectulo vtebar, in quo iucundè cum sponso meo accumberem: fide enim erga illum, & pietate, florebat: nunc verò in eam scelerum omnium turpitudinem est prolapsa, vt quædam quasi nox illi tenebras offudisset, sponsi mei numen in lege mirabiliter elucens minimè perspexerit. has ego tenebras ab illius oculis dispellere conabar: eas tamen illa luci prætulit, & me contumeliis affecit, virgis dilacerauit, cæde contaminauit.

II. *Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.*

Quamobrem hinc discedam, Iudæam relinquam, vt orbem terrarum peragrem, & quæ totius sapientiæ parens mihi inter paucos planè secretò narrauit, in vicis prædicem, &, quæ illius mihi insusurrantis susurro quodam percepi, in plateis cõmemorem; quæ denique obscura erant, & nullius poterant intelligentia comprehendi, efficiam clara, & manifesta, vt si forte, possim religionem in omnes hominum nationes propagare. Sed gentium ea est viuendi ratio, omni scelerum genere contaminata, & impietas tam altis est radicibus nixa, vt quamuis multa illis de lege Diuina, de sanctissimi Christi maiestate, de illius prouidentia, de immensa in genus hominum benignitate, & de mysteriis verissimæ religionis, dissera, non possim eas à sensuum iudicio, vt Diuinæ mentis norma vitam moderentur, auocare. nullum denique in illis sponsi mei vestigium reperio. Etsi verò, hoc, quod perficiendum suscepi multis esse difficultatibus implicatum videbam, in id tamen studium, in quo eram, vehementer incumbebam.

III. *Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem.*

Quo effectum fuit, vt, qui rerum potiebantur, qui ius administrabant, quibus patria Religio curæ erat, me omni ex loco pellere conarentur, & quasi ego rebus nouis studerem, & perniciosam Religionem in Remp. inducerem, vinculis, verberibus, omni denique supplicio, excruciarent.

IV. *Num quem diligit anima mea vidistis?*

Deorum apud homines multitudo eorum animos, impietatis arguit.

Eos tamen amanter ad verissimæ Religionis pietatem hortabar. Sic autem illos alloquebar. Num in tam multiplici Deorum numero, quos tantopere colitis, eum inuenistis, à quo animam hausistis, à quo hic mirificus mundi ornatus originem duxit, & cuius prouidentia tam multis sæculis eodem in statu permanet? Si igitur hæc Deorum multitudo manifestè declarat animos vestros impietatis quodam æstu exagitari, atque illum rerum

omnium

omnium moderatorem, & optimum parentem, cuius in animis vestris est insita à natura notio, à vobis minimè cognosci; quare de illo me differentem supplicio damnatis? quo iudicio vos & summæ insipientiæ, & ingrati animi, scelere adstringitis. nam rei grauissimæ, ad mentis statum conseruandum maximè pertinentis, ignorationem, ipsi sapientiæ anteponitis; & me, quam neque cupiditas aliqua, nec ambitio, ad hoc officij munus vobis præstandum adduxit, sed amor eximius traxit, immani odio insectamini. Vt enim quem amor sollicitat, illius, quem vehementer amat, absentiam ægrè fert, & desiderij magnitudine contineri non potest, quin ab omnibus, quibus fit obuiam, diligenter de eo quærat; ita ego illum, quem summopere diligo, semper in ore habeo, & in eo maximè pugno, vt illum vobis conciliem, & in animis vestris pulcherrimam illius speciem infigam.

Quē amor sollicitat illius quem amat, absẽtiam ferre nequit.

*Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* V.

Cùm autem in hac dicendi constantia, illis aduersantibus, perseuerarem, & cursum, quem semel susceperam, strenuè tenerem, &, illorum immanitate, Diuinæ virtutis robore, superata, longiùs progrederer; cœpit inter gentes magna fieri animorum cõmutatio, vt qui erant, instar luporũ, crudeles, agni mansuetudinem induerent, truculenti benignitatem amplecterentur, auari liberalitatis laudem diuitiis præponerent; & ita sunt omnia inuersa, vt me, quam propter infantiam contemnebant, summa cum admiratione suspicerent ex paucis Iudæis; & maxima gentium accessione, mirum in modum aucta, in omnes orbis partes longè latéque diffundor.

Animorum commutatio in prædicatione Euanglij.

*Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genetricis meæ.* VI.

Cùm ergo paullo ante gentes superstitionis nefariæ vinculo impeditæ in tenebris iacerent, nunc omni caligine expulsa, clarissima luce fruuntur, & cum rerum omnium Domino, ac Deo, à quo longissimè aberant, sunt maximo amoris fœdere deuinctæ. Illum igitur inueni, quem ardenter amo, eum omnibus horis amplexu tenebo, nec vmquam à me dimittam, sed vt pudicæ fœminæ se totas viris suis in materno cubili tradunt, ita ego illum in animum meum, quasi in domum, & cubile maternum introducam, vt illius compos efficiar, & sitim, qua excruciabar, expleam. Quemadmodum autem Hebræorum opera gentes sunt ad Christi studium ductæ; sic etiam Synagoga, à qua Ecclesia gentium genita, educata, & enutrita est, illarum cura, & sollicitudine, illud consequetur, vt Diuini luminis splendore colluceat. non enim cursum, quem tenui, inflectam, sed illum, postquam gentes omnes verissimæ Religionis doctrina instituero, ad Synagogam dirigam: necà suscepto munere desistam donec Christum in illius penetralia inducam.

*Adiuro*

VII. *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

Vos igitur, quibus ius cælestis Hierosolymæ patet, in qua censeri vsque ad hanc diem renuistis, per ea, quæ vobis in vita sunt carissima, obsecro, ne Zelotypiæ studio, in me impetum faciatis. licet enim vestra falsa numina tantopere veneremini, (quorum cultum opera mea imminui videtis, ac propterea meum in gẽtibus instituendis ardorem restringere conamini) si vobiscum velitis rem attentiùs cogitare, illud exploratum habebitis, me non odio, sed caritate, duci. nihil autem est caritate salutárius. ea namque dissidentia mirum in modum deuincit, & colligit. Quare, cùm vobis viam muniam, vt omni animorum perturbatione sedata, tranquilissima vita fruamini, ne, quæso, me ab hoc iucundissimo sumno, quo capta, aliarum rerum, & propriæ etiam vitæ, curam negligo, excitetis. prudenter enim insanit amor, qui, vt optimum, & omnium bonorum vltimum, consequatur, cætera omnia pro nihilo putat. hic consilij mei est suasor, & impulsor. Quàm vellem, ne aliquid cursum meum in gentes retardaret.

Prudenter insanit amor, qui, vt optimum & vltimũ bonorum cõsequatur, cætera pro nihilo putat.

---

Pulchritudo oculos mouet; virtutis splendor, hominũ animos.

Cùm autem pulchritudo oculos moueat, & virtutis splendor hominum animos natura duce, ad se alliciat; hi, qui sponsam adspiciebant, non poterant eam singulari cum laudatione non admirari. non solùm enim omni venustate præcellens mulier sponsum in vrbe per plateas & vicos quæsierat, sed, vt illum inueniret, summo cum vitæ periculo, fuerat in solitudine versata. Quare pastores à Salomone inducuntur, de illius laudibus, breui oratione, quæ tamen plurima dicendi ornamenta contineat, disserentes. qui quidem illorum personam gerunt, qui inter gentes, virtutis, quæ in Ecclesia elucebat, magnitudine ducti, similem de ea orationem instituebant.

VIII. *Quæ est ista, quæ adscendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?*

Gentem illam, quæ olim per Arabiæ solitudinem quadraginta annos fuerat.

fuerat peruagata, Abrahami posteritatem fuisse scimus. Maximam illa quidem habuit admirationem: sed hæc est omni prodigio maior. Illa enim per Arabiæ solitudinem, ob perfidiæ scelus, ferebatur; hæc orbem terrarum, in quo omnis virtutis fructus est compressus, vt homines doceat obedientiam, peragrat: illa angustis terminis circumscriptam regionem petebat; hæc cælorum omnium fastigium petit: illa cerimoniis quibusdam, & suffimentis, Deum venerabatur, hæc ex myrrha, & thure, ac aliis odoribus incensis, suffimento similis, exsistit: ipsa enim ad superiora fertur, & de rebus Diuinis luculenter disserit, thus, & myrrham, in Dei cultum adhibet, Diuinitatem omnium altricem confitetur, eámque humanitate indutam veneratur. Quæ igitur erit hæc hominum secta, quæ tot virtutum ornamentis est culta, & res ab hominum intelligentia remotissimas prædicat? neque enim cum Hebræis, neque cum philosophis, omnino conuenit.

---

Hæc illi: sponsa verò, vt dubitationem tolleret, in qua erant, de se ita commemorat.

*En lectum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* IX.

En lectulus Salomonis, quem ille sibi Diuino opere strauit. Illius matrimonio adstricta teneor, illius consuetudine fruor, qui Salomoni minimè cedit, immo infinitis eum partibus superat. Salomon, Hebræorum Rex, sapientiæ laude excellens, maximis opibus abundans, lectulum comparauit, in quo cum vxore cubaret: ne verò insidiis pateret, quibus lectulo geniali aliqua dedecoris nota inuri posset, ex Israelis posteritate sexaginta viros fortissimos elegit, qui versati erant in omni genere bellorum, qui, gladiis instructi, nocte lectulum custodirent. Hic Salomon æterni Salomonis imaginem gerebat, qui Deo, & hominibus, est interpres pacis, & totius sapientiæ fons, & origo, qui gentem Hebræam sanctissimis legibus ornauit, & rerum omnium naturas imperio moderatur, & regit. Verus hic Salomon in animo meo insidet, & quodammodo cubat: sum enim sponsa illius, sedes, & lectulus: quem, Diuinis muneribus cumulatum, inuictæ virtutis robore sepit, ne aut Iudæorum perfidia, aut philosophorum inanis sapientiæ nomen verborum lenociniis, me in impietatis scelus impellat.

*Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, adscensum purpureum media charitate constrauit propter filias* Hierusalem. X.

Lectulus Salomonis vtriusque.

Lectulum, inquam, tabernaculi instar velis obductum, qui ex loco in locum ferri posset, vterque Salomon fecit, ita, vt alter alterius formam optimè effingeret: ille, è cedro, quæ in Libano monte reperitur, eum fieri curauit; hic, ex illis virtutibus eum est fabricatus, quæ à mente Diuina proficiscuntur, & nulla temporum iniuria corrumpi poterunt: argenteas ille columnas adhibuit; hic, Diuinæ sapientiæ firmitatem; stragulum ille ex auro pulcherrimum; hic fidem, & caritatem, qua eum intra me contineo, & amplector: ille operimentum è purpura confecit; hic inuictæ me virtutis magnitudine & robore cinxit, vt sanguinem pro illius amore fundere minimè perhorrescam: ille, lectulo, & tabernaculo illo, breui tempore duraturo, vtebatur, in quo erant res summi pretij, quarum desiderio Hierosolymitanæ virgines flagrabant; hic, totius humani generis caritate incensus, opera mea in omnes hominum nationes latus, eas Diuini amoris flamma incendit.

XI. *Egredimini & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.*

Tu igitur gentium multitudo, vt impudica mulier turpissimorum amorum fœdera quotidie feriens, iam illa desere: & tu, gens Hebræa, mentem à sensuum consuetudine auoca, vt Diuini Salomonis dignitatem attentiùs consideres, in eum oculos conijce, & vide illum latissimi imperij, quo omnia, quæ supra subterque sunt, coercet, diademate ornatum; non armis, non fraudibus, & insidiis, non eloquentiæ viribus, illud obtinuit, sed, cùm primum humanam naturam fragilem, & caducam, in Sanctissimæ Virginis Matris visceribus sibi induit, & me in vxorem accepit, illud ei Mater imposuit: corpus enim dum ei subministrauit, effecit, vt Diuinus Salomon, inito cum hoste immanissimo certamine, victoriam reportaret, peccati tyrannidem deleret, & solidam voluptatem suis afferret.

---

Hactenus Ecclesia. Nunc iam de ea Christum dicentem audiamus.

ARGV



## ARGVMENTVM IN CAP. IV.

*Pulchritudinem ſponſæ, vt meritam gratiam, debitámque referat, ſponſus ornatè laudat: corporis partes eleganter deſcribit: & quàm ſint aptè, vt in illis excellens quædam pulchritudo eluceat, ſimilitudines adiungens, luculenter explicat. Eodem quo ſponſus loquendi modo vſus fuerat, ſponſa quoque vtitur, vt quid ardenter deſideret, honeſtè, & vt pudicam feminam decet, oſtendat: in hortum, vt ſe cum eo oblectet, inuitat. Nec id ſponſus renuit; eò ſe veniſſe, & ſummam ex ſponſæ conſuetudine voluptatem percepiſſe teſtatur. Deinde amicos ad cœnam vocat.*

---

## CAPVT QVARTVM.

*Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es? Oculi tui columbarum.* I.

MAXIMA eſt, ô amica mea, cùm qua ego indiſſolubilis matrimonij fœdus contraxi, pulchritudinis tuæ vis, & ſplendor: ſunt enim animi tui partes ad Diuinæ mentis normam mirabiliter effictæ: oculi tui, quorum opera rerum cognitionem percipis, columbarum more, debitam viro fidem à te integerrimè ſeruari teſtantur: numquam enim eos à me deiicis.

*Abſque eo quod intrinſecus latet.* II.

Et inter cincinnos ſingulari cum venuſtate ſplendent: eas námque cogitationes ſuſcepiſti, quibus mentem tuam à ſenſuum conſuetudine auocaſti, vt illa, quodammodo incluſa, & abdita, in occulto lateat, quam ſenſuum illecebræ ad libidinem pellere numquam potuerunt.

*Capilli tui ſicut greges caprarum quæ aſcenderunt de monte Galaad.* III.

Hæ autem, quæ in animo tuo verſantur, cogitationes, ſunt maximum inſitæ virtutis tuæ argumentum. quemadmodum verò capilli contempti, honeſtis & pulchris feminis non mediocrem afferunt venuſtatem; ſic illæ, dum eas hominibus aperis, amorem conciliant: &, vt, qui greges caprarum in monte Galaad paſcentes proſpicit, non mediocri ſolet voluptate perfundi; ita, qui mentis ſanæ fuerit, adſpectu tuo magnopere delectabitur. nam, quemadmodum capris ſaturis candor eſt ſplendidus, ita mens tua pabulo

ſpiritus expleta fulget, & vt capreæ, dum ſeſe arboribus applicant, & quodammodo ſe perfricant, villum pulcherrimè compoſitum gerunt; ſic tu, dum cruci meæ cogitationes tuas affigis, illæ ſempiterni decoris ſplendorem conſequuntur.

IV. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ adſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.*

Dentes tui eo ſunt ordine, vt tonſarum ouium greges ab omni labe ablutos, & lætiſſimis paſcuis enutritos, imitari videantur: ea enim, quæ animo euoluis, quaſi cibum dentibus, meditatione mandis, emollis, & conficis.

V. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum, dulce.*

Labia tua, vt purpura, rubent: quæ loqueris, ab ardentis caritatis ſtudio profluunt: quare ſermo tuus eſt omnibus ſalutaris, & iucundus.

VI. *Sicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ, abſque eo quod intrinſecus latet.*

Genæ tuæ, & tempora tua, cincinnis obuoluta, vt fragmen mali punici, rubent: hæc nempe vitæ tuæ forma, & ſpecies, virtutum ornamentis exculta, miram præ ſe pudicitiam præfert, qua viri tui dignitatem ſeruas, ſacro ſanctum matrimonij fœdus tueris, & reliquum hominum genus ad pietatis ſtudium allicis.

VII. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Collum tuum, vt Turris Dauidis à reliquo corpore eleganter eminet: fuit illa quidem inter alias Turres opere longè præſtans, & omni armorum genere inſtructiſſima; cui collum tuum ſimile exſiſtit: tum, quia omnium, qui veræ ſapientiæ nomine floruerunt, in eo ſtudio laudem infinitis partibus ſuperas: tum etiam, quia, Diuinæ eloquentiæ armis cincta, Philoſophorum conatus infringis, & tyrannorum impetus ſtrenuè ſuſtines.

VIII. *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis.*

Mammæ tuæ, vt duo parui hœdi, eodem recentique partu editi, ſibi ſimiles exiſtunt, qui in vberi agro, & liliis pulcherrimè diſtincto, paſcuntur: antiqua enim, & noua Scriptura ſacra, quibus fœtus tuos alis, eodem ſunt Deo auctore hominibus traditæ: quarum altera alteri mirabiliter conuenit, & Diuinæ virtutis decus in vtraque mirabiliter elucet.

Donec

*Donec adspiret dies, & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* IX.

Ego autem, vt animum meum tibi aperiam, quamdiu tempus matutinum itineris molestiam imminuit, constitui, ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, me conferre, vbi nulla libidinis vis animos exagitat, nec impendentis mortis formido excruciat, sed in summa tranquillitate & voluptate viuitur: illuc cursum dirigo, & omnes meas cogitationes refero. quamuis enim à cælorum fastigio non absim, tecum tamen indissolubili fœdere adstrictus, in tellure versor.

*Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* X.

Cùm igitur nulla impietatis labe sis adspersa, & incredibili pulchritudine excellas, nihil tibi magis erit consentaneum, quàm vt hoc ad immortalitatem iter suscipias.

*Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* XI.

Veni ergo, ô sponsa mea, viam ingredere, à Libano, qui Palæstinam à cæteris nationibus diuidit, mecum proficiscere. oportet enim, vt, postquam gentes ad veræ sapientiæ disciplinam instruxeris, ad Palæstinam iter conferas, vt Hebræos, ad pietatem, & ad verissimam Religionem, excites. Quemadmodum enim priscis illis temporibus, Og, & Seon, Regibus profligatis, ex montium Amana, Sanir, & Hermon fastigiis, quos circuibas, singulari cum lætitia tellurem illam prospiciebas, quæ à Iordane alluitur; sic etiam nunc, gentium superstitione de medio sublata, & Regibus, atque Principibus, qui erant immanitate, instar ferarum, truculenti, ad modestiæ & mansuetudinis singularis studium deductis, ad Hebræos animum adiicies, & omni ope & opera, eniteris, vt illi ad bonorum, quæ numquam interire poterunt, & ad veræ libertatis spem exardescant. Hoc tibi valde vehementer exopto, vt ne loco quidem à te sim disiunctus.

*Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* XII.

Quid enim aliud desiderem, cùm te, vt sororem, & sponsam, incredibili amore diligam. nam, vbi primùm in me adspectum retulisti, summi amoris tui incendio exarsi; oculorum tuorum adspectus, & crines tui, cor meum à me euulsum secum detulerunt; & torques colli tui, arctissimè deuinctum retinent. ea est enim mentis tuæ acies, is fidei splendor, & Diuinæ sapientiæ lumen, vt me vehementiùs, quàm quisquam cogitare possit, ad te allicias, & tecum incredibiliter consocies.

XIII. *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa? pulchriora sunt vbera tua vino.*

*Quàm pulchræ igitur sunt mammæ tuæ soror mea sponsa?* Vinum quidem, vt hoc vno nomine omnem epularum suauitatem significem, adspectu oculos delectat, tristitiam pellit, lætitiam affert: verùm, si cum ea doctrina, qua homines ad veræ Religionis officia instituis, comparetur, profectò omnis voluptas sensibus percepta, pro nihilo erit habenda. nam hæc, quæ à mammis tuis, ab antiqua scilicet, & noua Scriptura sacra, disciplina fluit, eos, qui sunt sanæ mentis, ad se mirabiliter trahit; tristitiam, quæ diuersis cupiditatibus animum agitatum dilacerabat, ab eis penitus euellit; & eos expressa & solida voluptate complet.

XIV. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

Quare, cùm olim in omni virtutum genere excellentes multi exstiterint, quorum vita, & mores, veluti suauissimi odores, antiquam illam Ecclesiam mirificè recrearunt, & Diuinæ sapientiæ lumine illustrarunt: illos odor hic, qui è vestibus tuis afflatur, longè superat. nam sancti illi homines virtutis vmbram imitabantur. tu in operibus tuis ipsius honestatis architectum oculis omnium exprimis: oratio, quæ ex ore tuo fluit, non exsecrationibus homines deuincit, sed animis eximiam voluptatem instillat, &, instar lactis, eos enutrit, vt viribus confirmati, sensuum illecebras comprimant, purissima voluptate perfruantur, & Diuini spiritus muneribus circumfluant. Reliquæ etiam actiones, quas suscipis, quarum Diuinis laudibus, vt vestibus ornatissimis, culta ingrederis, sanctissimum nomen meum hominibus manifestè declarant. Thuris enim odore, vbicumque vestigium ponis, omnia comples. Hæc namque animi tui moderatio singularis, incredibilis submissio, inuicta patientia, & inaudita corporis, & animi, castimonia, Diuini mei numinis sanctitatem, robur, & præsentiam, testificantur: Diuinæ enim hæ actiones, ab imbecilla hominis natura, nisi Dei fuisset benignitate, virtute, & ope, stabilita, perfici minimè potuissent.

XV. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*

Sed tu soror mea, sponsa, hortus es muro cinctus, in quem nullus impietati aditus patet, & fons es Diuini patris sigillo quodammodo insignitus, ne pedibus conculcari possis, species namque in te Diuini decoris impressa, nulla vmquam poterit impudicitiæ labe deformari, cuius salutaribus aquis sordes animorum eluuntur, & mentes humanæ ablutæ Diuini patris imaginem referunt.

Emissiones

*Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum: puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* XVI.

Hortus, inquam, es, in quo plantæ omnes ex eo sunt genere, quæ salutares, & suauissimos fructus generant: quemadmodum sunt mala punica, & reliqua poma, quorum suauis est gustus, & adspectus iucundissimus. nec quidem in eo odoriferæ arbores desiderantur. Cyprius enim ibi floret, nardus, & crocus, canna, & cinnamomum, thus, & myrrha, & aloes, & quæcumque sint aliæ arbores in pretio habitæ, miro ordine sunt in eo dimensæ, atque descriptæ: nulla est enim virtutis forma, & species, quæ in te, singulari cum laude, non eniteat. hortorum quidem fontibus te similem facio. quia riuuli tui hominum animis, qui ad omne officij decus erant siccitate aridi, admirabilem attulerunt virtutum fecunditatem. es autem fons perennis, & puteus, vnde, qui velit, aquam possit haurire, quæ immortalitatem bibentibus impertiat: quemadmodum fontes, qui in Libano sunt, quorum aquæ præcipites labuntur, & in vnum alueum confluunt, atque Iordanem fluuium efficiunt, qui tellurem illam antiquis patribus promissam vberem reddit, ita tu gentium coniunctione mirum in modum aucta Iudæam perfidiæ scelere perustam, aquis tuis recreatam, ad omne virtutum genus vberrimam efficies.

---

Hæc ille cùm diceret, ego desiderio vehementer flagrabam; & sic in intimo animi mei sensu loquebar:

*Surge Aquilo, & Veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius. veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* XVII.

Excitare, Aquilo, & tu quoque, Auster; & hortum hunc perpetuo flatu vterque permulce; vt nulla sit terræ plaga, ad quam illius odor suauissimus non penetret; vt tandem sponsus meus arborum, quas inseuit, fructus percipiat, & vbique pietas vigeat, iustitia moderetur, modestia animorum impetus coerceat, caritas animos omnium ad Diuinæ mentis imitationem arctissimè deuinciat.

---

Ille autem institutam semel orationem hac ratione prosequebatur.

ARGV


# ARGVMENTVM IN CAP. V.

*Quanta sit vis amoris, & quonam modo animos afficiat, in sponsa nobis Salomon ita describit, vt nihil suprà esse posſit. Dormit, & vigilat: in sinum sponsi, & complexus, venire, ardenter cupit & timet: ianuam, vt aperiat, ille rogat, ipsa sibi impedimenta opponit: ille ad fores adsistit, ipsa desiderio flagrat, & ianuam aperit, ad complexus currit: quem non inueniens, omnia lustrat, omnia inuestigat, nihil timet, nihil sibi est impedimento, quominus eum diligenter quærat. fœminas, quibus sit obuiam, appellat, eis, quo in statu sit, explicat, & vir suus, quam sit pulcher, verbis elegantiſſimè depingit: seque ab eo diligi; & illum à se amari, prædicat.*

---

## CAPVT QVINTVM.

VERS. I. *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini cariſſimi.*



N hortum hunc, de quo loquor, soror mea, sponsa, veni, te enim Horti vocabulo meritò vsurpandam censui, quia virtutum omnium ornamẽtis circũfluis. inseui in eo myrrham, quam virentem, & quodammodo pubescentem, atque grandescẽtem, singulari cum voluptate, adspiciebam, non enim fuit inanis labor ille meus, quem sumpsi, vt homines sempiternæ morti obnoxios, immortalitate donarem. ad illam namque consequendam omni animi studio multi exardescunt, ex quo, quasi surculo, reliquæ omnes virtutes oriuntur. nihil quidem mihi dulcius in vita fuit, aut iucundius, quàm in eo totis viribus pugnare, vt hortus hic ad Diuini patris voluntatem diligenter coleretur. hoc pabulo me sustentabam, & incredibilem salutis humanæ sitim, qua excruciabar, hoc potu liniebam, mel igitur meũ è fauo expressum gustaui: vinum cum lacte bibi. singulari enim sum voluptate perfusus, cùm myrrham, & reliquarum arborum odoriferarum fructus collegi, nempe puriſſimæ religionis tuæ sanctitas, & immortalitatis studium Diuinis muneribus cumulatum mihi gratiſſimum exsistit. Vos autem, quos mecum summus amor coniunxit, hortor, vt hoc Diuino pastu, & potu, mentes vestras nutriatis, & illius desiderium in vobis numquam languescat, sed in dies augeatur. non enim fastidium parit, sed sitim & famem pellit; & cupiditatem vehementiùs excitat. vsu enim illius mitis acceſſionibus voluptas amplificata percipitur.

Cùm

Cùm multiplex ſit amoris vis, multiplici quoque & vario dicendi genere eſt opus, vt illa explicari poſſit. Animum enim, pulchri ſpecies obiecta, ad illius deſiderium exſuſcitat: deſiderio afflictum ſpe ſubleuat, ſperantem impellit, vt labores omnes, & mortis pericula, deſpiciat, vt, quod amat, aſſequatur. nihil eſt enim amore vehementius, nihil, quod magis iners & deſidioſum otium indignè patiatur. In lectulo ſuo ſponſa, cùm ſpõſum non inueniſſet, eum omni ſtudio quæſiuit: mulier pudica, natura imbecilla, viribus infirmis, Vrbis frequẽtiam non vitauit, ſolitudinem non horruit, pericula contempſit, vt illius adſpectu frui poſſet. Amor præterea amantem à ſeipſo in eum transfert, quem amat. quare, vt quiſque in amore progreditur, ſeipſum ad formam alterius immutat. nihil enim maiori ſollicitudine curat, quàm ei ſummopere placere, quem ardenter diligit. Sunt autem hæ amoris progreſſiones, & quidam veluti gradus, quibus ad ſummam Diuini amoris adſcendimus: quæ in eo maximè conſiſtit, vt à ſenſuum conſuetudine, quantum fieri poſſit, ànimum ſeuocemus. Eſt enim ſenſus amori impedimento, & illius curſum, quo animus humanus rapitur, vt ei, quem amat, copuletur, vel lenocinijs, & illecebris, retardat, vel furibundo impetu conatur inflectere. Verùm Amor (non de illo loquimur; cui hominum furor, & amentia, Amoris nomen impoſuit) omnia ſuperat, ſenſuum conatus reprimit, imperio coërcet, &, ne vltra præſcriptos ſibi terminos excurrant, lege deuincit. Quamobrem Amans nocte in ſomnis clarè videt, iucundè audit, luculenter diſſerit, ſe excitat, quem amat, inſectatur; diſcurrit, ærumnas perfert, calumnijs ſcinditur, tormentis cruciatur, tandem, quod ardenter concupiſcit, feliciter adipiſcitur, voluptate cumulatur, & gaudio triumphat. Hanc de Amore

Iners & deſidioſum otium indignè patitur Amor.

philoſophiam Salomon alio dicendi exordio eleganter explicat. Sic enim ſponſam loquentem inducit:

II. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Præclarum quidem eſt, & excellens, in generis humani ſalute procuranda, Deum imitari. & hoc officij munus illius ſummæ benignitati, & ardentiſſimæ caritati, debeo, ærumnis tamen opprimor, & acerbiſſimo doloris ſenſu afflicta iaceo: ſenſus dolorem fugit, & mortem perhorreſcit. quamobrem, quaſi graui ſomno occupata, ab officio perſoluendo retardabar: animus tamen, ea cura ſollicitus, noctes peruigilabat.

III. *Vox dilecti mei pulſantis, Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.*

Quem ille ſpiritus ſui appulſu excitauit, ianuam meam pulſauit, non quidem infregit, ſed fœderis percuſſi fidem flagitabat: Sic igitur mecum in intimo animi mei ſenſu loquebatur. Si ſanguinis eſt habenda ratio, vt conſanguineis, quod aliis negamus, libenti animo concedamus, ego humanam formam ſumpſi, vt ab eodem, quo tu, parente originem ducerem; & te in filiam Diuinus Pater ſibi adoptauit. Deinde, ſi amor ab inuitis etiam beneficia extorquet, & aliquem apud te locum habet, meum animum erga te ardentiſſimo amore incenſum exploratè cognoſcis. Soror ergo, & amica mea, ianuam mihi aperi: columba mea, nulla adulterij labe contaminata, hoc à te impetrem,

Amor ab inuitis etiam beneficia extorquet.

IIII. *Quia caput meũ plenũ eſt rore, & cincinni mei guttis noctiũ.*

Vt cùm ſit in orbe terrarum pietas exſtincta, ſummóque ſcelere effectum, vt nullus ſit locus mihi relictus, & ſub dio pernoctem, animum excites, & hoc in loco, in quo verſaris, minimè inſiſtas, ſed neruos omnes intendas, vt omnes hominum nationes tibi ſanctiſſimo fœdere deuincias. nam caput meum eſt rore madefactum, & cincinni mei madent. Impietatis enim nox denſiſſimas tenebras gentibus effudit, in quibus ingratè nimis ego ab illis excludor, qui vitam illis benignè tribui, & inania quædam numina ſibi adſciſcunt, quæ mihi bonorum omnium auctori præponant. Niſi igitur mihi ianuam aperias, niſi aures mihi beneuolè præbeas, & ea, quæ ſæpius à te poſtulaui, mihi præſtanda iudices, & in eo officio ſoluendo operam ſtrenuè naues, ſuperſtitio in ſumma omnium veneratione erit; ego verò in tenebris verſabor, & pietas proſtrata conticeſcet. His ille verbis animum meum ad ſuſceptum ſemel prædicationis ſtudium commouebat.

V. *Exſpoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Verùm, cùm iam inter gentes acerbiſſimos tormentorum omnium cruciatus

ciatus sustinuerim, instar lautè educatæ mulieris, sic mecum animo cogitabam: Vestem exui, quomodo illam in multæ noctis tenebris induam? pedes à sordibus ablui, eos nunc inquinabo, vt amatoris voluntati parum opportuno tempore satisfaciam?

*Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* VI.

Dum me hic insitus in natura sensus distineret, manum suam ille, quem tantopere diligo, per ostij foramen emisit, vt illud sibi aperiret; fidei obedientiam, per quam illi ad me aditus patebat, instinctu suo vehementiùs concitauit. quod vbi primùm sensi, animus meus, vt mare ventis agitatum, amoris vi commoueri cœpit:

*Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt locutus est: quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi:* VII.

&, quantam potui celeritatem suscepi, vt ostium illi aperirem. dum verò festinabam, vnguentum, quo, inter amplexus, eum perfundere cogitabam, fracto vase, è manibus meis diffluxit. Vehemens est enim Diuini amoris impetus, cùm sit otij impatiens, & acres ad præclara opera perficienda, quæ omnium odorum suauitatem longè superant, animis stimulos adhibeat: ostium patefeci, sed illum non inueni. quod ad voluntatem meam erga illum attinet, testor animum meum, cùm ille loquebatur, quodammodo liquefactum diffluxisse, & cum eo fuisse conglutinatum, ac me penitus deseruisse. Illum igitur quæsiui; illum vbique inclamaui; me in gentes illius amor longiùs prouexit; at ille non statim mihi ad gentes occurrit. erat enim peccati imperium fundatissimum; & ideo non facilè exscindi poterat.

Vehemens Amoris diuini impetus, & otij impatiens.

*Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem; percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* VIII.

Cùm verò in eo, quod aggressa fueram, perseuerarem, illi, qui rerum publicarum curam gerebant, ac si ego perniciem rebus inferrem, me plagis dilacerarunt, & variis tormentis immanissimè excruciarunt. Vt verò nullũ esset malorum genus, quo non afficerer, veste me spoliarunt, innocentiam meam calumniis oppugnarunt, & fraudes omnes adhibuerunt, vt omnium animos à me alienos redderent. Hanc acerbissimam vitæ conditionem non solùm æquo, sed libenti, animo sustineo, vt illum apud gentes omnes inueniam,

cuius desiderio tam vehementer excrucior.

IX. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.*

Vos ergo, gentes, obtestor, vt, si ad illum vos, vt decet, omni studio colendum conferatis, per vos, amoris mei magnitudo quanta fuerit, testatum sit. quid enim vmquam egi, aut designaui, quod amoris vim maximam non demonstret? Neque tamen deerant, qui me non omnino spernendam esse putarent, & apud me in hanc sententiam orationem instituebant.

X. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?*

Philosophi, cùm eleganter, & copiosè de virtutis splendore multa disputent, illorum vita neque est virtutum ornamentis exculta, nec hominum animos à libidine ad honestatis studium seuocant. Tu, cùm ieiunè, & parum politè, dicas, ita de virtute disseris, vt in tuis moribus illius lumen mirabiliter splendeat, & homines ab inueterata peccandi consuetudine ad vitæ sanctimoniam traducas. quare de te mirificè loquimur, & sentimus: illúdque pleno ore affirmare non dubitamus, te valde vehementer omnium Philosophorum sectis excellere. Quamobrem, cùm inter illas tantùm præstes, ille quoque, quem tam vehementer amas, reliquis hominibus qui virtutum laude floruerunt, & Diis, quos veneramur, antecellet. hunc, quæso, nobis in conspectu pone, verbis describe, &, qua potueris, ratione illius formam nobis exprime: si quidem apud nos tam graui oratione fuisti de amore tuo erga illum testata. Quibus ego:

XI. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.*

Prudenter, inquam, de illo iudicium fecistis. nam, siue ad humanam illius speciem adspectum referatis, siue ad Diuinæ naturæ maiestatem contemplandam animos intendatis, omnibus rebus, quas vel diligitis, vel cum admiratione suspicitis, est ille longè præponendus. Vna verò, & eadem opera, vtramque illius speciem vobis adumbrabo. ea est enim illius corporis forma, vt in ea insitæ Diuinitatis splendor eluceat. Est autem ille candidus, & rubore venustè perfusus. immensa enim illius bonitas, qua omnia nutriuntur, est cum iustitiæ splendore coniuncta, veluti candor rubore permixtus, vt, quæ benignè in genus humanum beneficia confert, ea in ordinem, ad hominum vitam & sui nominis gloriam, aptum redigat: ab eo autem animus humanus omnem decori & honesti rationem delibatam habet.

XII. *Electus ex millibus.*

Nam omnes, qui ab initio rerum, veræ virtutis, & pulchritudinis, laude florue

floruerunt,&,dum res humanæ permanſerint, his ornamentis exculti exſtiterint,non ſolùm infinito interuallo ſuperat,ſed illis lumen præfert,& inſtar vexilli, eminet, vt ad veram pulchritúdinem conſequendam, ſi velint eius veſtigia perſequi,à via non aberrent.

*Caput eius aurum optimum.* XIII.

Caput eius ita concinnè ſupremum totius corporis locum obtinet, vt ex auro affabre factum,inſtar gemmæ ſummi pretij,eſſe videatur;& ſumma ſapientia pollet,& Deum parentem habet.

*Comæ eius ſicut elatæ palmarum,nigræ quaſi coruus.* XIV.

Cincinni eius ſunt, vt palmarũ fructus, cùm primùm è vaginis erumpũt, & corui nigrorem referunt. nam de ipſa morte ſuperanda,& generis humani libertate conſtituenda, eas cogitationes ſuſcepit, quæ denſiſſimis tenebris inuolutæ,omnem cæleſtium etiam mentium intelligentiam ſuperant.

*Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum,quæ lacte ſunt lotæ,& reſident iuxta fluenta pleniſſima.* XV.

Oculi eius,vt columbæ,ſimpliciter,& ſaluti hominum amicè,mouentur; non callidè, & fraudulenter, diuerſis nutibus torquentur: quemadmodum riuuli; quorum ripæ arborum viriditate veſtiuntur, adſpicientibus ſunt gratiſſimi; ita eſt illorum adſpectus venuſtus, & iucundus:nam pupillarum color, vt naturæ ratio maximè poſtulat, eſt niger,& albo colore concinnè circumſeptus: acies verò ita eſt inſita,vt locum ſuum mirificè compleat,vt nihil in illis ſit inuenuſtè depreſſum,aut parum eleganter emineat. nihil enim eſt, in quod prouidentia illius non penetret; cui non benignè prouideat; quod bonis naturæ cuiuſque conſentaneis non expleat.

*Genæ illius ſicut areolæ aromatum,conſitæ à pigmentarijs.* XVI.

Genæ,leuiter eminentes,illarum arearum formam exprimunt, in quibus herbæ odoriferæ ab illius artis peritis hominibus ſingulari ordine diſtinctæ, ita collocantur, vt diuerſæ rerum ſpecies in eis exſtent,quæ & oculos delectent,& odoratum mirificè deleniant.nam,dum in genus humanum adſpectum refert,illud infinitis & ſempiternis bonis cumulat; quæ fideles hominum mentes ex ſacra Scriptura copioſè hauſta ſibi congerunt. In ea enim inuolutæ Diuinitatis ſuæ notitiam hominibus aperuit.

*Labia eius lilia diſtilantia myrrham primam.* XVII.

Labia, perfuſo rubore,vt lilia, ſuauiſſimum myrrhæ odorem diffundunt; ex illo enim pectore Diuinus quidam halitus afflatur, & ex illo ore oratio fluit, quæ hominum generi, mortali, & caduco,æternitatem & immortalitatem donet.

XVIII. *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.*

Manus eius ſunt veluti orbes quidam aurei, gemmis ſummo artificio diſtincti. præclaræ enim actiones illius, & opera admiranda ſanctiſſimum illius numen manifeſtè declarant.

XIX. *Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris.*

Venter, eſt inſtar vaſis ex ebore affabre facti, & ſapphiris ſingulari ſummi artificis opera in eo incluſis ornati. nam, rerum omnium cùm ſit conditor, admirabilem quandam mentibus humanis fecunditatem affert, qua illæ fecundæ vberrimos, corporis ſanctimoniæ, priſcis hominibus inauditæ, & cæterarum virtutum omnium, fructus gignunt. omnia enim bona benignitatis illius gremio continentur.

XX. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.*

Crura, veluti colũnæ marmoreæ, in aureis baſibus poſitæ, corpus ſuſtinent. nulla enim tam vehemens laborum tempeſtas poterit excitari, quæ Chriſtiani nominis virtutẽ, vera atque incenſa fide nixam, poſſit loco dimouere.

XXI. *Species eius vt Libani, electus vt Cedri.*

Vt denique mons Libanus, conſitis nemoribus, oculos vehementer oblectat; & Cedrus inter arbores longè præſtat; ita ille eſt forma pulcherrimus, & omnibus hominibus valde vehementer præferendus;

XXII. *Guttur illius ſuauiſſimum.*

& orationis ſuauitate admirandus.

XXIII. *Et totus deſiderabilis.*

Illud autem apud vos ſit pro comperto, nihil in eo reperiri, quod non ſit ſumma laude dignum, quod ab hominibus appeti, quod amari, & deſiderari non debeat. vt de eo ſit affirmandum, quòd ſit ipſe nihil aliud, niſi deſideriũ. Quare quidquid ab eo eſt ſeparatum, neque veri boni rationem obtinet, vt appetatur; nec pulchritudinis, vt ametur.

XXIV. *Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Hieruſalem.*

Hæc eſt, ô gentes; pulcherrima illius forma, & ſpecies, quem ſummopere diligo, cum quo ſempiternũ ſocietatis & amicitiæ, fœdus iniui, quo vos quoque adſtringi nuncupatis votis exopto. Aliqui ex gentibus nõ parũ hac oratione mouebantur, quamuis à ſenſus iudicio mentem non omnino ſeuocaſſent. quare aiebant.

Quò

*Quò abiit dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?* XXVI.

Quò abiit ille, quem diligis? in quam orbis partem discessit? Cùm enim pulchritudine toto interuallo omnes superes, animos nostros tibi vehementer deuinxisti. hoc igitur à te enixè contendimus, vt nobis exploratum esse velis, quem in locum ille sese contulit. quamuis enim sit longissimo à nobis interuallo disiunctus, eum adire conabimur, & tibi operam nostram in illo quærendo pollicemur.



## ARGVMENTVM IN CAP. VI.

*De amore sponsus præclara disserit. Amor ad sponsam eum trahit, & volare cogit. Pulchritudinem sponsæ mirificè laudat. Quò ipse discesserit, & discessus sui causam refert. Ob illius discessum, quo fuerit affecta dolore, & quo eum fuerit studio prosecuta, sponsa commemorat.*

## CAP. VI.

*Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* VERS. I.

ILle, ô gentes, quamuis omnium rerum naturas præsens coërceat, & in eas infinita virtute penetret, post Religionem, quæ ferè erat extincta, sanctiùs instauratam, & post generis humani libertatem sanguine suo constitutam, hinc, veluti ad hortum quendam, qui floribus sit distinctus, herbarum viriditate iucundus, frondibus opacus, & fructuum omnium copia, quæ numquam absumi posit, affluens, in cęlorum fastigium subiit, vbi ipse, ab omniũ sæculorũ æternitate, omni voluptate perfunditur, & suos bonis numquã interituris pascit. Meritorum enim suorum sanctitate illud est assecutus, vt mortalibus in cælum aditũ patefaceret, lilia colligeret, quibus eos, quos secum fœdere coniunxit, ornaret, & Diuinæ dignitatis participes efficeret. In cęlestes igitur illas sedes est vobis omni studio intuendum, illuc iter instituendum, si ad illum perueniire concupiscitis.

Hac cælesti doctrina Christi Ecclesia erudiebatur: & vt in amatoribus cernimus, cùm alteruter abest, alteri sui desiderium relinquit. sic in maximis illa laboribus constituta, illius desiderio vehementer cruciabatur., & amoris, quo flagrabat, magnitudinem

verbis

verbis explicabat, quam Diuinus Christi spiritus, appulsu suo, mirificè recreabat. Sic igitur illa:

II. *Ego dilecto meo. & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.*

Quantus verò sit inter nos amor, ex eo satis manifestè perspici potest, quia ego omnes meas cogitationes ex illo suspensas habeo, & ille omnia, quæ agit ad salutem meam & gloriam, confert.

III. *Pulchra es amica mea, suauis & decora, sicut Hierusalem: terribilis vt castrorum acies ordinata.*

Pulchra, inquit ille, es, amica mea, suauis, & iucunda, Diuinisque muneribus cumulata, vt olim Hierosolyma, cùm cæteræ nationes in ignorantiæ & superstitionis tenebris versabantur, Diuinarum rerum scientia, & religionis sanctitate, floruit; ita nunc, ea excisa, & solo æquata, tu veræ sapientiæ & sanctimoniæ laude excellis; &, quemadmodum illa cùm Regum suorũ imperiũ vigebat, templi magnificentia, ædificiorum elegãtia, turrium & mœnium altitudine, ciuium frequentia, inter omnes Orientis vrbes longè præstabat, & singulari cum imperij dignitate in ore omnium versabatur, sic tu omnibus, qui in te oculos adiiciunt, pulcherrima appares, &, insitæ honestatis decore, ad tui reuerentiam & obseruationem animos inducis. quo fit, vt ea, quam habes in oris specie, venustate, me tibi arctissimè deuincias; & eximia quędã, quæ in te elucet, dignitas singularem tibi apud reliquos homines afferat auctoritatem. Sicut enim instructa acies, in qua milites, nulla hostium impressione turbati, ordinem minimè deserunt, inuicta permanet, & terrorem hostibus iniicit, sic tu, cùm numquam ab honestatis via deflectas, & petulantiũ libidini inuicta virtute obsistas, eam venerationem habes, vt petulantiùs in te oculos coniicere reformident; omniumque tyrannorum, qui fidem tuam acriter oppugnãt, conatus reddis inanes & vires infringis. nihil est enim incẽsa fide constantius, nihil iusti animi pulchritudine amabilius, quæ in animos ita penetrat, vt eos singulari voluptate perfundat, & secum mirum in modum conglutinet.

IV. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.*

Quare enixè obsecro, vt oculos tuos à me dimoueas. Quamuis enim nihil magis cupiam, quàm vt in me semper respicias, adeo tamen venustè illos ad me conuertis, vt, dum ex illorum adspectu eximiam suauitatem percipio, vim quoque mihi inferri sentiam, cui ad resistendum vires me omnino deficiant. liquefactus enim quodammodo amoris incendio, me ipsum desero. nam, cùm essem, ab omni sæculorum æternitate, immortalis, hominis mortalis conditionem subiui, innumeris malis obnoxium ita me abieci, vt nihil mihi esset iucundius, quàm tibi gratum esse, à me vehementer amari.

non

non potuit igitur amoris vis maior vnquam excogitari, neque vnquam oculorum acies pulchrior exſtitit; neque fidei ſplendor illuſtrior.

*Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.* V.

Neque quidem cæteræ corporis tui partes ab illis inconcinnè diſſentiunt. Capilli namque tui ſunt eleganter compti, vt caprarum, quæ in monte Galaad paſcuntur, pili eſſe ſolent longiores, & omnium aliarum pilis nitidiores.

*Dentes tui ſicut grex ouium, quæ aſcenderunt de lauacro omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.* VI.

Vt oues ablutæ, dum valde nitent, quæ multiplices fœtus procrearunt, quibus intra ſe collectis ſingulari ordine ad paſcua ingrediuntur, ſic dentes tui, & miro ſunt ordine à naturæ auctore inſiti, & colore niteſcunt.

*Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ abſque occultis tuis.* VII.

Genæ tuæ, vt cortex mali punici, intra leuiter ſupra eas fluentes cincinnos rubent.

*Sexaginta ſunt reginæ & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus.* VIII.

Plurimæ ſunt quidem matresfamiliâs, quarum laus eximia exſiſtit. Pellices quoque, feminæ inquam viris principibus matrimonio coniunctæ, quæ in manum non conuenerunt, plurimæ in ore omnium pulchritudinis opinione verſantur: aliarum verò, quæ nullo matrimonij fœdere tenentur, numerum nemo poterit dicendo explicare. His autem omnibus te valde multum præfero. ſunt enim iam ab initio rerum diuerſæ hominum ſectæ, & religiones multiplici ritu inſtitutæ, quarum plurimæ, quamuis ob præclara in naturæ totius molitione, & conſeruatione, opera, quæ molior, fuerint inductæ, ſunt tamen omni ſcelere imbutæ. quæ verò ſunt ad legis in natura inſitæ normam informatæ, vt pellices mihi gratæ exſtiterunt; verùm matrimonij fœdus ſanctiſſimum cum Abrahamo, & illius poſteritate, contraxi: quam, conciſione carnis inſignitam, mecum ſingulari ritu coniunxi, & poſtea, lege multis prodigiis edita, eam mihi arctiùs deuinxi. Si igitur pellices, & vxores, conſideres, illas naturæ tantùm lege adſtrictas, has autem, pelliculæ exciſione, & cærimoniis quibuſdam, fuiſſe mihi deuinctas adſpicies. at te proprio ſanguine mecum copulaui, quam vnicè amarem;

*Vna eſt columba mea, perfecta mea: vna eſt matri ſuæ electa genetrici ſuæ.* IX.

&, vt columbus ſemel cum columba amorem inſtitutum in aliam minimè

transfundit, sic ego indissolubili sum tecum amoris vinculo adstrictus: illa quidem antiqua Ecclesia, vt tempora postulabant multa imbecillitatis & infirmitatis signa continebat, tu verò es omnibus numeris absoluta, & vnica Ecclesiæ antiquæ filia. te enim illa diuersis ritibus, & cærimoniis, & admirandis prodigiis, atque Prophetarum effatis, instructa, quasi in vtero gerebat, & felicissimo tandem partu edidit, ab omni ægritudinis in lege insitæ contagione liberam.

X. *Viderunt eam filiæ & beatissimam prædicauerunt: reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.*

Filiæ igitur, iuuenes inquam fœminæ, hoc est, gentes superstitionibus variis agitatæ, cùm te adspicerent, summis te laudibus efferebant. Quid de Reginis, & de concubinis, dicam, in quibus legis naturæ studium vigebat, aut Abraham fidei specimen, & scriptæ legis ad solidam veritatem institutio, elucebat? Hæ enim omnes in tui nominis prædicatione omne studium & vitam consumere cupiebant: omnes autem in tuis laudibus celebrandis singulari voluntate consentiunt: quod est summæ pulchritudinis tuæ argumentum. nihil enim fœminis potest acerbius euenire, quàm alterius pulchritudinis splendore quodammodo obrui, & in silentio iacere. verum de te ipsæ ornatissimo orationis genere luculenter prædicant. sic enim inquiunt:

XI. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?*

Quæ est ista, quæ, instar auroræ oculis nostris apparuit? ea namque est illius pulchritudo, vt, cùm in luce versari videremur, in noctis tenebris nos fuisse iam nunc exploratè cognoscamus. pulchra est vt luna. nam iucundissima luce caliginem ab oculis dispellit; nullis pigmentis, nullo fuco, hanc pulchritudinis laudem est assecuta. nec in hac vitæ ornatissimæ specie, atque forma, inest leuis aliqua simulationis nota. est enim, vt Sol, ab omni huiuscemodi sceleris labe pura, & integra; atque, vt acies militũ [illegible]ortium singulari ordine instructa, hostium impetum propulsat, & illis timorem infert, & pulcherrimum oculis spectaculum præbet. quidquid enim suæ pulchritudini maculam possit inurere, à se longè repellit, & hosti generis humani sempiterno metum incutit; quo debilitatus, videt imperium sibi è manibus extorqueri, quod summo scelere occupauerat: hominibus verò maximam lætandi caussam affert, tum propter libertatem, exstincta durissima tyrannide, constitutam, tum propter virtutum omnium elegantiam, qua illam Diuinitus excultam perspiciunt.

---

Hæc cùm de laudibus illius dixisset, discessus sui, de quo illa grauem querimoniam habuerat, rationem reddit.

*Descendi*

*Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica.* XII.

Ego, inquit, in hortum nucum abij, vt, cùm temporis conditio illud iam efflagitaret, pomaria, & vineta, lustrarem, & viderem, si vineæ gemmas emisissent, & malorum punicorum arbores floruissent, vt non mediocrem inde voluptatem caperem. Vt enim à Palæstina discederes, sum te valde vehementer hortatus, & vt ad gentes iter institueres. nam tempus prædefinitum aduenerat, quo homines, à vera Religione abhorrentes, illam, quam tenuerant, viuendi rationem detestarentur, è scelerum omnium voragine emersi, Deo honores adhiberent, sacrificia offerrent, &, singulari inter se caritate coniuncti, officium suum egregiè tuerentur. Cùm primum igitur tu mihi ostium aperuisti, ego in hunc nucum hortum, vbi nihil non amarum, ob peccati contagionem, reperiebatur, me contuli, vt, quidquid inerat, amari eiicerem, & dulcia supponerem vt, peccati iugo à gentium ceruicibus deiecto, veræ virtutis dulcedinem sentirent.

*Nesciui: anima mea non turbauit me propter quadrigas Aminadab.* XIII.

Ego quidem, inquit sponsa, quò iter meum dirigerem, vt te inuenirem, nesciebam. omnia enim itinera mihi dubia erant, & non mediocre ruinæ periculum *propter quadrigas*, id est, principum opes & vires, ostendebant: cuius percepta animo cogitatio me ob potentiam, qui petulanter aduersus honestatem agunt, timore affecit: verùm, vt te quærerem, nulli me itineri non commisi in Orientis & Occidentis Solis regiones, & in eas, quæ ad Austrum, & ad Septemtriones, sunt, tanta celeritate peruasi, vt quadrigas hominum principum celeritate superarem.

---

Hæc de studio, quo Ecclesia, vt mulier carissimum sibi virum, qui, quo in loco consistat, minimè nouit, vbique, amore incensa, quærit. Nunc illorum hominum studia, ad quos illa primùm peruenerat, Salomon ostendit. Sic enim eos, dum illa ad alios, vt virum suum inueniat, iter pararet, loquentes inducit.

*Reuertere reuertere Sulamitis: reuertere reuertere, vt intueamur te.* XIIII.

Ne tantam, ô Sulamiti, in suscipiendo itinere curam adhibeas; nec nos

discessu tuo excrucies: cùm enim, & cælestis Salem te genuerit, & veri Salomonis sis vxor, vnde tibi Sulamitidis nomen imponendum duximus, fieri non potest, quin multo maius sit pulchritudinis tuæ decus, & ornamentum, quàm est illud eximium, quod primo adspectu in te elucere perspeximus. Istud igitur itineris studium remitte, vt pulchritudinis tuæ splendore diutius oculos nostros pascas, & mentes nostræ, in tui consideratione infixæ, multo maiorem de rebus Diuinis notitiam percipiant.



## ARGVMENTVM IN CAP. VII.

*Qui sponsam paulo attentiùs intuebantur, illius pulchritudinem, summis laudibus efferunt: idque ex more gentis similitudinibus confirmant. Illa tamen, ijs minimè laudibus commouetur. solùm enim, quo eam vir suus diligit, amoris commemoratione delectatur: idque in animo, & in ore habet: eum desiderat, eum appellat, eóque inuitat, vbi, quidquid summus amor postulat, ei exhibere posit.*

## CAPVT SEPTIMVM.

VERS. I. *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?*



QVID, inquit illa, admiratione dignum in Sulamitide videri possit, quod ita vestros animos alliciat, vt hinc, & inde, veluti canentium ordines, eam circumseptam teneatis, minimè perspicio. nihil enim mihi arrogo, nihil assumo: cùm omne pulchrum, & honestum sit in Dei muneribus numerandum; nisi fortè in me Diuinæ benignitatis beneficium, & munus, admiremini, quo me, inuicto virtutis suæ robore, aduersus tyrannorum conatus stabiliuit, & me, quasi castra quædam, ad peccati tyrannidem opprimendam, opportunis in locis collocauit.

Verùm, quanto maius in muliere pulchra, modestiæ decus elucet, tanto magis in ea pulchritudinis eximiæ splendor enitet, & vehementiùs omnium animos ad illius prædicationem excitat. omnes enim modestiæ laude ducimur, quia neque pulchrum neque honestum sine moderatione esse potest. quare hi, qui Ecclesiæ singularē animi moderationem attentiùs considerant, ad laudes illius celebrandas acriter incitantur. Sic igitur inquiunt.

Quàm

*Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis!* II.

Quis ingreſſus tui venuſtatem, ô filia Principis, & calceamentorum, quibus induta ingrederis, ornamenta poterit dicendo explicare? Quis enim celeritatem illam, qua in omnes gentes peruaſiſti, & actionum, quas ſuſcepiſti, laudes omnes poterit celebrando commemorare?

*Iuncturæ femorum tuorum ſicut monilia quæ fabricata ſunt manu artificis.* III.

Femora tua adeo eleganter ſunt tibijs connexa, vt commiſſuræ, ex quibus illa cum tibijs iunguntur, monilia quædam ſummi alicuius artificis opera perfecta eſſe videantur; quod ad eam laudem pertinet, quam tibi vitæ tuæ curſus tribuit. quocúmque enim ingrederis, Diuinæ ſapientiæ lumen diffundis.

*Vmbilicus tuus, crater tornatilis, numquam indigens poculis.* IV.

Vmbilicus tuus, qui tibi in materno legis veteris vtero incluſæ nutrimentum ſuppeditabat, præciſus, crateris, qui optimum intra ſe vinum continet, formam refert. non enim, vt antea, inſtar ſerui, timore ſalutem tuam tueris, ſed, incredibili caritatis incendio flagrans, vt omnium hominum animos Diuinis muneribus affluentes efficias, nullum eſt tantum vitæ periculum, quod non ſubeas.

*Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs.* V.

Hæc caritatis vis magnam tibi fecunditatem dedit, effecítque, vt venter tuus eſſet veluti aceruus tritici, lilijs circumuallatus. nam eam ſementem feciſti, ex qua vbertimas fruges fundi conſpicimus. Qui antea inanes quaſdam honeſti vmbras ſummo ſtudio ſectabantur, & fame miſerè cruciabantur, nunc, à te mira ratione in lucem editi, ſolido & Diuino paſtu ſatiati; vt lilia quædam, odorem ſuauiſſimum afflant, &, virtutis exemplo, homines ad honeſtatis ſtudium excitent.

*Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.* VI.

Vbera tua ſicut duo agni recenti partu geniti, amorem valde conciliant. nam venuſtè ſatis æquali eminent magnitudine, & Diuini Spiritus afflatu quodammodo turgent, quibus prolem mirificè alis, atque ſuſtentas.

*Collum tuum ſicut turris eburnea.* VII.

Collum tuum, vt turris eburnea, concinna quadam, & cum cęteris corporis partibus apta proceritate in altum extollitur. incenſæ namque fidei tuæ, & Diuinæ diſciplinæ decus, cum eximiæ pudicitiæ candore, viam tibi in cælum

ab hostium incursionibus securam reddit;& reliquis hominibus eam præclarè munit.

VIII. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.*

Oculi tui, vt fontes illi exsistunt, qui sunt in Vrbe Chesbon regionis Galaad,prope portam Bath rabbim,magnitudine,& aquarum copia,atque opere lapideo,insignes.quæ enim mentis acie,fidei lumine illustratæ,rerum Diuinarum mysteria percipis,ea gentium multitudini pandis, quam, haustis è cælo salutaribus aquis,foues,& recreas.

IX. *Nasus tuus sicut turris Libani,quæ respicit contra Damascum.*

Nasus tuus, vt turris Libani, quæ domus saltus dicitur, & est versus Damascum,oculis interiectus,faciem tuam eximij decoris accessione pulchriorem reddit. vitæ enim tuæ rationem valde multùm illustriorem efficit singularis tua in omni officio rerum,temporum,& personarum,distinctio.

X. *Caput tuum vt Carmelus.*

Vt Carmelus mons inter alios illius regionis montes longè præstat, tum ob nemus consitum, tum etiam ob nimiam aliarum rerum vbertatem: sic caput tuum, Diuinis ornamentis excultum, cælestibus etiam mentibus excellit.

XI. *Et comæ capitis tui,sicut purpura regis vincta canalibus.*

Vnde tibi duo,præter alia præclarissima ornamenta,proficiscuntur: alterum est,coccineus iste instar purpuræ diligenter ablutæ,& ortè comparatæ, eximiæ caritatis,ardor; alterum est, summus præpotentis Regis in te amor, qui illum adeo vehementer tenet, vt is cincinnis istis tuis, qui canalium speciem venustè exprimunt, (nam caritas tua,in riuulos quasi quosdam deducta,gentes peccati ardoribus exustas reficit)ligari cupiat.

XII. *Quàm pulchra es,& decora carissima in delicijs.*

Quàm admirabili denique pulchritudinis splendore, ô carissima fulges? quibus & quantis,voluptatibus affluis?

XIII. *Statura tua assimilata est palmæ,& vbera tua botris.*

Corporis tui forma,figura,& statura, est adeo ad dignitatem apposita, vt hac in laude palmam longè superet; & sicut palmarum botri vbera tua turgent.humani enim generis caritate omnium tyrannorum immanitatem obteris,& de illa amplissimè triumphas.

Dixi,

*Dixi, Adſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* XIV.

Cùm igitur, natura duce, omnium animis pulchritudo amoris incendium implicet, illud ſecum vnuſquiſque noſtrum decreuit, vt animum tuum omnibus modis tentaret, ſi fortè amorem tuum ſibi conciliare, & te frui poſſet, quam ſibi fore bonis omnibus ſuauiorem ſperabat, & ſic gentium cœtus in animi ſui receſſu orationem inſtituebat: In palmam hanc adſcendam: illius diſciplinæ inſtitutis adhærebo; & ſuauiſſimo ſapientiæ fructu veſcar; vt præclariſſimi de hoſte immaniſſimo triumphi particeps efficiar, & animi famem depellam, qua tabeſcebam.

*Et erunt vbera tua ſicut botri vineæ & odor oris tui ſicut malorum.* XV.

Et erunt mihi vbera tua, vt vitis gemmæ, & adſpectu gratia, & fructu iucunda. nihil enim hac tua in genus humanum caritate, vel illuſtrius, vel amabilius eſſe poteſt. Spiritus, quem per nares emittis, mihi erit omnium pomorum odore ſuauior.

*Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad ruminandum.* XVI.

Quidquid verò ex ore tuo exibit, eam afferet voluptatem, quam optimum vinum (quale eſt illud, quod diligentes matres familias viris ſuis ad bibendum ſeruant, cuius vis dormientium labia in varias voces mouet) hominibus mœrore affectis tribuit. eam namque viuendi rationem homines erudis, qua illi inſtituti, nihil à ſenſuum iudicio depromptum in ore habent; ſed quæ ſunt ab hominum intelligentia longè diſtantia, atque ſeparata, nulliſque humanis rationibus confirmata, inſtinctu quodam Diuino excitati, prædicant.

---

Hac oratione Salomon gentium ſtudia erga Chriſtianam Religionem eleganter ante oculos propoſuit; illorum hominum mores exprimens, qui pulchram aliquam ſibi ſpeciem obiectam copulari ſibi ardenter cupiunt: Eccleſiæ deinde, vt pudicæ mulieris, mores, breui oratione demonſtrat: quam ſic loquentem inducit:

*Ego dilecto meo & ad me conuerſio ei.* XVII.

Si tantopere mei deſiderio flagratis, vt dicitis, vos inani ſtudio duci pro comperto

comperto habetote, nisi illius numen veneremini, & totos vos illi tradatis, quem diligo, cuius solùm voluntati obtempero, qui me solam appetit.

---

Hinc aliud dicendi principium sumit, & ad sponsum orationem conuertit, quem, vt fieri solet, animi relaxandi gratia, inuitat, vt, Vrbe relicta, in rura veniat, vbi nulla hominum frequentia poterit illi esse impedimento, quin desiderium suum satiet; nempe, vt, postquam gentes ad omnem veræ virtutis laudem præceptis informauerit, Hebræos solidæ veritatis doctrina instituat. Sic igitur inquit:

XVIII. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructum parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea, Mandragoræ dederunt odorem.*

Toto hoc tempore in gentibus erudiendis studium consumpsi: nunc igitur ad illas veluti ad rusticana quædam oppida, & villas, quas nulla sanctorũ hominum frequentia vmquam celebrauit, veni, & ibi commoremur. Matutino tempore ad vineas exeamus; & videamus, si iam vitis gemmas emisit, si ex illis oriens vua sese ostendat, si malorum punicorum arbores floruerunt. hæc enim gentium tellus sanctorum operum viriditatem effundit, & elicit. Laboris in itinere suscepti fructum hunc tibi polliceor, vt vbera mea, quæ nulla vmquam adulterij labes inquinauit, in manus tibi tradam, inter gentes mecum amoribus fruere. Mandragoræ, quæ nimis erant in tellurem immersæ, odorem afflant. nam gentes, vt vineæ quædam, opera mea institutæ, suauissimos fructus producunt, pietatem colunt, numen tuum pertimescũt, illudque, sanctissimo sacrificio adhibito, venerantur, &, quæ nihil, nisi telluris contagione esset adspersum, amplectebantur, spretis sensibus, in cælis versantur. Ex hac autem gentium admirabili ad virtutis studium conuersione, satis erit exploratum integritatis meæ decus, quod tibi soli committendum esse duxi.

XIX. *In portis nostris omnia poma noua, & vetera; dilecte mi, seruaui tibi.*

Vineta hæc, & pomaria, cura nostra diligenter culta, tantam pomorum copiam effundunt vt vetera poma anno vertente noua consequantur, eaque sint omnibus in portis nostris exposita, vt nullo labore possint ad vescendum

cendum sumere. Vtriusque enim Ecclesiæ fructus optima fide tibi seruari, vt gentes, quæ instar oleastri erant, nunc in oleam insitæ; fructus suauissimos gignant, & in antiquorum hominum, qui gratiam tuam singulari cum laude obtinuerunt, familia censeantur.



## ARGVMENTVM IN CAP. VIII.

*Viri amplexus sponsa sibi exoptat, & consuetudinem expetit, quam nullæ aliarum rerum curæ, nullæ hominum iniuriæ, nec inuidiæ interrumpant. Vt sororibus fas est, infantulum fratrem, in conspectu omnium, in manibus habere & arctè complecti, ita sibi vbique virum amplexari, & osculari, vt liceat, concupiscit. Neque id amori fuisset satis, nisi eum in cubiculum maternum introduceret, vbi ex eo, multa, vt mos est amantium, quæreret, eáque disceret: & quidquid ei cordi esse sciat, singulari studio præberet: Eum in loci memoriam reuocat, in quo vtrumque arctissimis vinculis amor deuinxit. Quo verò pacto, velit sponsus ab ea diligi explicat, eiusque rei rationem reddit. sponsa quæ sibi erunt gratissima demonstrat eáque sibi poscit, & flagitat. Et sic dialogus est à Salomone conclusus.*

---

## CAP. VIII.

*Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?* I.



Hoc igitur omnibus votis exopto, vt te ruri inueniam, vbi tamquam infantulum fratrem amplectar, & ad satietatem tibi oscula figam, & propter infrequentiam, nemo sit, qui me in reprehensionem vocet aut despiciat, vt tandem, vbi erat virtutis solitudo, sit vitiorum horrenda quædam vastitas, cum virtutum omnium, & Diuinorum munerum, affluentia; omnes gentes ad te sese adiungant, te amplectantur, te prædicent; & omnis vbique terrarum impietas conticescat; & nomen tuum laudibus celebretur.

*Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ.* II.

Quod cùm primùm assequar, te amplexu meo circumplicatum, in domum matris meæ deducam, vbi qua ratione possim te adstrictum mecum perpetuò retinere: me instrues; & ego, quantum pro viribus potero, te mecum oblectabo: in Hebræorum animos, à quibus originem duco, ita me insinuabo, vt in illis tui nominis studium inseram, quo perfidiam detestētur, & in eandem mecum fœderis tui religionem conueniant.

III. *Ibi me docebis, dabo tibi poculum, & ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.*

Me tunc vehementer amplificatam institues, hanc scilicet gentem Diuinæ sapientiæ opibus circumfluentem efficies: caritatis ardor cum ceterarum omnium virtutum ornamentis in illis vigebit, qui velut suauissima quædam potio, tibi non mediocrem afferet voluptatem.

IV. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

Quàm iucundè eo tempore, illius, quem amo, consuetudine fruar? læua quidem sua ille collum meum, & dextera latus, amplexabitur.

V. *Adiuro vos filiæ Hierusalem ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.*

Quare vos Hierosolymitanæ virgines precor, ne mihi solicitudinem aliquam afferatis, aut curam, inuidia ductæ, iniiciatis, quæ me aliqua ratione possit ab illius complexu diuellere. Vos, inquam, Hebræos appello, vos obtestor, & obsecro, vt odium, quo flagrabatis, in me acerbissimum, deponatis; oppugnandæque veritatis studium abiiciatis.

VI. *Quæ est ista quæ adscendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?*

Animus meus, gaudio quodammodo exsiliens, se ipsum tanto bono cumulatum admirabitur, atque dicet, Quæ est hæc quæ è gentium solitudine, & rure venit, tot ornamentis exculta, & voluptatibus affluens, eo solùm, quem diligit, vitæ suæ præsidio nixa?

VII. *Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.*

Hinc quidem omnia mihi bona emanant, quia, cùm te ardenter desiderarem, tandem sub arbore malo te precibus meis quodammodo conniuentem è somno excitaui, quem, vt solent, quos nulla grauior cura sollicitat, capiebas, ibi ingenuè fateor me vehementiùs tui amore, quàm vmquam, exarsisse, & à te diligi cognoui, ac si ad id vnum te mater eo in loco conceperit ac pepererit. multis enim sæculis cùm te obliuio mei tenere videretur, status tandem mei conditio te ad crucis patibulum subeundum excitauit. quod vt præstares, ex sanctissimæ Virginis visceribus corpus tibi effinxisti, quod vulneribus concisum, Deo patri sacrificij loco obtulisti, vt sanguine litares. quo quidem tempore sanctissima mater tua fuit summis doloribus distenta, & acerbissimos, quasi te, aliarum fœminarum more, tũc parturiret, dolores pertulit: quæ quidem ideo te genuit, vt ego te ardenter amarem.

Hunc

Hunc ſponſæ animum ſibi eſſe gratiſſimum, vt ſponſus ſignificaret, in hanc ſententiam orationem inſtituit.

*Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio.* VIII.

De amore tuo erga me etſi non dubitem, hoc tamen amanti liceat petere, vt me ita in corde tuo infigas, vt nihil tibi magis ſit in oculis, vt nihil vel mente pertractes vel opere perficias, in quo non ſit amoris tui ſignum expreſſum. id vt à te poſtulem, facit vis quædam in amore inſita, quæ ſicut mors omnia euertit, & in nihilum redigit, ita ſenſus omnes comprimit, vt ſolus amor animum moderetur, & regat. quare, ſi adeo ardenter me amas omnia, quæ huic fuerint amori impedimento, radicitus euelles, vt nullus in in te ſiue corporis, ſiue animi cultus, magis ſplendeat, quàm amoris magnitudo emineat.

*Dura ſicut infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum: Aquæ multæ non potuerunt exſtinguere caritatem, nec flumina obruent illam: ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* IX.

Accedit præterea quòd, quãuis tumulus, quo cadauera condũtur, hominibus natura vitam appetentibus grauiſſimã moleſtiã afferat, non tamen illis zelotypia minorem exhibet, id enim in animis incendium excitat, quod nulla poſſit aqua reſtingui: nam amorem omnibus diuitiis, & vitæ etiam ipſi, longè præferunt. Si igitur, vt pendens à collo tuo ornamentum, & monile; atque vt anulus, quem induiſti, eſt tibi ſemper in promptu; ſic me ſemper in oculis habeas; &, vt ſigilla in cera anulo imprimuntur, ita in ſenſibus tuis ſpeciem meam, & formam inſculpi curaueris: tunc in amore mihi reſpondebis, & non me zelotypia ſollicitum reddet, & te rebus omnibus anteponam.

---

Sponſa, cùm ſibi certiſſimum eſſet, ſponſum vnicè diligere, & pro comperto haberet, ſe ab eo ardenter amari, iis, qui ſibi ſunt ſanguine propinqui, illius beneuolentiam quærit: quare ſic familiariùs inquit.

*Soror noſtra parua, & vbera non habet.* X.

Gens Hebræa eſt tibi agnatione germana. ex illa enim corpus ineffabili ra-

tione formasti, quod indueres. ego quoque eos gentiles habeo, à quibus illa fuit procreata. Soror igitur hæc nostra est mihi curæ. ea, vellem, vt in clarissimam Dei familiam nuberet; sed ipsa adhuc non est nubilis. animi sui tenuitate, vmbras consectatur; & tempus Diuino consilio definitum nondum aduenit, quo tecum matrimonij fœdere coniungetur.

XI. *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?*

Cùm illa maturam viro ætatem fuerit consecuta, & cum viro erit in mamonium tradenda, quibus illam nuptialibus donis afficies? A liberalitate tua non nisi amplissima exspectari debent: & sanguinis coniunctio non cōmunia, sed singularia, flagitat.

XII. *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.*

Si illa pudicitiam seruet, si fidem, parentum exemplo ducta, Diuinis affatis tribuat, & vt murus, perfidiæ impetus longè repellat, & vt ostium scelus à se excludat, summis sapientiæ muneribus illam decorabimus, quibus, veluti turribus timorem hostibus incutiat, & amore indissolubili secum Deum & homines adstringat. si verò vitam libidine deformauerit, eam in locum compingemus, vnde in lucem prodire non possit. Sic enim rationi consentaneum est, vt impudicæ mentes, ad quas perfidiæ semper aditus patet, omni luce priuentur.

---

Postremo loco, Hebræi ad Christi nomen se se applicabunt, postquam gentes fuerint Euangelij doctrina ad virtutis studium imbutæ. Erit autem tunc illius gentis in Christianam religionem studium singulare, & in omnium virtutum genere mirabilis splendor: quæ, cum Ecclesia gentium eodem sensu informata, sic de se orationem habet.

XIII. *Ego murus & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.*

Ego pudicitiam rebus omnibus antepono, mentem ad cælestium rerum cognitionem erigo, & quasi murus in fide constanter persisto, quam nullæ poterunt machinæ labefactare: vbera mea sunt, vt turres; & ostendunt, me esse iam nubilem. hoc enim definitum erat malis, quibus vexabar, tempus, quo vmbris depulsis solidæ veritati adhærerem, & sanctissimi fœderis religione cum Christo coniungerer: cuius benignitate effectum fuit, vt offensionem

ſionem, quæ ex meo omnium flagitiorum grauiſſimo perfidiæ ſcelere oriebatur ipſe obliteraret, ſeueritatem ſuam in vindicando deponeret, &, vt me ſibi conciliaret, ſequeſtris interpretiſque officio fungeretur.

*Vinea fuit Pacifico, in ea quæ habet populos: tradidit eam cuſtodibus, vir adfert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me eſt. Mille tui Pacifici, & ducenti his qui cuſtodiunt fructus eius.* XIV.

Vineam in Bahal amon ſibi verus Salomon ex filiis Iſraëlis conſeuit, quæ legis inſtitutis diligenter culta, & fructuum copia, & bonitate, longè inter alias præſtabat: eam tamen vinitoribus quibuſdam tradidit, quorum quilibet ei nummos argenteos non ampliùs mille quotannis reddebat. erat enim illa certis Palæſtinæ finibus circumſcripta, & ſolidum virtutis fructum raró quidem afferebat. Vinea verò mea; hæc inquam Eccleſia, ex gentibus, & Hebræis conflata, coram me eſt. ſingulari nempe cura eam colo, &, quocumque oculos verto, illa mihi occurrit: in omnes mundi partes longè latéque diffunditur: quam tu ipſe excolendam ſuſcepiſti. mille quidem nummi tibi, & vinitoribus ducẽti ex illa priori ſolùm obueniebant. Qui igitur poterit illa cum hac, quæ eſt ampliſſima, & induſtria, atque cura tua diligentiſſimè exculta, conferri?

---

Hic erit vltimis temporibus Eccleſiæ Chriſti omnibus bonis florens ſtatus; ſed, dum in tellure verſatur, non poteſt ex illius cogitatione non aliqua vel labe adſpergi, vel moleſtia diſtineri. quare ſponſus illam ad cantiunculam hortatur, qua aures ſuas permulceat, & ipſa, quid ſit magis ſibi cordi ſignificet; & ea Salomon eleganter opus concludit. Sic ergo ille:

XV.

*Quæ habitas in hortis, amici auſcultant; fac me audire vocem tuam.*


Tu quæ hortos incolis, in omnes hominum nationes propagata, amici beneuolam tibi audientiam præſtant, mentes cæleſtes, Prophetæ, Apoſtoli, viri ſancti, qui è vita exierunt, tibi attentè aures præbent, vt inceptæ orationis tuæ clauſulam percipiant, & ſuſcepti curſus tui finem perſpiciant. vnde illi plurimum voluptatis capient, mihi quoque illud erit gratiſſimum, vt iam vocem tuam, nullo fletu debilitatam, iucundè moduleris ab omni mortis contagione libera.

XVI. *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatum.*

Omnia, dilecte mi, quare me in tellure versari erat opus, iam perfecta esse video. nihil igitur in ore habeo, nihil maiori contentione postulo, nihil vehementiùs efflagito, quàm vt hinc abeam. hucusque vestigia tua sum prosecuta, te vnum sequor. in cursu igitur celeritatem maximã suscipe; capream ceruúmque imitare: te ad montes aromatum consectabor. Illud animus summopere expetit, vt iam corpus immortale induat, & te in cælorum omnium fastigio securus perfruatur.

LAVS DEO.

HIERO



# HIERONYMI OSORII IVNIORIS, OSORII EPISCOPI EX FRATRE NEPOTIS LVSITANI CANONICI EBORENSIS IN PARAPHRASIM SVAM IN CANTICVM CANTICORVM NOTATIONES.

*Cùm libellum Salomonis*, Canticum Canticorum *inscriptum, fuimus interpretati, ea dicendi ratione vsi sumus, quæ certa lege est circunscripta, & quodammodo pressa, vt verborum, & sententiarum, longiorem explicationem minimè patiatur: quamobrem operæ pretium fore duximus, aliqua paucis hoc in loco notare, quæ difficultatem legentibus afferre possent, eáque breui oratione explanare.*



ANTICVM *Canticorum.* Non pauci apud Hebræos, ex iis, qui cæteris sanctitate præstabant, vt sacræ nobis historiæ referunt, Dei laudes carminibus cecinerunt. Sed hic Salomonis liber, quem scripsit versibus, longè illis omnibus excellit. Quamobrem, vt visum fuit Gregorio Nanzianzeno, & aliis, eum, *Canticum Canticorum* appellarunt. Ea enim, quæ ad vltimum aliquid referuntur, cum eo collata, licèt præclara sint, non ita collucent, quia inde, quam habent præstantiam, consequuntur. Omnia, quæ priscis hominibus, Deus beneficia contulit, illud vnum, in genus hominum à Christo collocandum, vt Paulus noster asserit, adumbrabant: cuius est in hoc cantico non solùm adumbratio, sed id Salomon sic explicando celebrat, vt Christi Ecclesia vnde initium duxerit, & quousque progressa circulum diuina virtute conficiet, illius quasi vestigia persequendo, nobis ante oculos proponat.

Huius libri excellentia. Greg. Naz. in sanct. bapt. Greg. Nyss. in cant. Theod. in can Philo epist. in cant. Greg. Pap. in procem. in Cant. 1. Cor. 10.

Est igitur omnium, quæ ipse, cæterique sancti homines, ante eum scripserunt, hoc carmen, instar finis: quo Deum humana forma indutum, &

generis nostri libertatem, multiplicésque fœtus, in nostræ naturæ sterilitate, prædicat: remque ita personis agit, quod illorum nemo est aggressus, vt Christianæ Ecclesiæ formam & tempora exprimat. Hoc autem ab eo carmen, nostri, post Prouerbia, & Ecclesiastem, postremo loco fuisse conditum persuadent: Cùm verò in Ecclesiaste ipse totum se antea deditum fuisse voluptatibus fateatur, diuinoque inde beneficio emersisse: in animum induximus credere, Salomonem tandem resipuisse, eoque tempore, vt Hebræi asserunt hos tres scripsisse libros. Quis enim si eum, qui *Ecclesiastes* inscribitur diligentiùs euoluat hoc dubitet? Salomonémque mentem mutasse neget? illudque vnum non clarè perspiciat eum, postquam voluptates esse inanes experiundo duxisset, librum illum edidisse. Quare non antequam religionem violasset, sed postea, hoc, de quo agimus, carmen, summa iam confectus senectute contexuit. Quis verò cùm audiat, impietatis scelere astrictum obiisse affirmare, quem sacræ historiæ autor, post obitum mirificè laudat. Sic enim ille de iis, qui Hierosolymam venerant Iudæi, commemorat, *& roborauerunt regnum Iuda: & confirmauerunt Roboam filium Salomonis per tres annos: ambulauerunt enim in viis Dauid, & Salomonis annis tantùm tribus.* Nam si ad pietatem se minimè conuertisset, nec Iudæos laudandos putaret, quia in religione colenda, viam qua Salomon progressus fuerat, ipsi sequerentur: neque Salomonis studia tunc temporis cum Dauidis studio ita coniungeret, vt eadem oratione, simul illa prædicaret.

Quo ordine scriptus hic liber. Orig. in cant. ho. 1. Basil. in prouerb. Greg. Nyss. in cant. Ambros. de Isaac & ani. & in Lucæ præf. Theodor. in cant. In seder olam raba. De resipiscentia Salomonis testimonium. 2. Paral. 11.

---

## CAP. I.

*Osculetur me osculo oris sui.* Inter amicos & officiis necessitudinéque coniunctos, illud erat in more positum, vt cùm eorum aliquis longè discessisset cùm primùm in conspectum illorum veniret, eos osculo salutaret: quod Aaron Mosi occurrens præstitit: Et Esau cùm Iacobum è Mesopotamia venientem excepit. Si quoque vt sæpe contingit inter aliquos qui se numquam viderant mutuò officia constarent, in primo inter se congressu, eidem salutandi mori parebant, quem, cùm Iacobus ad vrbem Haran accessit, Laban ei veniens obuiam seruauit. Cùm igitur sponsi osculum, inflammato sponsa animo concupiscit, illius meritò aduentum putauimus, eam cupientem, arsisse desiderio. Nam velum, quo facies Moysi obtendebatur, erat ei fastidio: temporis enim ratio postulabat, vt iam non Moyses velo amictus, cum ea de sponso ageret, sed ipse diuinus ad se veniret sponsus, vt eo liberè frui posset: nempe ne sibi lata à Moyse conditio maneret, sed ea vteretur, cuius noster Paulus ad Corinthios scribens meminit *Nos*, inquiens, *omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Hoc vnum, illa priscorum Ecclesia à Moyse instituta, diuino spiritu afflata, licèt pauci eò ducebantur, suspiciebat, hoc vnum adipisci cupiebat, hoc ardentiùs appetiisse Salomon testatur.

Mos osculo amicos, & alios, excipiendi. Exod. 4. Genes. 33. Genes. 29. Exod. 34. 2. Corin. 3.

*Meliora sunt vbera tua vino.* Sic etiã interpretes Græci verterũt. Hebræi verò, nõ *mãmas* interpretãtur, sed *amores*, quemadmodũ paulò inferius, legẽdum quoque & explicandũ esse putant: vbi noster Latinus inquit, *Memores vberũ tuorũ.* Nõ enim *mãmas* viris natura tribuit sed sponsam testari putãt, amoris

vim

vim sibi esse iucundissimam, qua se inflammari sentiebat. Nos tamen noluimus facili negotio, à nostro interprete discedere, præcipuè cùm hoc in loco apud Hebræum sit elegans hypallage: verba enim concinnè summutantur. Nec est parum consentaneum Hebræorum dicendi consuetudini *mammarum* nomine, *amorem* indicari; quemadmodum & *renes* dicunt, cùm intimos animorum sensus significare volunt: est enim admirabilis vis illa ad fœtus alendos in mammis insita, summi amoris argumentum. Hinc amatoriam voluptatem, *mammarum* nomine Salomon in prouerbiis significat, cùm hac oratione iuuenem, vt matrimonij religionem colat, instituit: *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ: cerua charissima, & gratissimus hinnulus; vbera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter.* Cumque impudicæ mulieris sermonem, quo perditum iuuenem ad libidinem trahit, eleganter commemorat, hoc eodem dicendi modo vtitur, *Veni*, inquit illa, *inebriemur vberibus.* Hæc verò amatoria voluptas, nulla labecula aspersa, quæ à Deo proficiscitur, longè multumque voluptatibus omnibus excellit. Quamobrem, *Meliora sunt vbera tua vino.* Illud autem quod vitis cæteris arboribus respondit, cùm eam regem creare vellent, tenere memoria oportet: sic enim illa; *Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines?* Quamobrem, illi, qui mortalem esse animum putabant, & se ipsos, vt omnes voluptates sectarentur, excitabant, eas *vinum* appellarunt, cùm inter se ita differerent, *vino precioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis.* Verùm hæc corporis voluptas, licèt sensus deliniat, & secum quodammodo astringat, eam tamen is, qui sapientiam amplectitur, aspernatur. Præclarè quidem Ecclesiasticus hac de re sententiam suam hac oratione explicuit, *Vinum & musica lætificant cor, & super vtraque dilectio sapientiæ.* Suis enim sapientia etiam conuiuium instituit, ac parat, ad idque concelebrandum homines vocat, vt Salomon ornatè satis, & eleganter commemorat, cùm ait, *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, si quis est paruulus veniat ad me:* & insipientibus locuta est, *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis: relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.* Sapientia à conuiuiis suis stultitiam depellit, & eos summis prudentiæ muneribus ornat. Quî igitur fieri potuisset, vt sponsa eas voluptates, quas diuinus sponsus affert, & ipsa aliqua ex parte perceperat, non cæteris omnibus præferret? hæ mentem eripiunt: illæ eam turbatam ad tranquillitatem & securitatem traducunt: & animis constantiam & dignitatem afferunt. Vino igitur, id'est, omnibus sensuum voluptatibus, vbera sponsi, amor scilicet, & ex eo, quæ nascuntur voluptates, plurimùm præstant. Iam verò vt de iis minimè loquar, sponsi mammæ vim altricem, qua omnia nutrit, ostendunt: quam qui attentè considerant, in illius amorem rapiũtur. Quid si lex vetus & noua, quibus homines, mammis quasi quibusdam alit, illis veniat in mentem, easque cum animis suis considerent? Nõne res omnes pro nihilo ducent, vt eũ assequi, & amplecti toto animo possint? profectò si sanæ mẽtis sint, id omni studio perficere conabũtur.

Hebræorũ locutio.

Mammarũ nomine, amatoria voluptas significata.

Prouerb. 5.

Prouerb. 7.

Iudic. 9.

Sapient. 2.

Ecclesiastic. 40.

Prouerb. 9.

Prouerb. 23.

*Oleum effusum nomen tuum.* Vis illa diuina, atque virtus, quæ omnia continet, omnia moderatur, & regit, *Dei nomen*, ab scriptoribus sacris appellatur: siue eam, numen, siue autoritatem, siue actionem rerum omnium, &

Genes. 4. benignitatem nomines. Vt est illud præclarum de Enos erga Deum pietate, Genes. 12. Sacri historici testimonium: *Iste cœpit inuocare nomen domini.* De Abrahamo quoque ex eodem accepimus, cùm in Palæstinam venisset, Deo altare dedicasse, nomenque illius inuocasse: quorum vtrumque ad religionem, & Genes. 26. ad diuini numinis cultum pertinet: Isaac, è Palæstina discedens, cùm à Deo futurum accepisset, vt regio illa in qua erat, suis aliquando pareret, Deo autore, tabernaculum in ea vitæ suæ collocauit, & puteum sibi fodit. *Et inuocato*, inquit ille, *nomine Domini extendit tabernaculum, præcepitque seruis suis, vt foderent puteum.* De Messia hanc Deus ad populum Israëlis orationem ha- Deut. 18. bet, *Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo* (me scilicet iubente) *audire noluerit, ego vltor existam.* Cùm verò populus hic mare rubrum in alterum littus transiisset, hoc incredibile à Deo sibi collatum beneficium cecinit, illiusque vim, actionemque summis est laudibus prosecutus, quam Exod. 11. *nomen* etiam in eo carmine appellauit, ita enim se illud habet, *Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen eius.* Dauid eodem dicendi modo Dei Psal. 19. 53. 108. benignitatem explicat, *Protegat te*, inquit, *nomen Dei Iacob: Deus in nomine tuo saluum me fac. Et tu Domine Domine fac mecum propter nomen tuum, quia suauis est misericordia tua.* Hæc igitur multiplex & infinita sponsi diuini virtus, quæ ab sponsa patrio dicendi more, nomen illius nuncupatur, suauissimum ex se omnibus hominibus odorem afflat. Quis enim, si luci tenebras non præferat, diuinum numen non reuereatur, & colat? Quis illius autoritatem non sequatur? virtutem omnia coërcentem non suspiciat? benignitatem, qua omnibus prospicit, non diligat? hoc nomen, hæc virtus, & amplitudo vbique hominibus collucet. Quamobrem, inquit illa, *Oleum effusum nomen tuum*: vnguentum scilicet summa suauitate conditum, quo homines, si velint, se ipsos perfricare poterunt, omnibus enim adest, vt sumant: non enim tanquam in vas aliquod illud infunditur, vt non effluat, sed in res omnes ita infunditur, vt diuinum quid eæ omnes oleant.

Hoc autem ad *famam* quoque pertinere, rectè interpretari possumus: quis enim *famam* in sacris literis *nomen* dici, non affirmet? cùm eos, qui turrim Genes. 11. Babel ædificabant, ita inter se disseruisse sciat, *Celebremus nomen nostrum,* Deut. 16. *antequam diuidamur.* Et illud, *Vt faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creauit, in laudem & nomen & gloriam suam.* Sponsi decus, & pulchritudo erat eximia, & ideo illius fama ad omnes fœminas emanarat, quæ illis erat iucundissima. Deinde cùm ipse in gentem Hebræam, tot, tantáque beneficia contulisset, fieri non poterat, vt illius fama omnium ferè gentium fines, non peragrasset: quamobrem meritò quidem de eo sponsa inquit: *oleum effusum nomen tuum.*

Quid si sponsa antè prospiceret Christi vitam, illius præclara facta, atque diuina, quæ nobis ad imitandum exposuit, & gentium, ad virtutis studium conuersionem? Nonne illius nomen *oleum effusum* dici poterat? Verùm cùm ipsa hoc in loco, vt ille ad se veniat, precetur, de rebus quidem, quas sponsus ante hoc tempus gesserat, de numine, de virtute, de fama, de pulchritudine, loquentem Salomon inducit: de iis enim, quæ post sponsi aduentum contigerunt, luculenter ipsa, vt videbimus, suo loco disseret.

*Introduxit me Rex in cellaria sua.* Desiderium sponsæ, quo videndi sponsi flagrabat, & preces, vidimus, quibus, vt ipse ad se veniret, postulabat. Nunc iam

iam ei in precibus ſponſus occurrerat, expectationemque aduentus ſui expleuerat: ipſe enim in cubiculum ſuum eam introduxit: vt idem vterque cubile iniret. Diuinus quidem ſponſus, cùm humanæ naturæ eſſet expers, vt ipſe ſponſam ad cubile ſuum, & ad ſummas opes, voluptateſque adduceret, in ſanctiſſimæ virginis viſceribus homo fieri voluit, natusque, cùm iam virili eſſet ætate, ſponſam incredibili eſt amore amplexus, & ſecum arctiſſimè deuinxit, quod nos in paraphraſi latiùs explicuimus. Lætitiæ verò, quam ſponſa ex aduentu ſponſi perceperat, vt magnitudinem explicaret, hæc dicta ab ea fuiſſe aliqui putant: quaſi diceret, etſi Rex me in cellam ſuam adduxiſſet, non ea voluptate fruerer, qua nunc, dum tua conſuetudine vtor, cumulatè perfundor: propterea quoque exiſtimant, illud addidiſſe, *Exultabimus, & lætabimur in te*; Nullæ enim ſunt opes regiæ, nullæ ſummo ſtudio voluptates exquiſitæ, quæ aliqua ex parte, cum ea voluptate comparari poſſint, quæ ex Dei conſuetudine in animos piorum emanat. Neque illud parum videtur eſſe conſentaneum, quod alij aſſerunt, *Regis* nomen pro Deliciis, & Amoribus, vſurpari: eſt enim in more poſitum, vt fœminæ eum, quem Delicias ſuas, & Amores, vocare velint, *Regem* appellent. *Introduxit* itaque *me Rex*, hoc eſt, ille, deliciæ meæ & amores, in cellam ſuam me adduxit. Simili quoque ratione locus ille erit explicandus, *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo*. Nos tamen, quia *Regis* nomine, imperium in alios indicatur, non ſine concilio, fuiſſe à Salomone, illud vſurpatum arbitramur: licèt enim voluerit, paſtorum morem in dicendo ſequi, quo, vt inquit Virgilius, in Tityro, *Sic paruis componere magna ſolebam*, vt clariùs tamen prædiceret, fore, vt iam non Moyſes, non Ioſue, non Gedeon, non cæteri viri Sancti, ſed ipſe rerum omnium princeps, Eccleſiam ad ſummas & immortales opes adduceret, in his duobus locis, ſponſa, Regem ſponſum appellauit. Rex, pro deliciis & amoribus.

*Nigra ſum, ſed formoſa, filia Hieruſalem.* Amatorem ſponſa laudauit: illius erga ſe animum beneuolentiſſimum, ſuauiſſimamque cõſuetudinem commemorauit; Poterant igitur lautæ fœminæ, & vrbanæ, vim amoris, quodãmodo inconſideratam, admirari, & cæco quodam amoris impetu, effectum fuiſſe arbitrari, vt pulcherrimus iuuenis eas ſperneret, & nigram adamaret. Has illa ſingulari artificio appellat, & ita ſe ipſam laudat, vt modeſtiam ſeruet, & propriam cauſam inuita defendere, inaniſque gloriæ laudem, minimè quærere videatur. Quibus inquit, *Nigra ſum, ſed formoſa*. Nigroris cauſam ſolis ardorem extitiſſe aſſerit, nec ſibi aliquid de pulchritudine fuiſſe, ob nigrorem, detractum: nam ſe, dum in officio paſcendi oues, verſabatur, ſolis æſtu vexari oportebat: quare nigror ille non erat ſibi natura inſitus, nec quidem venuſtatem aliqua ratione deformabat, præſertim cùm eam multa alia mirificè augerent, quam ſimilitudinibus explicando luculenter exornat. Inde occaſionem ſumit, vt de fratrum iniuria conqueratur, qui eam, ob fidem amatori ſeruatam, ab hæreditate paterna eiecerant. Rempublicam Chriſtianam, ſiue Eccleſiam, Chriſtus ita conſtituit, vt ipſe eam præceptis erudiret, quæ non ſolùm diuina ei auctoritate tradidit, ſed vt apud eam perpetuò valerent, ea ſanguine ſuo proprio ſanxit, mortemque, vt eam à peccati tyrannide vindicaret, libenti, & gaudenti animo appetiit. Hæc ſponſa, & ſi breui, vt opus tunc temporis erat, oratione meminit, cùm ita de eo orationem habuit, *Introduxit me Rex in cellaria ſua, exultabimus, & lætabimur in te, memores*

*vberum tuorum ſuper vinum, recti diligunt te.* Id verò Petrus, cùm primum
Ioan. 6. Eccleſia Iudæis collucere cœperat, his verbis luculenter explicuit, *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credidimus, vt cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei.* Cùm verò poſtea doctrinam Apoſtolorum multi Iudæi amplecterentur, Eccleſię Chriſtianæ ſe coniunxerunt, quod cùm principes illorum iniquo animo ferrent, tum in Apoſtolos, tum in cæteros Chri-
Actor. 5. 6. 7. ſtianos Iudæos, omni cœperunt crudelitate inuehi: ne quid verò eorum malitiæ deeſſet, multa in eorum vitam maledicta coniiciebant, quæ apud populum Hieroſolymitanum vera eſſe falſis teſtimoniis confirmabant. Hinc oratio hęc initium ſumpſit, *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem. Et filij matris meæ pugnauerunt contra me.*

*Poſuerunt me cuſtodem in vineis*, ſponſi odio adeo fratres ſponſæ flagrabant, vt eam ob cauſam, illam crudeliter vexarent, iniuriiſque affectam cogerent, vt iis hominibus, cum quibus nulla ei ſanguinis erat coniunctio, operam ſuam in vineis cuſtodiendis nauaret: id eſt, *poſuerunt me cuſtodem in vineis.* Interim eam è vinea, quæ ei hæreditate obueniebat, eiiciunt: quamobrem, *vineam*, inquit, *meam non cuſtodiui.* Ad Eccleſiam Chriſti, ortus ſui initio collucentem, iam nunc animos conferamus: & Petrum ad
Act. 2. Hieroſolymitanos orationem habentem audiamus, *Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus, qui longè ſunt, quoſcunque aduocauerit Domi-*
Act. 3. *nus Deus noſter. Vobis primùm Deus ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis.* Hos igitur Chriſtianæ ſapientiæ præceptis, Apoſtoli inſtituere, & cæteris gentibus, in eo, præferre debuerant, quod ipſi, incredibili ſtudio præſtiterunt. Quamobrem hæc erat iure ſponſæ vinea: quam cùm ipſa diligenter curaret, Iudæorum principes eam ſummo ſcelere ceciderunt, cæſamque non ſolùm poſſeſſione vineæ, ſed in exilium pepulerunt: quo effe-
Act. 13. ctum fuit, vt ipſa gentes ſibi erudiendas ſuſciperet. *Vobis*, inquit Paulus, *oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes.* Cùm verò inter gentes, multiplex & varia ſuperſtitio vigeret, & plures eſſent nationes, moreſque diuerſi, atque regna, eas *vineas* appellat. Cùm igitur Iudæi à ſe Apoſtolos repulerunt, ipſique hac repulſa ad gentes ſe contulerunt, Iudæi profectò ſponſam *poſuerunt cuſtodem in vineis*, idque cõſequuti ſunt, vt vineam ſuam, gentem ſcilicet illam, id eſt gentiles ſuos, ipſa, vt cupiebat, doctrina Chriſtiana excolere non poſſet.

*Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Parumper ſponſus ab ea diſceſſerat, vt ſuo fungeretur officio: verùm ipſa tum illius æſtuat deſiderio, tum fratrum iniuriis affligitur. Quamobrem ſponſum appellat, & quo ille in loco ſit, ſcire concupiſcit, vt eò ſe proripiat. Eccleſia Chriſti dum à Iudæorum principibus capitis ſupplicio mulctaretur, ab ea, quodammodo ille videbatur diſceſſiſſe, cuius præſidium inuocat, & ſibi vt præſto adſit, poſtulat. Deinde rationem affert, qua eum commouere poſſit, ne, ſcilicet, *vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Iniuriæ, à fratribus illatæ, eam, vt exilio ſolum patrium verteret, cogebant: amor, vt eum, quem ardenter amabat, quæreret, impellebat: ſed pudor retardabat: non enim probæ mulieris erat, vagari, & iuuenes adire. Quò autem illa ſeſe cõferret, vt
illum

illũ inueniret, nisi ad eorũ greges, cũ quibus illi aliqua consuetudinis familiaritas intercedere videbatur? Cùm verò hæc Ecclesiæ Christi personã elegãter exprimant, illud vnum inuestigari oportet, quinam sint hi, qui socij sponsi, nempe Christi, à Salomone dicuntur, viri enim docti non idem sentiunt. Controuersia inter viros doctos. Nos autem; tum quia ipse sponsus pastor, à Salomone fingitur, qui eo nomine obscurè se ipsum indicare voluit, vt verum Salomonem his tegumentis inuolutum, hominibus prædicaret, qui res omnes moderatur, tum etiam quia Reges, & Principes, ab antiquissimis scriptoribus hominum pastores appellantur, & scriptura sacra Dauidẽ inquit, fuisse à Deo in Regia sede collocatum, vt *pasceret Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam*: Et Dei grauissimas, de pastoribus Israelis, querelas commemorat: Hoc in loco, spõsi, qui pastor erat, *socios*, eos significari existimamus, qui eodem officij munere fungebantur, Reges nempe, & principes, qui alios imperio tenebant. Ps. 77. Ierem. 23. 25. Ezech. 34.

*Si ignoras te, ò Pulcherrima.* Interpres ita Hebræo adhæsit, vt verbum verbo redderet, & non satis Latinè verteret. Hebræus namque, eo dicendi modo vtitur, qui nostra ætate Hispanis est familiaris: cùm dicunt, *Sino telo sabes*. Vocem enim, *Te* adiugunt, vt oratio concinnè fluat. Latini verò multo secus loqui consueuerunt. Nam cùm dixit, *si ignoras te*: illam quidem in sui ignoratione versari, Latinis significauit. At si diceret, *si tu te ignoras*: eleganter quidem & Latinè orationis Hebrææ sententiam explicaret: illud enim *Tute*, personam est ipsam indicantis, vt eo sæpe Tullius est vsus, *Tu te scis*, inquit ille, *Tu te intelligis, Tu te præcepisti*, id est, tu ipse. Ad Att. l. 12. Si verò dixisset, *Tu scis te, Tu intelligis te, Tu precepisti te.* Quid quæso minùs Latinè dici poterat? neque orationis sententiam vllo modo explicaret. Ad Att. 3. Ad len. 2. Hanc ad Grammaticos quæstionem reiicimus. Eam in Paraphrasi explicationem adhibuimus, quasi diceret sponsus, si hoc, quod tibi, vt notum efficiam, tantopere concupiscis, ignoras.

*Egredere, & abi post vestigia gregum, pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Dum Solis ardor maximè viget, ne ille ouibus perniciem afferat, pastores in opacum aliquem locum eas deducunt. fœmina igitur, Solis, & amoris, æstu non mediocriter flagrans, ab amatore enixè contenderat, vt sibi exploratum esse vellet, vbi ille vitandi caloris caussa acquiesceret, vt ipsa, quoque illuc sese conferret, ne circa aliorum pastorum tabernacula aberrare cogeretur. Cui ille, *Egredere*, inquit, *& abi post vestigia gregum.* Quasi diceret, Cum ego ouium gregem, tanto studio, & solicitudine, curem, vt illum numquam deseram, profectò si tu illius vestigia prosequare, nullo poteris itineris errore duci, quin ad me tutò venias. *Pasce* igitur, *hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*, illuc enim est tibi necessariò iter faciendum, vt me vestigiis consequaris. Hæc oratio eleganter quidem pastorum mores exprimit. Iam verò Ecclesia Christi, acerbissimè à Iudæis vexata, ad illum, summo animi conatu, inclamabat, vt aliquod sibi, in tanto malorum æstu, quo iactabatur, alleuamentum afferat. Cui ille, *Egredere*, ait, *& abi post vestigia gregum.* Pimum nõ ei esse in Palęstina ampliùs commorandum præcipit, tum quia Iudæis satis multumque præstiterat, tum quia Christus his verbis dum adhuc in tellurę versaretur, de aliis ouibus, quæ non ex Iudæa essent, prædixerat. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Has igitur Ioan. 10.

eam quærere oportebat,& pascere, & vltra Palæstinæ fines,vt hoc officium, & munus exequeretur, erat ei progrediendum:Si igitur ignorabat,quò spõsus discesserat,id est,quo eam concilio à Iudæis, & malis affici, permiserat, iam nunc cùm ad gentes se conferet, cognoscet:primùm enim Iudæi Christiana erant doctrina erudiendi:deinde gentes instituendæ,vt è tenebris,in quibus erant,ad lucem vocarentur. *Et abi post vestigia gregum*; gentium scilicet, quæ imbutæ erroribus vagantur, & ab ipsis pastoribus dispulsæ, in summas animorum miserias incidunt.Eas igitur sequere,ad omnes penetra, nullam prætermittas. His etiam verbis sponsam admoneri putamus, vt strenuè eorum in morte obeũda alacritatem imitaretur, qui in sinu suo à Iudæis crudeliter cædebantur. Imò & summi pastoris, sponsique sui beneuolentissimi,qui omnibus, vt solent boni pastores, ouibus suis,dum iter faciunt,præit,vestigijs insistat. ipse enim in illo Diuinæ sapientiæ curriculo, in quo Ecclesia versabatur,primus vestigia impressit.prius namque illum Iudęi odio immani sunt persecuti,contumelijs lacerarunt,flagellis ceciderunt, & in Crucem tandem sustulerunt.quamobrem sæpe suos admonebat,vt Crucem suam tollerent, & se consequerentur, si in suorum numero haberi vellent.& Petrus, vt Christianos ad omnem virtutis laudem excitaret, in prima Epistola,quam ad eos scripsit,*In hoc*,inquit,*vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis,vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Quibus Apostoli,in illa post Stephani necem acerbissima Ecclesiæ perturbatione, institerunt. *Pasce* autem *hædos tuos circa tabernacula pastorum*, eorum scilicet,qui in alios imperium tenent,eóque ad omnę scelerum genus abutuntur, vt id,quod multò antè dixerat Isaias,iam nunc hominibus pręstes,*Habitabit*,inquit ille, *lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.*

Matth.8. Luc.9 & 14. 1.Petr.2. Isai.2.

*Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te.* Hebræus, *equam* & *equitatum* significat. Aliqui autem Rabbini,postremam illam literam, ex more gentis,asserunt esse silentio prætereundam: quare non *Equa mea*,siue *equitatui meo*,sed,vt pastorem decebat,*Equa*,vel equitatui, esse vertendum existimant. Similitudo autem non à quacumque equa, sed ab iis ducitur, quæ in Ægypto pulcherrimæ aluntur, & ad currum iungi consueuerunt. Sponsæ pulchritudinem mirificè laudat, illiusque animum in fide seruanda effert, equæ enim Ægyptiæ, omnibus alijs longè præstant, tum quia pulchriores cùm sint, omnium ad se oculos alliciunt, tum quia faciliùs iunguntur iugo. Ecclesiæ verò obedientiam designat, quia equæ illæ,impositum sibi iugum sponte ferunt: & cùm in cursu sint admodum celeres, Ecclesiæ quidem singulare studium,quo iussa conficit, sponsus significat. Currus autem Pharaonis elegantissimi cùm essent, siquis alterius vellet elegantiam explicare, *currum* eum *Pharaonis* appellaret, quemadmodum *niuem Riphæam*, aut *pruinam Scythicam* dicimus: quamobrem non solùm eam, quam in paraphrasi sententiam explicuimus, hæc oratio, *in curribus Pharaonis*, indicat, sed iis equis, nempe insignibus, docet sponsam esse similem, quales ad elegantissimos currus adhiberi solent. *Currus* denique nomen, summam declarat, in cursu iustitiæ conficiendo,concordiam.

Equæ Ægyptiæ. Earum similitudo & Ecclesiæ Christi.

*Pulchra*

*Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis.* Hebræus, *Pulchra*, inquit, *sunt genæ tuæ, baiborim*, id est, *in ornamentis*: nempe quibus in Syria mulieres vtebantur: ea verò siue ex auro argentóque, siue ex ære essent, ita è capite pendebant, vt genas tangerent. Nomen Hebræum *Thor*, *turturem* significat: quamobrem ornamenta illa, huiusce auiculæ speciem præ se tulisse existimamus. Septuaginta & duo interpretes, Hebræum ita Græcè verterunt, *Quàm pulchra factæ sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Hæc inter volucres, vnum sibi marem ascifcit, quo cum, ac si iure sit connubij astricta, viuit, eóque mortuo, nullum recipit. Vnde illius forma, & nomine, eximiam significamus pudicitiam, quæ in fœminis, venustatem maximè commendat. Ad Ecclesiæ igitur animi & corporis castimoniam, hanc orationem patres referunt. Nos autem hos, vt decet, in paraphrasi sequimur, & Hebræum non esse abiiciendum putauimus. Etsi vero sponsæ, quæ oues pascebat, auro gemmisque ornatus deesset, tam eximia eam fuisse venustate, Origenes putat, vt meritò Salomon de ea hoc prædicet, *Genæ tuæ sicut turturis, & collum tuum sicut monilia.* Tam scilicet excellens est formæ tuæ pulchritudo, eámque ita admiror, ac si tu summi pretij fueris ornamentis exculta: idque verba illa, *sicut turturis* & *sicut monilia* significare existimat, *collum tuum, sicut monilia.* Hebræus, *in monilibus*, siue *torquibus*. Qui sint hi Ecclesiæ torques, Salomon in Prouerbijs docet, *Audi*, inquit, *fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Virtutem regiam, siue sapientiam Regnique coronam, *capiti gratiam additam* appellat: Est autem eloquentia, sapientiæ comes, eáque Regibus, vt suorum animos teneat, maximè conuenit: Ecclesiam verò Christi Dauid *Reginam* meritò vocat, eáque ratione, vt hominum animos à sensibus seuocaret, quàm ei fuerit eloquentia opus, quis non videt? Deinde ex eo studio, quo ipsa Deum imitatur, & ex disciplina, qua est diuinitus instructa, necessariò quidem eloquentia proficiscitur, quæ hominibus persuadeat, optimum illis esse, ea, quæ minimè cernunt, omni studio sectari, & rebus omnibus anteponere, ob idque mortem oppetere: in quo quidem mirum est, quàm eniteat incredibilis quædam vis, & diuina eloquentiæ virtus. Hanc torques, qui sponsæ collum exornat, significat: collum enim & capiti subiicitur, & illud mirificè sustinet: nam præceptis sapientiæ eloquentia exorta collucet, & ipsa sapientiæ statum eximiis opibus tuetur.

Arist. hist. l. 9 c. 7. Basil. Hexa. 8. & orat. de temp. Ambros. hex. 9. & Ps. 118. Orig. in cã. li. 2. Greg. ny. in cant. orat. 3. Theod. in cant. & patr. Origenes nom. hom. 2. in cant. Prouerb. 1. Stor. sen. in prou. Psal. 44.

*Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* In conuiuiis nardum adhiberi, Horatius testatur.

carm. l. 2 od. 11.

*Et rosa*
*Canos odorati capillos,*
*Dum licet, Assyriaque nardo*
*Potamus vncti.*

Orationis Salomonis sententiam in parahrasi, quoad potuimus, explanauimus,

*Oculi tui columbarum.* Id quod de turturis erga marem studio diximus, columbis etiam tribuunt: eiusdem enim hæ volucres generis sunt, quarum oculi, igneo quodam quasi motu micant: quod in fœminis, cùm eos, quos amant, conspiciunt, tum amorem indicat, tum miram eis venustatem affert. Oculorum nomen, mentem, & intelligentiam rerum diuinarũ, in Ecclesia nobis

Arist. hist. 9. c. 7. Plin. l. 10. c. 34.

nobis indicat, vt in paraphrasi tetigimus, Moses etiam iudicum mentem
Deut. 16. *oculos* vocat, cùm eos de officio his verbis admonet, *Munera excæcant oculos*
Psal 12. *sapientum.* Et Dauid, *Illumina*, inquit, *oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.*

*Lectulus noster floridus.* Luculenter quidem sponsa, voluptatem, quam ex consuetudine sponsi percipit, & qua ipse perfunditur, explicat: dicendíque genus seruat, quo rusticani homines vti consuescunt. Etsi namque, adeo ornatum non sit pastoribus cubile, illud quodcumque sit tugurium, suauissima consuetudo, & eximius amor est in causa, vt dum illud vterque vsurpat, sibi magnificum pulcherrimúmque esse videatur. Quare illud florere semper, &, vt inquit Hebræus, virere, è cedro, cypressóque, affabrè esse factum prædicant. Hæc verba si cum antecedentibus, & consequentibus connectas, nihil poterit excogitari elegantius, aut desiderari. Tu pulcher es, dilecte mi, & decorus: ego autem *flos sum campi*, & *lilium conuallium*, lectulus igitur noster, in quo vterque, summi amoris vinculis astricti, cubamus, floret. Hoc fœcunditatem Ecclesiæ, ex Christi coniunctione significat, quod latè in paraphrasi explicuimus.

## CAP. II.

INtroduxit me Rex in cellam vinariam. Fœminam amore, & desiderio flagrantem, vir ardens illius amore, eum in locum iterum ducit, vbi & amore vti, & se mutuò oblectare possint. Ob nimiam verò lætitiæ voluptatem, quam ex viri consuetudine, eo in loco perceperat, illum sponsa *cellam vinariam* vocat. Vinum enim siquis sumat, & si tristis sit, non solùm ei tristitiam mitigat, sed eum valde delectat: ideo namque illud hominibus datum
Psal. 103. à Deo fuisse, Dauid, & Ecclesiasticus testantur. Quamobrem sponsa, vt eò
Eccl. 31. se deductam fuisse, significaret, vbi sponsus eam omni voluptate compleret, *Introduxit*, inquit, *me Rex in cellam vinariam*: quam de gymnasio Caldæus interpretatur, in quo Moyses filios Israelis diuinis institutis, & præceptis erudiuit. Nos autem Ecclesiam ipsam esse *vinariam cellam*, existimamus, in qua suos res diuinas Christus docuit, & bonis nunquam interituris
Psal. 44. affluentes effecit. Neque id quidem mirum alicui videri debet, cùm Dauid sanctissimo fuisse matrimonio Ecclesiam cum Deo copulatam commemoret, & in regia sede consedisse: Virgines tamen forma & ornatu pulcherrimas eam sequi, *Adducentur*, inquit, *virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi.* Ecclesiam luculenter primùm describit, eámque *Reginam* vocat, deinde ad eam virgines confluxisse narrat, etsi eas omnes Ecclesia sinu suo cõtineat. Ita hoc in loco virgines à placitis diuinis alienæ, animis commutatæ, doctrinam Christianam, lõgè rebus omnibus anteponunt, & Christi virtute, & beneficio ad Ecclesiam aduectæ, eamque ingressæ, summis sunt voluptatibus perfusæ: quas in hãc cellam fuisse vinariam introductas & Ecclesiæ esse partem non minimam fatemur.

*Ordinauit in me caritatem.* Græci interpretes, ἔταξε, inquiũt, ἐπ' ἐμὲ ἀγάπην: est autẽ τάττειν idẽ, quod in ordinẽ deducere, & ordine milites collocare, & pretium rebus venalibus, atque tributum alicui constituere, quod certis tẽporibus pendat. *Ordinauit* igitur *in me caritatem*: quasi dicat, antequam me,

me, in cellam suam secum adduceret, rebus aliis distinebar, quarum studium animum meum ab illius amore auertebat, amoris ille vi adhibita, animum meum, ille in ordinem reuocauit, secum, scilicet, à rebus aliis auulsum conglutinauit, Vel, eorum, inquit, beneficiorum, quæ in me contulit, pretium, est mihi amore soluendum, ac illum veluti tributum, mihi constituit. Vel potiùs, sic amorem in aciem duxit, vt, illius viribus instructa, cum potentissimo & acerrimo hoste, certamen inirem, illum prosternerem, & exuuiis ornata, triumphum agerem, in quo inuicta amoris vis, ab omnibus, in cælum laudibus efferretur. Eleganter quidem apud Hebræum, *Vexillum*, inquit, *eius mihi amor*; vt significet, si antea sponsum valde amabat, postquam tamen, illius consuetudo iucundissima accessit, miram fuisse ad amorem factam accessionem, vt iam nihil nisi, amorem in vita, sequatur, nihil nisi amorem, in oculis habeat.

*En ipse stat post parietem nostrum*, Amorem, quo vir prosequatur sponsam, celer illius ad eam reditus ostendit: ille enim vt diutius absit, eximius amor minimè fert, imo eum cogit, incredibili ad eam celeritate aduolare. Hoc illa cùm sibi compertum haberet, *Vox*, inquit, *dilecti mei*, *Ecce iste venit saliens*. Hæc maxima illius celeritas facit, ne vnquam à me longè absit; illiusque venientis, suauissimam vocem audiam. *En ipse stat post parietem nostrum*. Eam celeritatem adhibet, vt mihi, ad parietem domus meæ, quo non longiùs videtur discessisse, præsens adsit. Hoc idem verba illa, *Respiciens per fenestras*, *prospiciens per cancellos*, significant: non enim, vt cupiebant, rerum suarum conditio ea, tunc temporis erat, vt semper, simul viuere, & se ipsis frui possent: quod etsi tristitiam non mediocrem afferebat, eam tamen aliqua ex parte alleuabat certò scire, virum à dilectæ fœminæ aspectu, non longè esse disiunctum. Quàm verò hæc amantium animorum affectionibus conueniant, quis non videt? & Salomonis in dicendo copiam non admiretur? Ecclesiæ, dum à Tyrannis oppugnatur, & acerbè nimiùm in eam bella gerunt, Christus Deus aliquando videtur abesse, sed ipsa semel susceptam in malis constantiam seruat; quia diuinum numen præsens sibi esse sentiat. Eleganter illa quidem apud Dauidem hac de re commemorat, *Nec auertit*, inquiens, *faciem suam à me*, *& cùm clamarem ad eum exaudiuit me*. Psal. 21.

*Capite nobis vulpes paruulas*. Ver iam esse cœpisse sponsus eleganter adeo significauit, vt nihil supra possit. In eodem persistit, vt sponsam in suam sententiam alliciat; Vineis plurimum vulpeculæ nocent, dum enim vua maturata dulcescit, eam comedunt. Fuit gens Hebræa Dei vinea, quam ipse, sanctorum hominum opera, curauerat; *Vineam*, inquit Dauid, *de Egypto transtulisti*, *& plantasti eam*: de qua etiam Isaias luculenter scripsit. Isai. 5. Hæc autem cùm omnino fructu careret, tempore à se definito, aliam sibi Deus vineam instituit, quæ cùm initio vberes cœpisset fructus edere, impij homines, Simon, Menander & alij, eam euertere, variis rationibus conabantur, quos Salomon *Vulpeculas* appellat: est enim vulpes inter alia animalia maximè fraudulenta. Quamobrem Herodem Christus Dominus, *vulpem* appellauit: Hæretici autem quàm inexpiabiles fraudes, in violanda Republica Christiana concipiant, quis non videt? fraude quidem, & malitia, longè vulpeculas superant. Hos à Salomone desi-

Epip. con. l. 1. tom. 2. Arist. Hist. l. 1. c. 1. Plin. l. 10. c. 13. Luc. 13.

I

Theod. in can. Greg. in can. Greg. Nyſ. or. 5. in can. Pſell. in can

gnari, Theodoretus, & Gregorius ſummus Pontifex, exiſtimant: quamuis eorum patrem Diabolum, & Angelos eius, alij indicari putant.

## CAPVT III.

Q*Va eſt iſta quæ aſcendit per deſertum?* fœminæ pulchritudinem, qui eam diligentiùs aſpexerant, admirantur. Grex in ſolitudine paſcitur; va-
Exod. 3. rios enim & vberes paſtus ſolitudo fundit: in eam ideo Moyſes, gregem deducebat. Sponſa, etſi per ſolitudinem, oues paſcendo, vagaretur, vel, vt apud Hebræum & Septuaginta legimus, à ſolitudine, gregem ſuum abigeret, pulchritudine tamen excellebat. Nam corpus erat & erectum, & celſum, quod ipſa venuſtè ſatis mouebat, vt columnæ ſpeciem præ ſe ferret. Nomen Hebræum, *columnam*, & *virgam* ſignificat. fumus verò ſurſum natura fertur, & columnam, ſeu virgam imitatur: cui illius corporis ſtaturam, formámque eſſe ſimilem, ruſticani homines eleganter prædicant: nec illud minùs eleganter affirmant, cætera, quæ in ſponſa elucent, oculis multò eſſe iucundiora, quàm ſint odores incenſi, naribus ſuauis. Hanc de Eccleſia, in paraphraſi, orationem interpretamur, quam quidem interpretationem,
Act. 2. illud comprobat, quod Lucas de iis, qui Hieroſolymæ erant, & Apoſtolos dicentes audierant, refert; *ſtupebant* inquit, *omnes, & admirabantur ad inuicem*, dicentes, quid nam vult hoc eſſe? Et quod de Paulo, & Barnaba,
Act. 14. Lycaoniæ ciues, ſentiebant, cùm inter ſe, de illis, ita differebant, *Dÿ ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos.* Quod verò ad ſuffimenta, & odores
2. Cor. 2. pertinet, Paulus ad Corinthios ita ſcribens commemorat, *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ, manifeſtat per nos, in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis, qui ſalui*
Exod. 30. *fiunt, & in iis, qui pereunt.* lege erat à Moyſe ſancitum, vt ſacerdotes à filiis
Leuit. 2. Iſraelis thus acciperent, quod ad Dei cultum incenderent. Deum igitur, *Thuris* nomine ab Eccleſia, pura religione coli, Salomon indicat: *Myrrhæ* verò meminit, vt eundem præpotentem rerum omnium principem, mortali corpore ab Eccleſia prædicari hominibus ſignificaret. Myrrha namque,
Ioan. 19. mortui à Iudæis condiebantur, & Ioannes, Nicodemum, myrrham, &
Myrrha in mortuis cō diendis à Iudæis adhiberi ſolita. aloem, detuliſſe narrat, vt corpus Ieſu, his odoribus oblinitum, more Iudæorum, in ſepulchrum ij, qui aderant, diſcipuli inferrent. Nomen Hebræum, quod noſter perdoctè *virgulam*, latinè reddidit, Septuaginta, *truncum*, Græcè verterunt, quam obrem Gregorius Niſſenus, alia quàm nos,
Greg. orat. 6. in cant. Amb. ep. 62. hæc Salomonis verba, ratione explicat: & inter latinos, Ambroſius ex Græco, ſic latinè vertit. *Quæ eſt hæc, quæ adſcendit à deſerto, ſicut vitis propago, fumo incenſa, odorificata myrrha, & thure, ab omnibus pulueribus vnguenti.*

*En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt* in eodem eſſe ad quietem lectulo, ſingularem coniunctionem, & conſuetudinem deſignat: quod videre in ea oratione licet, quam Chriſtus Dominus, futura prædicens ad ſuos
Lucæ. 17. habuit, *Dico vobis, in illa nocte, erunt duo in lecto vno, vnus aſſumetur, alter relinquetur.* Nec enim eadem religio, nec idem ſtudium, nec fœderis matrimonij

ius, nec

ius, nec aliqua, maximis vinculis astricta coniunctio, consequi poterit, vt in iudicio, quod de omnibus erit hominibus futurum, eadem sit illis conditio. Eleganter etiam Ecclesiasticus, *lectuli* nomine, matrimonij religionem significat, sic enim de eo, qui illam violat, orationem instituit, *Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, contemnens animam suam, dicens, quis me videt?* Quemadmodum igitur sponsa, cùm de se apud Hierosolymitanas fæminas dissereret, Arabum tabernaculis, & Salomonis pellibus, similem se esse dixerat: ita nunc, cùm longiùs esset in amore progressa, homines, qui eam adeo vehementer admirabantur, vt in lectulum, & in vehiculum Salomonis respiciant, hortatur. In lectulo, enim summam sibi cum viro suo coniunctionem esse cognoscent, quam nullæ vnquam poterunt, inimicorum insidiæ dirimere: & in vehiculo, animi sui præstantiam, quæ omnia, ob viri sui amorem despicit, & decus, quo ipsa illis tantopere collucet. Hæc quomodo Ecclesiæ conueniant, explicuimus. In sexaginta autem lectuli custodibus, firmissimum Dei præsidium, quo eam ille tutatur, animaduerte: & vim amoris incredibilem, quæ eam, firmam, constantem, & stabilem reddit. Numerus sex, primus inter omnes, in arithmeticis, numeros, cõponitur; dico enim tria & tria, id est, bis tria sex efficiunt, quasi è mare, & fæmina nascitur: ad coniugium Plato eum meritò refert: sex autem & decem, eadem ratione, sexaginta conficiunt: decem verò omnem numerorum perfectionem continet. Cùm igitur senarius numerus matrimonium significet, decem verò perfectionem contineat: sexagenarius profectò in custodiis numerus, diuinam quæ in Christi, & Ecclesiæ matrimonio elucet, perfectionem indicabit. Aliter quàm nos, sed sapienter quidem Gregorius Nyssenus, Theodoretus, & Summus Pontifex Gregorius explicant, & si non eandem in explicando rationem teneant.

Ecclesi. 23.
Lectuli nomine matrimonij religio significata.
Cant. 1.

*Ferculum fecit sibi Rex Salomon.* Huius vehiculi structuram circunspicere, & cum animis nostris considerare oportet. Libanus ab ea terræ regione, quam filij Israelis sub suam ditionem redegerant, Syriam diuidit: est ille quidem cæteris Syriæ montibus altior, & pars illius superior, niue obriget, vt hac nos oratione Ieremias docet, *Numquid deficiet de petra agri nix libani?* Cùm verò sit altissimus, animi, & dignitatis altitudinem, ad quam vix homines peruenire possint, significat. *Dixisti*, inquit Isaias, *in multitudine quadrigarum mearum, ego ascendi, altitudinem montium, & iuga libani.* Hoc apud eundem, *cedrus libani* significat, eos enim, qui opibus ad nimiam potentiam nitebantur, *cedros libani* appellat, quas excindendas esse prænuntiat, *Quia dies Domini*, inquit, *super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur, & super omnes cedros libani sublimes & erectas.* Et Ezechiel, Regem Assyriorum, *cedrum libani* vocat. Quamobrem nos in paraphrasi, *libani* nomen, de Deo omnia prouidente altissimo, & omnium vltimo, interpretamur: illud enim, quod Isaias ante nuntiauerat, nobis in animo insidebat, *Et erit in nouissimis diebus, præparatus mons domus domini, in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes*; Et Oseam intuebamur de Ecclesia Christi, ita prædicentem, *Israel germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius vt libani: Et gloria libani data est ei. Columnæ*, firmitatem, & constantiam significant: eam Ieremias ferream habuit, vt qui Iudæorum nationem esse

Ierem. 18.
Isai. 37.
Cedri Libani qui dicantur.
Ezech. 31.
Isai. 2.
Ose. 14.
Isai. 31.
Ierem. 1.

conterendam prædicaret, *Ego quippe*, *inquit Dominus*, *dedi te hodie in ciuitatem munitam*, *& in columnam ferream*. Christi verò Ecclesiæ summa est quidem firmitas, & constantia, sed argentea, vt quæ hominum animos diuitiis compleat, & admirabili sapientiæ, & virtutum omnium splendore, ad doctrinæ Christianæ studium alliciat. Cætera quoque, quæ in Ecclesia nitent, & ad omnium oculos fulgent, rebus omnibus longè multúmque excellunt, vt apud Salomonem, sapientia hac oratione

Prouer.8. testatur, *Melior est enim fructus meus auro*, *& lapide pretioso*, *& genimina mea argento electo.* Locus, qui erat intus in ferculo, aureo erat stra-

Exod. 25. gulo pulcherrimè stratus: Propitiatorium quoque, siue pars illa arcæ superior in qua Deus insidebat, & vnde suis oracula fundebat, erat ex au-

Oseæ.2. ro optimo. Quare fidem & charitatem *auro* designari putauimus: his enim

Fides & charitas auro designata.

virtutibus cum Deo coniungimur, & vt fas est homini, familiariter, cum eo loquimur: quin matrimonij etiam diuini vinculis sempiternis astringimur: ita enim Oseas, de Ecclesia Christum loquentem inducit, *Sponsabo te mihi in fide: in vinculis Adam traham eos in vinculis charitatis.* Quam fidem, & charitatem luculenter Ieremias hac oratione futurum explicat, *Dabo le-*

Ierem.31. *gem meam in visceribus eorum*, *& in corde eorum scribam eam.* Hæc au-

Dan.6. tem nostræ in paraphrasi, interpretationi, ni fallor aptè cohærent; *Purpura Reges fulgebant*: ideo Assyriorum Rex Baltassar, Danielem vestitu purpureo induit, cùm ei, in suos imperium dedit. Regiam igitur opulentiam, maiestatemque significat. Illius autem color, est quasi sanguine diffusus, qui à bellicis insignibus, non abest: quamobrem Isaias cùm mentem in Christum intenderet ab eo qui se pacis esse autorem profitebatur, admiratione perculsus quærebat, *Quare ergo rubrum est indumentum tuum? Purpura* igitur in ferculo Salomonis, Ecclesiæ cælestium diuitiarum opulentiam maiestatémque Regiam, & sanguinem indicat, quem toties spontè pro Christo fudit. *Media charitate constrauit, propter filias Hierusalem*, Septuaginta sic interpretantur. *Intimum eius lapidibus constratum, charitatem à filiabus Israel.* Hebræum ita etiam possumus Latinè reddere, *Medium eius succensum amore à filiabus Hierusalem*, Nos in paraphrasi Septuaginta non solùm in explicándo sententiam probamus, in ferculo enim summi pretij ornamenta esse diximus, quorum Hierosolymitanæ virgines desiderio flagrarent, sed etiam nostrum Latinum, & Hebræum sequimur, verum enim Salomonem, virginum, id est, generis nostri, salutis amorem præ se ferentem, eoque vehementer inflammatum, per orbem terrarum, ab Ecclesia deduci, asseruimus: quemadmodum ille alter, virginum amore saucius, & qui eas amore capiebat per vrbem Hierosolymam vehebatur.

*Egredimini*, *& videte Filiæ Sion.* Illi qui singularem mulieris pulchritudinem intuebantur, eam summa cum laude admirabantur: ipsa verò vt pudicitiæ suæ decus, nullis lenociniis deformari posse ostenderet, tria commemorat. Primum Sanctissimum matrimonij fœdus, & viri sui curam erga illam refert, cùm inquit, *In lectulum Salomonis; Sexaginta fortes ambiunt.* Deinde quæ acceperat beneficia enumerat: *Ferculum*, inquiens, fecit Rex Salomon: cui se similem

esse

esse dicit, ob munera, quibus erat à viro suo mirificè exculta. Postremò viri pulchritudinem laudat, cui neque Salomonis, fulgentibus vestibus, & Regijs ornamentis induti, pulchritudinem præcellere affirmat, cùm inquit, *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem, in diademate.* Quasi diceret, tantopere vir meus inter alios pulchritudine præstat, vt minimè mirandum sit si ab eo diuelli non possim, vt ipsas virgines Ierosolymitanas, ad testimoniū ferendum vocem: quæ si Salomonem auro & gemmis ornatum, in maxima illa hominum celebritate, quando sibi vxorem duxit, sunt admiratæ, non minùs, profectò, si oculos in virum meum conijciant, eius pulchritudinem, singulari cum admiratione prædicabunt. Quàm verò nos prudenter, hæc de Ecclesia Christi simus in paraphrasi interpretati, aliorum sit arbitrij iudicare. Illud tamen hoc in loco animaduertendum esse duximus, sponsam non filias Ierusalem, sed *filias Sion* appellasse: etsi namque virgines Ierosolymitanæ *filiæ* dicantur *Sion*, quia Sion ob dignitatem, ciuitatis illius mater habebatur: Regia tamen sedes in eo monte erat, & arca fœderis à Dauide collocata: vnde in eo sanctitas quædam & religio inerat, & futuri Messiæ imperij, & legis diuinæ in hominum animis inserendæ, notio elucebat: hinc est illud, *Ex Sion species decoris eius.* Et, *Accessistis ad Sion montem.* Quamobrem Ecclesia ad eas, quæ sibi erant societate coniungendæ, & Christiani cœperant præceptis institui, hanc videtur habuisse orationem.

Ps. 49. B. Ad Heb. 12.

---

# CAPVT IIII.

ABsque eo quod intrinsecus latet.) Vox Hebræa à Rabbinis, pro Cincinnis, & pro Capitis ornamento, quo fœminæ capillos in ordinem concinnè colligunt, vsurpatur. Vnde noster Latinus, vt pulcherrimam sponsæ comam, ornamento illo fuisse obuolutam, significaret, vertit, *Absque eo, quod intrinsecus latet.* Id est oculi quidem venusti nimis sunt, sed coma calamistrata quidem ob velamē omnium oculis latet: quæ plurimum ei, si difflueret pulchritudinis afferret. Quamuis illud magis verisimile nobis esse videatur, nempe quod interpres Latinus, eam explicandi rationem sequatur, quam plurimi Hebræi probant, qui sic vertunt, *Oculi tui columbarum intra cincinnos tuos.* Si enim oculi sponsæ, pulchritudinis splendore, vt columbarum oculi, nitent, dum quidem cincinnis quodammodo inuoluti latent, pulchriores apparebunt: non mediocrem enim diffluentes cincinni venustatem afferunt. Iam nunc ad Ecclesiæ laudes breuiter celebrandas nos conferamus. *Oculi columbarum,* vt diximus, illius pudicitiam commendant: oculi etiam rerum nobis cognitionem afferunt, vt *oculorum* nomine mentem significari, nos dicere minimè pudeat: cùm Dauid in eandem sententiam, eo sæpius vti consuescat, *Illumina,* inquit ille, *oculos meos ne vnquàm obdormiam in morte.* Et, *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Et Salomon, *fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis, Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Eccle-

Oculorum nomine mens significata. Ps. 12 & 18. Prou. 3. & 4.

ſiæ verò mens diuinis fuit ſapientiæ muneribus exculta: quod manifeſtè ex ea, quam Chriſtus ad ſuos, è vita diſceſſurus, orationem habuit, percipi-
Ioan. 15. mus: in qua, inter alia hæc ſcripta legimus, *Omnia, quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Et de Spiritu ſancto ita prædicit, *Cùm venerit ille Spiritus*
Ioan. 16. *veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Cùm verò Apoſtoli, & ſucceſſores eorum, ita Iudæos, & gentes, erudiendas ſuſcepiſſent, vt non omnibus omnia committerent; alios lacte, alios cibo nutriebant: ipſi quoque non præ ſe ferebant ſapientiam, quod Paulus ad Corinthios ſcribens affir-
1. Cor. 3. mat. *Et ego*, inquit, *cùm veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitate ſer-*
1. Cor. 3. *monis, aut ſapientia: ſapientiam autem loquimur inter perfectos: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt.* Quamobrem ſponſus, cùm oculos ſponſæ laudibus efferret, non ſolùm eos eſſe columbarum oculis ſimiles affirmat, ſed illud addidit, quod erat omni conſideratione dignum, nempe, *Abſque eo quod intrinſecus latet.* Multa enim quæ ipſa de Deo percipit, apud eos, qui principem locum in ea obtinent, compreſſa
1. Cor. 12. habet: hi autem, & omnium virtutum genere ſunt præditi; & pauci quidem tales poterunt inueniri, vt ille extitit, de quo Paulus, *Audiuit*, inquit, *arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Hoc autem ſilentio, Eccleſia, ornamento quaſi quodam, comam capitis ſui colligat, & aſtrin-
Eph. 5. col. 1. git. *Caput* autem *Eccleſiæ Chriſtus:* inde etiam cincinni diffluentes, plurimum quidem oculis venuſtatis afferunt: mens enim, niſi ijs cogitationibus moueatur quæ in ſui ipſius, & rerum diuinarum cognitionis ſtudio, & in conſilijs capiendis verſantur, & in ijs, quæ ad bene beateque viuendum pertinent, non adeo cum mente diuina poterit eſſe coniuncta: cùm enim quæ ipſa ſit cogitat, Deo ſe totam ſubmittit, & quidquid de rebus diuinis percipit, Deo ea cogitatione tribuit: quid verò ſequendum ſit, quidue fugiendum, dum deliberat Deum; antequam aliquid ex re ipſa probabile eliciat, cogitandum ſibi eſſe ducit: quo quidem mirum eſt quàm mons Eccleſiæ, vt inter cincinnos oculi nitent, ipſa
Greg. in ca. 7. ſapientiam diuinam conſequatur illiusque ſplendore hominibus eluceat. Gregorius Niſſenus his verbis exiſtimat, Eccleſiam, ita ab
Theod. in cont. ſponſo laudari; vt ea quæ intus in animo illius inſident, nec ab hominibus aſpici poſſunt eſſe multo præclariora. Theodoretus illius ſi-
Amb. in pſ. 118. ſerm 16. lentium commendari putat, dum ſcilicet, malis vexatur. Ambroſius ita legit, *Oculi tui columbæ extra taciturnitatem tuam:* quod his verbis ex-
Philo in ca. plicat: Quòd ſpiritualiter videat & nouerit tempus tacendi eſſe, & tempus loquendi. Philo Carpathius, ad eos hæc verba refert, qui etſi os non aperiant, animo tamen ad Deum preces adhibent, & illius ſtatum ſingulari ſtudio tuentur, ne illum aliqua ratione ſenſus perturbent. Multò quidem ſponſam eſſe pulchriorem Gregorius Pontifex exiſtimat, quia infima hæc minimè concupiſcat, nec quidquam niſi quod ſit diuinum atque ſempiternum deſideret, Deumque ſumma cum voluptate contempletur, quod his verbis, *Abſque eo quod intrinſecus latet*, ſignificari putat.

*Veni de Libano ſponſa mea.* Ad paſcua lætiora, ſcilicet ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, hoc eſt, ad montem Libanum quo ſe iturum dixerat, vt gregem abigeret, ſponſam excitauit. *Montem myrrhæ, & collem*

& *collem thuris* libanum appellari ob ſuauiſſimum odorem quem ex ſe afflat, non immeritò videbimur exiſtimaſſe: nam ſi Eccleſiaſticus de ſapientia non dubitauit dicere, *Et quaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam, & quaſi balſamum non miſtum odor meus: Et quaſi Libanus odorem ſuauitatis habet?* Cur quæſo non *montem Myrrhæ*, & *Thuris* Libanum appellem? maximè cùm illud ſit apud omnes ferè nationes, in more poſitum, vt quidquid ſenſum odore recreat, illud *myrrham* & *thus*, eſſe dicant. Deinde cur Ieroſolymam montem myrrhæ, & thuris vocem? cùm hoc arborum genus ea minimè ferat, nec ex ſe ſe odores proferat? Multò quidem minùs eam *Libanum* dicerem, cùm non in ea, nec circum eam fecerint ferarum latibula, quarum Salomon meminit. Vt tandem ſponſo morem gereret, verſus Libanum gregem ſponſa abegerat, magnitudine enim paſtionis, vicinis terris Libanus antecellebat: Galaad enim mons, qui Libani pars erat, eum namque Ieremias caput Libani appellat, paſtuum vbertate, filiis Gaad adeo placuit, vt eum, à Moyſe ob eam rationem ſibi poſcerent, quia plures ipſi, quàm cæteri filij Iſraelis, greges haberent. Quid verò cùm in Libano per aliquod tempus degiſſent agere ſibi gratum erat, ſponſus commemorat. *Veni*, inquit, *de Libano ſponſa mea. Mecum*, inquit, Hebræus, *à Libano*. Mecum ſcilicet libanum, optimis paſcuis abundantem poſtquam peragraueris, *coronaberis de vertice Amana*: *Adſpicies*, inquit Hebræus, *de vertice Amana*, In his ſcilicet montibus greges tuos paſces: vnde iucundè ſatis, in æquatam agri planitiem, omnium frugum genere vberrimam proſpicies, in quam, cùm opportunum fuerit, gregem deduces. *Coronaberis* autem, vt Latinus noſter vertit, quia montes illos circuibis: è faſtigio enim Amana deſcendens ad Sanir montis cacumen adſcendes, qui & Hermon dicitur: & quemadmodum paſtores conſueſcunt, orbem quodammodo, ſingulari cum voluptate me comite conficies. Eccleſia dum in libanum penetraſſe dicitur, Palæſtinam reliquiſſe, & ſeſe ad gentes tranſtuliſſe ſignificat: Libanum enim ad Syriam pertinere iam diximus. Deum verò montes *Amana*, *Sanir*, & *Hermon* circumit, qui in ea tellure ſunt, quàm filij Iſraelis Dei beneficio in ſuam ditionem redegerant aduentum illius ad Iudæos tandem futurum deſignat. Illud autem, *de cubilibus leonum*, *de montibus pardorum*, etſi feras ibi ſe tegere latibulis ſignificet, Eccleſiæ tamen quantopere conueniat in paraphraſi explicuimus. His enim manſuefactis poſtquam gentes, ad Chriſti nomen ſe ardenti ſtudio coniunxerint, Hebræos, qui adhuc perfidiæ ſcelere obcæcati, ab illa immani odio diſſentiunt, ad pietatis & veræ ſapientiæ ſtudium trahet.

Eccleſ. 14. 19.
Libani paſcua.
Ierem. 22.
Num. 32.
Deut. 4.
Libanus ad Syriam pertinens.
Ieſ. 1. ſtrab. 16.
Ioſia. 13.

*Vulneraſti cor meum ſoror mea. Oculi* nomine mentem rerumque cognitionem indicari diximus. Erit igitur vnus Eccleſiæ oculus, naturæ diuinæ cognitio, quo animus Deo coniungitur. Verùm hæc animi cum Deo coniunctio fide primùm conciliatur, niſi enim Deo fidem adhibeas, ea quæ ſenſu humanæque mentis vi percipi non poſſunt, haud quidem cognoſces: primùm igitur ad hanc coniunctionem aditum fides aperit, coniunctio verò charitate deuincit: ij verò

qui

Ad coniunctionem cū Deo fides aditum aperit.

qui amant, non in se ipsis, sed in illis quos amant se viuere testantur, vt non solùm se amore saucios esse asserant, sed cor sibi euulsum fuisse dicant vt eleganter quidem Hebræus hoc in loco ait. Duo autem sunt sponsæ oculi, sic enim Hebræus, *Vulnerasti*, inquit, *siue, euellisti cor meum in vno oculorum tuorum.* Non mediocris quidem fuit illa, quam

Ecclesiæ antiquæ & nouæ cognitio.

Ecclesia antiqua habuit de Deo, cognitio, verumtamen ea quæ posterior fuit Christi Ecclesia, multum ei, in eo genere laudis excellit. Hic sponsæ oculus, hæc de Deo, quam à Christo accepit, cognitio, etsi ab ea, quam priùs fuerat consequuta, initium sumpserit, Deum tamen vinculis sempiternis secum astringit. Illa enim prior, dum prodigia videret, Deum propitium sibi sperabat, eundémque tonantem, fulgurantémque timebat, famem, qua ipsa conficiebatur depellentem, sitim restinguentem, hostesque suos profligantem, suspiciebat: Verùm hæc posterior, in cunis puerum vagientem Deum esse cognouit, eíque honorem diuinum tribuit: mira quidem vis illa in cognoscendo extitit, vt in ea, in qua ille erat, abiecta conditione, præpotentem rerum omnium principem esse fateretur: maledictis omnibus confixum, vulneribus cæsum, & cruci denique affixum, Deum eundem prædicaret · ita enim à sensuum omnium consuetudine, se in iudicando seuocauerat, vt quidquid illi referrent, sperneret & in inuestigando quid verum, quidue optimum sit, diuinam sibi mentem sequendam esse duceret. Hic sponsæ oculus fuit sponso gratissimus, nec quidquam eo poterit sponso esse suauius: quare *Vulnerasti*, inquit, *cor meum*, *in vno oculorum tuorum. Torquis*, vt diximus, eloquentiam, sapientiæ comitem, significat: quem hoc in loco *crinem colli* tui, noster Latinus appellat. Est vnus torquis colli sponsæ, siue vnus crinis, diuinæ naturæ sapiens,

Torquis colli sponsæ quid sit.

& ornata expositio: quæ est singulari sponsæ ornamento, quod in Paulo valde admiramur. *Nos*, inquit ille, *prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum; gentibus autem stultitiam.* Quod ita præstitit, vt eam quam stultitiam esse existimabant, summam esse hominibus sapientiam persuaderet, & ipsis mentibus cælestibus, multa quæ latebant praclarissima patefaceret: hæc enim ille

1.Cor.1.

Ephes.3.

ad Ephesios scribit, *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc. in gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti, absconditi à seculis, in Deo, qui omnia creauit, vt innotescat, principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei, secundùm præfinitionem sæculorum quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.* Hæc autem quàm fuerit eximia eloquentiæ vis, atque virtus, philosophorum sectæ fractæ, conuictæque testantur: superstitio ex hominum animis euulsa, monet: hominum ad virtutum omnium conuersio prædicat. Hic torques gemmis auróque fulgens Ecclesiam ornat, & Dei gratiam sibi maximè conciliat: hic pulcherrimus crinis collo Ecclesiæ adhæret, illud admiranda cum venustate cingit, & obuoluit.

*Emissiones tuæ. Vox Hebræa*, idem est, ac *mittere* & *dimittere* apud Latinos.

Quamobrem

Quamobrem cùm plantæ è terra emitti videantur, eas eo nomine Hebræi, significant. Noster autem Latinus, & Græci, interpretes, pro eo, *Emissiones*, eleganter reddiderunt: non enim in hoc horto surculos quisquam inserit, sed optimus rerum parens, omnia in eo procreat vt hortus hic non solùm sit muro cinctus, ne bestiis pateat, sed fructus ad hominum vitam salutares, & suauissimos emittat.

*Surge Aquilo, & veni Auster.* Horto odoriferis consito arboribus, sponsam esse similem sponsus affirmauerat, quid igitur illa vehementiùs optaret; quàm vt ex eo ille numquam discederet, séque ibi perpetuo oblectaret? Eodem enim quo sponsus loquendi modo vsus fuerat, ipsa quid maximè desideret, ostendit. Aquilonem, & Austrum flare desiderat, vt quamcumque in partem spõsus se verterit, odorũ suauitate perfundatur, & ita eum arctiùs secum amor deuinciat. Ecclesia hoc idem expetit, nempe vt ipsa versus Aquilonem, & Austrum, in omnes gẽtes penetret: ventorum enim flatibus vt sæpe vidimus, odor suauissimus fertur qui eos qui in horto non sunt, & longè absunt, mirificè recreat. Nec Aquilo nec Auster nos ab hac explicandi ratione deterrent etsi Hierosolymæ situs is fuerit, vt illum si respicias, Chaldæos ad Aquilonem, & solitudinem illam, maximis Dei operibus admirandam, ad Austrum esse dicas: nam etsi hæc mali sint ominis, & supplicia à Deo populo Israelis imposita significent: mons tamen Sion erat versus Aquilonem, & pars altera vrbis Hierosolymæ versus Austrum: quare Dauid ita de ea cecinit, *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.* & Habacuc, *Deus ab Austro veniet*: Non igitur in sacris literis, Aquilo, & Auster semper malum designant. Sed sponsæ hoc in loco illud quod Paulus sibi postea contigisse affirmat erat in optatis. *Deo autem*, inquit ille, *gratias, qui semper triumphat, nos in Christo Iesu & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.*

Psalm. 47.
Habac. 3.
2. Cor. 2.

---

## CAPVT V.

V *Eni in hortum meum*, sponsus cùm sponsam ardenter amet, ab ea minimè abest: etsi namque dicat, *Veni in hortum meum*. non quia absuerit, id asserit, cùm præsens ipse cum sponsa, sermonem illius plenum laudibus duceret: ostendit quid in horto egerit, cùm in eo esset, aromata scilicet collegisse plurima & suauissima: ex consuetudine scilicet sponsæ maximas se percepisse voluptates: deinde cùm vineam, & oues haberent non solùm mel, sed vinum & lac iucundè gustauit, conuiuásque, quos ad se vocauerat, his epulis excepit. Christus autem sponsam diligit, & sese apud eam oblectat, *Viri*, inquit Paulus, *diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.* Cùm verò ipse hoc loco dicat, *Veni in hortum meum messui myrrham meam, cum aromatibus meis*: primum illud, quod ipse suis dixit, cùm ei cibum ferrent, nobis venit in mentem. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me vt perficiam opus eius.* Deinde myrrha, vt iam explicuimus, immortalitatem designari: & odoribus, virtutum omnium genus indicari, in paraphrasi putauimus, quod etiã ni fallor; satis probauimus. *Mel* dulcedinem sapientiámque vitæ Christianæ significat. *Quid enim melle*

Ephes. 5.
Ioan. 4.
Myrrha & odoribus quid designetur.
Iudic. 14.

Prou.24. *dulcius?* Et ſapientiam Salomon, *mel* non dubitat appellare: *Comede*, inquit, *fili mi, mel, quoniam bonum eſt, & fauum dulciſſimum gutturi tuo, ſic & doctrina ſapientia animæ tuæ.* Incredibilis verò ea eſt lætitia quam doctrina Christiana hominibus affert, eam vinum deſignat, vt iam explicuimus. Horum autem diuinorum munerum abundantiam & copiam lac ſignificat: hanc enim Iſai.60.& 55. Iſaias, de Eccleſia futura prouidens, orationem habet: P*onam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generationem, & generationem, & ſuges lac gentium. & mamilla regum lactaberis.* Quamobrem ipſe ita loquentem Chriſtum inducit, *Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac.* Vt Vini & lactis interpretatio. hanc, qua Salomon vtitur ipſe ſuſcepiſſe orationem videatur. *Vinum* etiam ſpiritus diuini ardorem interpretamur, quo viri ſancti in Eccleſia concaleſcunt: & *lac*, molliores quoſdam cibos, ſed dulces, quibus ij qui in virtutis ſtudio non adeo ſunt multùm progreſſi nutriuntur.

*Ego dormio, & cor meum vigilat.* Nocturnæ vigiliæ amantium ſtudia declarant, præcipuè ſi ad laborum, & corporis requietem ſomnum capias: & in eo animus aliis curis vacuus eum quem amat, ſecum cogitat, & arctiſſimè am- Iſai.26. plectitur. Iuculenter quidem & ornatè Iſaias, *Nomen tuum & memoriale tuum, in deſiderio animæ: anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te.* Hæc eſt enim amoris vis, & excellens inter res omnes præſtantia.

*Spoliaui me tunica.* Etſi ſponſi deſiderio flagraret, hæc vt mos eſt fæminarum, obiicit. Nam ad ſponſi complexum, & oſculum non multò pòſt ita cucurrit, vt vas vnguenti frangeret. Corporis ſenſus in tantis ærumnis, Eccleſiam quodammodo vlteriùs ne progrederetur retinebat: amor tamen ſenſum opprimit; & quò volebat ſponſus trahit: cùm nihil ipſa ardentiùs deſideraret. Deinde ſponſa, quæ veritatis amore, negotia abiecerat, (ſuaue nimis ſibi erat Deum ſemper contemplari, & cum eo loqui:) ideò moleſtè ferebat tunicam, quam poſuerat, induere: & pedes quos abluerat, inquinare, id eſt, ſe negotiis implicari, quæ ſibi erant impedimento, ne totam ſe diuinæ contemplationi traderet: ea tamen vt obediat libenti animo ſuſcipit. Sed illud nobis potiùs viſum fuit vt ſuſpicemur Salomonem inter gentes, aliquam ſignificare Eccleſiam habuiſſe malorum requietem; nam veſtem exuiſſe, pedeſque abluiſſe is dicitur, qui cùm paulo ante laborem itineris ſuſtinuiſſet, illius iam ſit ei non mediocris leuatio. Nec quidem honeſta & pudica mulier, niſi in cubili, aut in cubiculo veſtitum, quo tegebatur, relinqueret ſordéſque pedum ablueret: quod haud faceret, ſi viam ingrederetur, aut in labore eſſet, & non ſibi animi tranquillitas adeſſet. Id verò etſi non hora amplius obtinuiſſet meritò poſita tunica ſe lauit & cubitum iuerat, verùm ad veſtitum redire, quo inducta ad gentes iter ſuſceperat, idque pedi- Geneſ.18. bus ſordidis conficere, maximum moleſtiarum pondus indicat. Abrahamus, illius qui hominis formā induerat, labore & itinere defeſſi, pedes lauit Iere.2.lam.1. vt eū ex labore reficeret: Ieremias populum Iſraelis, hac oratione, vt ſibi caueret admonuit ne in exilium duceretur; *Prohibe pedem tuum à nuditate & guttur tuum à ſiti.* Cúmque ille ſolùm vertiſſet *Sordes*, inquit, *eius, in pedibus eius.* Eccleſiam igitur inſitus in natura ſenſus quo labores, mortémque fugiendam eſſe ducimus, eo in quo erat loco retinebat, ſed animus, erat alacer ad obediendum, officiúmque præſtandum. Illúdque de ea affirmare libet,

libet quod Christus, cùm præpotens esset rerum omnium princeps, & Deus quia tamen homo esset, cùm mors ei immineret, de se ipso testatur *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Matth. 26. Marc. 14.

*Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* Hac oratione homines, ad quos sponsa peruenerat, ab ea quærunt, num ille quem ipsa adeo vehementer amaret, omnibus præcelleret, quos cæteræ fœminæ non mediocriter diligebant? id est, num ille quem ipsa Deum prædicabat, virtute & sapientia, inter alia numina longè præstaret? Vox כה, non solum *qualem*, sed *quid* significat: vt oratio latinè verti potuisset: *Quid dilectus tuus præ dilecto?* Quasi diceret, num cæteris, qui amore digni habentur, excellit? Sed Latinus his verbis vel illorum hominum postulationem contineri putauit, qua sponsam precabantur, vt sibi sponsi formam exprimeret: qualis, inquiunt sit ille, cuius amore flagras effice, vt ipsius adspectu percipere valeamus, vel admirationem quandam explicari in quam homines illi rapiebantur, cùm imbecillæ fæminæ in amore constantiam considerabant. Qua, inquiunt, forma est ille, *Ex dilecto?* hoc est, siquidem tam ardenti charitate illum prosequeris? eo enim, quod tantopere à te diligitur, summam esse illius pulchritudinem suspicamur.

*Coma eius sicut elatæ palmarum.* Verbum תלל, significat *Eleuare*, id est, *extollere.* Vnde nomen תלתלים, quo hoc loco Salomon vtitur: Crines autem cùm diffluunt, extremi quidem, paulatim sese flectunt, & extolluntur, quod vox Hebræa indicat: Quamobrem Hebræi omnes ferè capillos sponsi crispos interpretantur. Græci autem interpretes verterunt, *Coma eius, ἐλάται*, est autem *Elati* apud Græcos, Abies, & fructus ille primus cortice inuolutus quem palmæ emittunt. Quamuis alij palmæ corticem, alij extremam rami partem, hoc nomine significari putant. Quamobrem noster Latinus, cùm Græcum nomen retinuisset, ne aliquam aberrandi occasionem daret, *Palmarum* nomen adiunxit. Nos Latinum & Hebræum in paraphrasi sequimur.

*Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum.* Vt oculorum pulchritudinem clariùs ostendat, illa verba adiungit, scilicet, *super riuulos aquarum:* tantus enim erat illorum spendor, & dignitas, vt si cum riuulis æstiuo tempore arborum, & herbarum viriditate septis vndique & vestitis comparentur longissimo interuallo, eos pulchritudine superent. Ea verò quæ sequuntur ad oculos, non verò ad columbam Hebræi pertinere putant, vt sit oculorum descriptio, quam in paraphrasi explicamus. Sic enim illi legunt, *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, lauantes se in lacte, manentes super plenitudinem.* Quæ quidem de oculis dici videbuntur, cùm non columbarum. sed tantùm columbæ Salomon meminerit. Verùm noster Latinus & Septuaginta ea ad columbam referunt: vt columbam albam instar lactis Salomon significet & quæ sese aquis sæpius abluat, vt magis nitescat.

## CAPVT VII.

Margaritæ & alia summi pretij ornamenta in calceamentis.

Isai. 3.

Eccles. 4.
Prouerb. 1.

Isai. 52.

*QVàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis.* Pedes ad gradiendum Deus hominibus dedit. Illis verò ab omni præsidio nudis, non ita facilè progredi, ob imbecillitatem naturæ possent. Necessitate igitur coacti cœperunt calceis vti: munditiam deinde his adhibendam esse existimarunt, quam libido indies tantopere auxit, vt margaritas in illis & summi pretij ornamenta collocarent, quod Hierosolymitanæ fœminæ factitabant, eis enim minitans Isaias fore prædixit, vt Deus omnem calceamentorum ab eis remoueret ornatum. Ideo, *Quàm pulchri*, inquit hoc in loco Hebræus, *sunt pedes tui in calceamentis filia principis.* Verùm ni sit toti corpori incessus aptus, & conueniens, nihil ille regius ornatus pulchritudinis, & venustatis afferet: quare prudenter satis noster Latinus, *Quàm pulchri*, inquit, *sunt gressus tui*, quemadmodum & septuaginta Græcè reddiderunt. *Actiones* Salomon, *pedis* nomine, in eo libello, qui Ecclesiastes inscribitur, significat. suos enim ad officij religionem, his verbis instituit, *Custodi pedem tuum, ingrediēs domum Dei*. Et cùm de sceleratis, in Prouerbiorum libro, orationem haberet, *Pedes*, inquit, *eorum, ad malum currunt. Pedes* autem Ecclesiæ Christianæ, illius nempe progressio fuit, semper admirabilis; & incredibilis cursus ad omnem excellētiam virtutum. Diuinus autem ornatus quidam, actiones omnes illius comitabatur, qui gentium animos in admirationem rapiebat. Hanc Isaias sententiam his verbis explicuit, *Quare pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem.*

*Coma capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus.* Salomon vt ostenderet, quàm compti & nitidi sponsæ capilli essent, illos affirmat; vt Regiam purpuram cùm primùm est singulari artificio abluta, fulgere. Est enim Christiana hominum natio amore rerum cælestium flagrans, & fidei vigenti studio splendet: vt purpura, in fullonum canalibus, fit elegantior, ita ea in ærumnis fit illustrior. Vox Hebræa, qua Salomon hic vtitur à verbo quod *currere* significat, proficiscitur: quare pro ea Græci, *Dromi*, & noster Latinus *canalia* reddidit. Ille igitur locus in ædibus, in quo ambulatio conficitur, & à Latinis tecta ambulatio 'dicitur, eo nomine indicatur: quia ibi quasi cursus diuersi conficiantur. Ob eandem quoque rationem quidquid illud sit arte aliqua perfectum, per quod aqua fluit, eodem nomine vsurpatur, vt Latinus hoc in loco, & multi Hebræi illud interpretantur. Græci tamen & Hebræi aliqui, in ea fuerunt opinione, vt hanc orationem ita esse explicandam existimarent, *Capilli tui compti sunt instar purpuræ. Rex deuinctus in cursibus.* Doctrina Christi Ecclesiam quodammodo vestit, eóque purpureo vestitu induta, veluti rex, liberam omni peccati tirannide, sui moderationem tenet: quæ quidem est *Rex deuinctus in cursibus*: quia eiusdem doctrinæ institutis est in hoc vitæ curriculo Ecclesia sapienter adstricta ne labatur. Optima quidem est hæc explanatio: sed nos aliam in paraphrasi probauimus, quæ pastoris personæ, & cincinnis magis videbatur congruere.

Homeri & Salomonis eadem similitudinis vsurpatio.

*Statura tua assimilata est palmæ.* Eadem similitudine Vlysses, Nausicaam Alcinoi filiam, apud Homerum laudauit. Quod animaduertendum esse duximus, ne quis sibi persuaderet, ita Salomonem in rerum futurarum prædictione

dictione versari, vt aliquando orationis concinnitatem, & ornatum minùs curet, dum futura claré enuntiat. sic enim rem hanc pertractat, vt pastorum amores eleganter describat & mysteria diuinitus referat. Accedit, quod palma satis diu viget, nec ei diuturnitas temporis, viriditatem aufert: quare diuturnam vitam, eámque bonis affluentem significat. *Sicut palma*, inquit Iob, *multiplicabo dies*, cùm de spe, qua sibi bona & longiorem vitam pollicebatur, dissereret. Dauid quoque, vt iustum hominem florentem nobis ante oculos poneret *Iustus*, inquit, *vt palma florebit*. Est etiam adeo victoriæ signum, vt Tullius dixerit, *Habeant hanc palmam ex innocentis cruore*. Et noster Latinus interpres. *Quem*, inquit, *iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt*. Cúmque Iudæi in arcem Hierosolymitanam, quam Simone duce expugnarant, sunt ingressi, ramos palmarum, partæ victoriæ, insignia manibus gerebant. Iam verò Ecclesia Christi, quandiu res humanæ fuerint, firma & stabilis permanebit diuinis ornata muneribus: etsi vehementissimè sæpe oppugnetur numquam sub hostium ditionem cadet, sed diuino septa præsidio, victoriam ex illis consequetur: & erecta semper excelsáque Deum intuens, omnia quæ illis eximia præclaráque videntur, parua ducet, stabilis, firmáque contemnet.

Iob.29. Psal.91. Orat. antequam iret. Deut.25. 1. Machab. 13.

# CAPVT VIII.

S*I murus est*. Quia illius, quæ ardenter amat, satiari cupiditas non potest, sponsa, vt in sua sponsus rura veniat, ab eo vehementer petijt, ne quid sibi impedimento esset, quòminùs eo vbique frui posset. Nam præclarum gentes erudiendi opus illa singulari studio moliebatur, quod perficere, summopere cupiebat. Quamobrem sponsum ad rura, id est, ad gentes omnes peragrandas, excitauit, in quibus, velut in agris desertis, & incultis, erat virtutum omnium solitudo. Hoc autem sibi maximè optabat, vt sponsum vbique gentium amplecteretur. Rus ille ad sponsam aduolarat, quo nixa, gentes illa omnes ad veram religionem instituit, ibique de amore ille orationem habuit; quæ sponsæ animum confirmaret, eúmque teneret. Illa denique, vt mos est, suos sponso commendat, & eò vnde profecta fuerat, redit. De sorore, quæ adhuc viro non fuerat in matrimonium tradita, cum sponso agit: de Hebræorum scilicet gente, cum qua ipsa sit multis rationibus coniuncta. Gens enim hæc humi, quasi strata, supera, & ab omni concretione mortali segregata non suspicit. *Quid faciemus, sorori nostræ?* curã de illius salute, & dignitate; quæ semper sibi maxima fuit, ostendit, ne non nupta soror ab ea animo abhorreret, inuidia: *Optabam enim*, inquit Paulus, *ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israelitæ*. Cui sponsus, sorori se eximia collaturum esse beneficia pollicetur si, vt virginem decet, illius sit castus & integer animus. Si murus est si officij sui munus tueatur: si ostium est: si ea quæ aliquam labem aspergunt, à se excludat, maximis eam beneficiis afficiam: sin aliter se gerat, animi eam indigentia, & ægritudo conficiet. Murus ad omnes hostium impetus opponitur vrbémque sepit, ne capi possit. *Substantia diuitis*, inquit Salomon, *vrbs roboris eius & quasi murus validus circumdans eum*. Ostium si non sit apertum

Rom.9. Prou.18.

Zach.2. aditum hostibus claudit, eosque repellit. *Aperi libani*, inquit Zacharias, *portas tuas, & comedet ignis cedros tuos*, Murus igitur & ostium, quæ debet esse in muliere, castimoniam significat, nam si muri nomen, aliquid notaret, quod vitio tribuendum esset, aut oculos in corpore offenderet, non id sibi statim sponsa vsurparet, *Ego murus*, inquiens, *& vbera mea sicut turris*.

*Fuge dilecti mi*. Præsens sponsus aderat, cum quo de rebus suis, sponsa sermonem conferebat, ab eoque se abesse dolet & angitur: quid igitur ei venit in mentem petenti sponso, ita canere? *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ*. Summum quo illum diligebat amorem eo carmine luculenter explicat: & prudenter quidem Salomon, eodẽ hunc dialogũ concludit. *fuge*: quocumque scilicet abieris licèt quantum viribus possis, eundi celeritatem incites, scito me incredibili te fore amore prosequuturum. Hoc Christi Ecclesia, quæ fit ex gentibus, & Hebræis congregata, sibi exoptat, vt hinc tandem ille discedat. hoc est, cùm perfectè vndique opus absoluerit, cuius gratia, humanam sibi formam induerit, omnéque genus hominum præceptis, in diuina institutione formarit, huic tandem vitæ miseriis implicatæ, finem faciat, & perpetuò duraturam beatámque suis tradat, eosque secum honorum omnium societate coniungat: quod Paulus futurum esse prædixit: *Sicut in Adam*, inquit, *omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, vnusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt: deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo, & Patri, euacuauerit omnem principatum, & potestatem & virtutem: oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius: nouissima autem inimica destruetur mors: omnia enim subiecit sub pedibus eius*. Hoc igitur regnum, vt Deo, & Patri deferat, ne ampliùs ipsa in tellure sit, & mortem omnino deleat, vt eam nemo iam subeat, sponsa desiderat. *fuge*: in tellure desine versari: ceruorum qui in optimis pascuis sunt enutriti, ad hoc celeritatẽ adhibe, nulla est enim desideranti celeritas, vt iam mihi non sit corpus impedimento quominus te animo tranquillo & quieto, corporéque fruar, moram gemo; desiderio excrucior: expectatione subleuor. Præclarè quidem Paulus, *Nam & qui sumus*, inquit, *in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati: eo quòd nolumus expoliari sed superuestiri, vt absorbeatur, quod mortale est, à vita*.

1.Cor.15.

2.Cor.5.

*Sub sanctæ Ecclesiæ Romanæ censura.*



